TRACTATUS THEOLOGICUS
DE
MAGIA,

Exhibens ejusdem


Etymologiam, Synonymiam, Homonymiam, Exiſtentiam & Naturam; Cauſas & Effectus mirabiles, interſperſis hinc inde rarioribus Subjectis, & Exemplis, ac dilucidatis notabilioribus Controverſiis,

Cum Indice Rerum & Verborum neceſſario,

ACCURANTE

JOH. ADAMO OSIANDRO,

SS. Th. D. P. Cancell. & Præpoſito Eccleſiæ Tubingenſis.




TUBINGÆ,

Sumptibus CHRISTIANI MÜLLERI, Bibliopol.

TYPIS Viduæ JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO M DC LXXXVII.



SERENISSIMO PRINCIPI ET

DOMINO,

DN. JOHANNI FRIDERICO,


Duci Wirtembergiæ & Tecciæ, Comiti Montispeligardi, Dynastæ in Heidenheim, &c.

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CAPITANEO INCLYTO,

Domino Meo Gratiosissimo.



DUo sunt fulcra, quibus tota Moles Regni Sathanici incumbit & nititur, nempè *Vis & Fraus*, ex quibus etiam Filii tenebrarum à

Filiis Lucis distinguuntur, dum sc. ad Exemplum Patris nunc violẽtia grassantur, nunc dolis agunt, ludunt & decipiunt. Sic Fraude egit Dæmon in Gentilismo dubia promendo Oracula: *Daphitæ* Grammatico ambiguum reddidit Responsum, ut sibi caveret à Thorace, de quo *Strabo*, quod ipse non intellexit, donec in loco, cui Nomen erat Thorax perierit, & in Monte hoc Titulo insignito, in Crucem actus fuerit, quod Pergamenos Reges hoc Disticho incessisset: *Purpureæ vibices, Scobs, limataq; gaza Lysimachi, Lydos & Phrygiam regitis.* Conditoribus Urbis Byzantii valde obscurum & flexiloquum datum Responsum, ut sc. è Cæcorum Regione locum Urbi caperent, τυφλῶν nomine denotans Megarenses,

qui

qui cum priores ad ista loca navigassent, omisso ulteriori littore, in quo tanta esset commoditas, deteriꝰ solum cæco Impetu occuparunt. Memorabile est, quod Patrũ nostrorum Memoria accidit in Italia Exẽplum: Cum enim Petrus *Aloysius* Pauli III. Pontificis Filius, de Conjuratione adversus se satis certus esset, sed de personis ac loco ignarus, ad vetitas artes confugit, Incantationibus evocatum Dæmonem, de conjuratorum Nominibus interrogavit: Diabolus verò nihil aliud respondit, quam ut Dux monetam suam inspiceret accuratè. Cum enim in antica parte Farnesiorum nummorum scriptum sit *P. Alois. Farn. Parm. & Plac. Dux* vocis placentinæ, ubi cædes facta est, prima quatuor Elementa, seu literæ initiales

Pallavicinum, *Landum*, *Anguisciolam* & *Confalonerium* designarunt, de quo *Thuanus* cum *Schleidano* lib. 19. Adeò verum est quod Claudianus quondam cecinit:

— Attollunt vanos Oracula fastus
O semper tacitâ, sortes ambage malignæ
Eventuq́; patens, & noxia vatibus ipsis
Veri sacra fides.

Vi verò exercet per Veneficas, Magos & Hariolos nocendo generi humano, dum scil. parat Unguenta, quæ homines inficiunt, armenta commaculant, bruta quæque miseranda Morte tollunt, dum præstigiis ludit, viatores decipit, in Ignibus fatuis nidulatur, in avia, Syrtes & profunda deducit, imo quandoque in pice torrentes,

rentes, atraque voragine Ripas, dum ſta-
gna, fontes, paſcua veneno tingit, & nunc
hoc, nunc illo modo inſidiatur ſimplicio-
ribus, ut à Tramite recto illos dejiciat.
Quod poſtremum maximè in hoc Tra-
ctatu expendimus Occaſione Rumiſcu-
lorum ad aures noſtras delatorum, cum-
que Sereniſſimis Fratribus inſcripſerim
diverſos Tractatus, nolui Serenitatem
Tuam dimittere, à nobis, ſine Pignore
meæ Obſervantiæ, & propterea hæc quæ
concepi de Magia conſecrare: Deus Ter
Optimus Maximus Serenitatem Tuam
præſervet ab omnibus iſtiusmodi In-
ſultibus diabolicis, non permittat fræ-
num Sathanæ, ut vel vi, vel Dolo, con-
tra illam quicquam ſuſcipiat, & Oculo
ſuo Providentiæ regat, dirigatque omnes
Cona-


Conatus, Intentiones & actus Serenitatis Tuæ, ut quemadmodum me hactenus cum meis faventer complexa fuit, ita porrò in hoc Affectu constanter perseveret.

Exarabam Tubingæ,
Die 8. Februar.
1687.

Serenitatis Celsissimæ

Supplex apud DEUM *Cliens.*

JOHANN-ADAMUS OSIANDER,
D. Cancellar.



Σὺν Θεῷ.

TRACTATIO THEOLOGICA

De

MAGIA.

THESIS I.



EX Occasione Famæ de MAGIA & MAGICIS OPERATIONIBUS acturi, de hoc portento primum omnium inquirere libuit in Nomen ejusque Natales, quos plærique petunt ex Persia, ut voces Satrapa, Gaza, & aliæ id genus, de quo videndus Cœlius Rhodiginius lib. 5. Antiquitatum cap. 2. unde in illa lingua pronunciatur Mog, teste Elichmanno linguæ Persicæ studiosissimo ac Civitatis Lugdunensis in Batavia Medico experientissimo, idque nomen proprium fuit ipsius Zoroastris primi Authoris vel saltem Instauratoris, atque vel designat Sapientem, vel Persam quemvis, ut patet tum ex testimonio Luciani, qui ita: Οἱ καλούμενοι Μάγοι μαντικὸν καὶ θεῖον ἀνακείμενον παρά τε πέρσαις, καὶ σάκαις καὶ μήδοις καὶ παρὰ πολλοῖς ἄλλοις βαρβάροις, tum ex Scaligero, qui scribit Exercitatione 327. Nomen Magi apud Vulgum odiosum facit, Colluviem Impostorum, ut apud Persas nihil aliud, quam sapientem notat, tum ex Cicerone lib. 1. de Divinatione dicente: Magi genus Sapientum & Doctorum habitum, adde Apuleium, Suidam, Laertium, Peucernm & alios, atque secundum Eduardum Pokokium ad Abulfaraii Specimen Historiæ Arabum Alsiranfabio teste, primum auctorem Magiæ fuisse auribus brevibus dictum proinde Mye Gusch, quod Persicè significet Aures breves. latè etiam patuisse, & nomen hoc commune fuisse pluribus gentibus Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ

 thiopiæ

thiopiæ & Ægypti testatur Plinius lib. 25. cap. 11. quod tamen ad usum & significationem pertinet.

II.

Dubitamus itaque *primò*, num vox illa sit Syro-Arabica, ut vult *Ludovicus de Dieu*, qui vocem מגוש Mem accepto pro *heemantico* derivat à verbo גש, quod Syris & Arabibus est scrutari, explorare, ut מגושא sint velut גשושא Exploratores, Scrutatores naturæ rerum, qui & חכמי המחקר *sapientes scrutationis*, quo nomine Physicos designant Rabbini, ut Grammatici illis dicuntur מדקדקים quasi subtiliter & minutatim inquirentes in aliquid, à דקדוק Grammaticâ. Sic abstractum מגושתא rerum naturalium studium, quasi eorum perscrutatio, quæ examen profundum & exigunt, & merentur. Aliâs Physica illis dicitur מעשה בראשית *opus in principio*, per allusionem ad rerum naturalium descriptionem, de quâ *Gen. 1.* Sic Metaphysica ab illis vocatur מעשה המרכבה opificium currus ex capite primo *Ezechielis*. Hinc מרכבה doctrina abstracta ἀναγωγὴ. Astronomos vocant חכמי תולדות *genethliacos* planetarios. Cæterùm originem illam quod attinet nominis *Magorum*, conjecturâ ingeniosâ nititur, & non contemnendâ, reverâ enim גוש est rem velut in ramenta concidere, adeoque profundè meditari à גוש Hebræorum, quod *ramentum* vel *strigmentum* notat. Sic גשושא Syris exploratores. Sic *Luc. 20. v. 20.* versa vox ἐγκάθετος à Syro, quàm *Glossarium* sedulum interpretatur, *Suidas* δόλιον, κατάσκοπον, dolosum, exploratorem, prout *Hebr. 11. v. 31.* in plurali גשושא κατάσκοποι, & κατάσκοπος meritò ἐγκάθετος dicitur, quia οἱ κατάσκοποι ἐγκάθηνται, vel ἐγκεκρυμμένοι, εἰσὶν, & οἱ κρυπτόμενοι ἀποκάθηνται. *Secundò* repudiamus græcam originem atque illorum sententiam, qui vel dictum volunt Μάγον, quasi μέγαν magnum, vel cum *Eustathio*, ἀπὸ τοῦ μάττειν pinsendo vel subigendo Massam, vel ἀπὸ τοῦ μαγγάνου quod paradoxon, vel ἀπὸ τῆς μαγωδίας Mediæ vel Arabiæ Regione cum Epiphanio in Ancorato. *Tertiò* improbamus illos, qui ex Latio hujus vocis Natales arcessunt & quidem à particula Magis, vel cum Isidoro à voce Magnus, qui lib. 8. Originum cap. 9. scribit: Magi sunt, qui vulgo malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Cum per se pateat ludicram esse hanc Etymologiam.

III.

III.

Illud Disquisitionis est, num non probabiliter derivetur hæc vox vel ab Ebræa מעון Robur, vel à Benoni Pihel מכשף quam LXX. exponunt per φαρμακεύεσθαι vel denique à הגה, quæ mussitantem, vel meditantem notat. Audiamus *Spanhemium*, qui ita scribit: Sic מכשף illis φαρμακὸς, φαρμακεὺς. Significatio quadrat, sed elisio τοῦ ף radicalis literæ dura & insolita. Probabilior illorum opinio, qui μάγον sic dictum volunt à verbi הגה particip. *Benoni* in *Hiphil*, מהגה quod propriè meditans, vel mussitans, voce Hebræâ inflexâ ad græcorum nominum terminationem. Datur hîc analogia convenientior tum in formatione nominis, tum in significatione. Τὸ הגה enim in *Kal*, & הגהה in *Hiphil* redditur à LXX. per μελετᾷν, meditari, item per φωνεῖν ἐκ τῆς κοιλίας, *de ventre* quasi *proloqui.* Sic הגה μέλος, ᾠδή. Nec sine ratione hoc verbum adhibetur *Jesa. 8. v. 19.* & prædicatur de præstigiatoribus & incantatoribus. *Quum autem dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & ariolis* vel *sciolis* המצפצים והמהגים *pipientibus & mussitantibus* LXX. vertunt ζητήσατε &c. τοὺς κενολογοῦντας, οἳ ἐκ τῆς κοιλίας φωνήσουσιν. Erant ergò præstigiatores מהגים mussitantes, ἐγγαστρίμυθοι, & ἐγγαστριμάντεις vel στερνομάντεις q. d. *Ventrivates*, vates qui præ se ferebant se dæmonem in pectore vaticinantem habere. Ἐγγαστρίμυθος cæteroquin apud LXX. respondet voci Hebræorum אוב quod *utrem* notat, quasi ex ventre utris instar intumescente & à Spiritu distento loquens. Alibi minùs commodè LXX. vertunt per θελητὸν quasi ab אבה. Sic ἐγγαστρίμυθοι *Jesa. 44. v. 25.* בדים mendaces, qui & חוזי כוכבים *inspicientes astra.* Sic ἐγγαστρίμυθος est LXX. ידעוני quasi sciolus, ariolus, γνώστης & ἐπαοιδὸς, incantator. *Targumim* habent voces מפקין & מחשבין quasi *præferentes* & *cogitantes.* Si enim ebrææ linguæ Antiquitatem attendamus ab Ebræis ad Persas nomen illud fluxisse videtur.

IV.

Prima itaque sui significatione & originis potestate nomen Magi & Magiæ fuit honorificum, unde etiam teste Apulejo Regibus attributum atque secundum Strabonem Magi apud Persas, quod Gymnosophistæ apud Indos, νεκυομάντεις apud Assyrios,

Chaldæi apud Babylonios, τὰς Τυῤῥηνικὰς ὡροσκόπας apud Romanos, & quidem quod Nominis celebritatem auget, dicit talem fuisse Mosen Judæorum Ducem. & *Cælius Rhodingius lib. 5. cap.* 42. Vox Magi inquit Schytis ædificatorem, Persis Sapientem & Sacerdotem, Græcis Speculatorem notat, nec non *Becmannus*, qui scribit: Sapientes suos ita vocabant Persæ Magos, quos Ægyptii appellabant Sacerdotes, Indi Gymnosophistas, Græci Sophos & Philosophos, Galli Druidas, Germani die Pfaffen / & Dialecto Saxonica die Papen/ à Papa. Verum progressu temporis cum ad varias Artes Magi converterentur, divinationes sectarentur, occultas inirent vias, & illicita licitis admiscebant Magiæ & Magorum Nomen illis hæsit, qui fœdere cum Sathana inito maleficia exercuerunt, illudque apud Vulgus odiosum fecit Colluvies Infectorum propter Smerdis proditionem ac infamiam diu infensam, ut *Scaliger* loquitur. Unde *Hieronymus in cap. 11. v. 2. Danielis* commentatur: *Quos, inquit, nos hariolos, cæteri* Ἐπαοιδὰς *interpretati sunt, i. e. incantatores. Ergò videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt: Magi, qui de singulis philosophantur; Malefici qui sanguine utuntur & victimis, & sæpè contingunt corpora mortuorum. Porrò in Chaldæis* γενεθλιαλόγας *significari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Consuetudo autem & sermo communis magos pro maleficis accipit: qui aliter habentur apud gentem suam, eò quòd sint Philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam Reges quoque & Principes ejusdem gentis omnia faciunt.*

V.

Non ineptè itaq; Salmasius Magos dictos vult à Zoroastre, cui cognomentum Mog fuerit. Unde Magus factum. Ex eodem Mog Græci fecerunt Μῶχον quendam Sophum Iliacis temporibus antiquiorem. Magus, scribit alius, vox Persarum est, qui aliquando à Scythis Germanica habent vocabula. Et sanè *Michael Piccartus* Germanos majores nostros Persarum olim fratres fuisse, iisq; primâ origine conjunctos egressos inde post mortem Alexandri M. cum omnia in Asia bellis arderent probare nititur tum ex Religionis Consensu, tum ex Morum Harmonia, tum ex Linguæ Consonantia, tum ex Authoritate Senecæ, qui cum de temeraria humani ge-

generis audacia, multa graphicè dixiſſet, in hæc tandem quoque verba erumpit:

Nil, qua fuerat, ſede reliquit
Pervius Orbis, Indus gelidum
Potat Araxem. Albim Perſæ
Rhenumque biberunt.

Georgius Gentius Not. ad Roſar. pag. 533. Perſis *Cheber*, *Arabibus* Meſchus; *à voce appellatur. Eſt autem Meſchus ipſis Arabibus idem ille, quem Græci Magum vocant; Illis nempe gentibus vates longè antiquiſſimus, qui mortalibus primus Numinis arcana revelâſſe dicitur, ignisque cultum Orienti induxit, cujus ſacra in Perſide, Chaldæa fuere celeberrima, ignem per 4000. annos continuum foverunt, qui tandem ab Omero, tertio Muhammedis ſucceſſore, Perſide ſubacta, extinctus fuit: à cujus ignis vehementia, etiam morbus quidam ardentiſſimus, Perſici ignis nomen ſortitus eſt.* Elegans ejus uſus in ipſo *Musladini Sadi*, *Roſario*, ubi de Providentia Generali & Speciali, pag. 3. author Carmine ita loquitur:

O benefice (Deus) qui ex theſauro recondito
Ignicolis, & ſimulachrorum cultoribus vitæ ſuſtentationem præſtas:
Amicos qui nam deſtituas,
Tu, qui hoſtium curam geris?

De *Mye Guſch* verò cenſent Eruditi, hoc Nomen, in magicæ artis ludibrium excogitatum eſſe, cum Arabum Mos fuerit, ut fictis venuſtè Nominum Etymis, quos deridendos ſuis proponebant, traducerent.

VI.

Etymologiam excipit Synonymia & æquipollens ſignificatio. Dicuntur autem actiones magicæ interdum Sathanicæ, à Sathana illorum Authore, interdum divinatoriæ à divinando, interdum Pythonicæ à Pythone, incantationes, præſtigiæ, faſcinationes, Necromantiæ, curioſitates. Ars atracia, non ab atro colore, ſed Athrace quodam, qui primus Magiam in Theſſalia docuit, obſervante *Beroaldo* in Apulæi aſinum aureum. Græcis *μαγεία Actor. 8. v. 9.* γοητεία, μαγγόματα, τὰ μαγικὰ, ἐπαοιδαὶ ab ἐπάδω incanto, carmine obligo, φαρμακεία, μαντεία, κρύφια, unde κρυφιασαὶ occultorum Cognitores, quomodo Magos Pharaonis Aquila red-

reddidit in græca versione *Exod.* 7. v. 11. λαιςρύγονες, quod infantes, rapiant, coquant & devorent. Hebræis in usu est אוב sive pytho ילעכי sciolus *Levit.* 19. v. 31. נחש Augurium, הוטמים Magi sive Sapientes Ægypti *Gen.* 41. v. 8. מכשפים præstigiatores *Exodi* 7. v. 11. Latinis Magus, Præstigiator, Hariolus apud veteres Romanos Mulieres divinatrices, verretrices dictæ, quod verum divinando tricarent, & divinandi scientiam profiterentur Venefici & Veneficæ, Thessali, Sortiarii, Lamiæ à λαμὸς ingluvies, quod devorare homines antiquis crederentur, vel à famosa illa & crudeli Repina Lamia, Striges à stridore & avibus infaustis dictæ, quas etiam volaticas vocant, fictrices Tertulliano, Massæ à Longobardis in suis legibus, quod in Conventibus suis sese larvis tegant, Sagæ, præsagationis ratione fatidicæ apud Tectosages, quod fatum h. e. perniciem & mortem afferant, Alderunæ, apud Gothos sermone patrio à radice Alraun, Germanis Zaubereyen/ Zauberwerck/ Teufelswerck/ Unholdenwerck/ Verblendung/ Schwartzkünstlereyen/ Schwartzkünsten/ Zauberinnen/ à Zoroastre, secundum quosdam quasi Zoroasterin/ Hexin/ ab Heza, Amazonum Regina, Unholden/ quasi ohne Huld/ denen niemands hold ist/ Trutten vel Truttenen/ vel à Treuwen/ quia hominibus noxia minantur, vel à Druidis veterum Germanorum & Gallorum Doctoribus, qui Druidæ vocati, Wickersen à Saxonico Wicken/ quod idem, als Wahrsager/ Wahrsagerin/ Zeichendeuterin/ Wettermacherin/ Nachtfrauen/ Gabelreuterin/ Zauberweiber/ Geistweiber/ Segner/ Loßleger/ Gifftköche/ Betrieger/ Schweiffer/ Schwartzkünstler/ Crystallenseher/ Planetenleser/ Beschwörer/ Larven. Italis, annara, Imitatrice, strea, striga, magia, faturreia. Hispanis, Bruxa, Elsamadoras, Satiguadoras, Salutatores &c. Gallis Sorciore desvin, discis de bon aventure, Magie Necromantien, Magicien, Necromancien. qualis fuerunt Canidia Horatii, Erisichro Lucani, Martina Taciti & Thessalæ Luciani & Apulæi.

VII.

Dubitamus itaq; *primò*, an *Münsterus* שכשפים à כשף rectè vocarit Magos illos, qui ex Oriente venisse dicuntur in Versione ebræa suâ N. T., quem propterea reprehendit *Maldonatus*, vindicante tamen

men ipſum Caſaubone Exercitatione ſecundâ in Baronium Sect. 10. *Secundò* rejicimus ſententiam *AbenEſræ* & aliorum Rabbinorum, qui Chartummim ad naturalem ſeu bonam Magiam referunt, cum tamen Scriptura prohibeat, vocabulum omnis generis Magos notet, à LXX. Interpretibus nunc vertatur per ἐξηγητὰς, nunc per φαρμακοὺς, nunc per ἐπαοιδοὺς. Denique illos qui vocabulum Mechaſſephim ex radice Chaſaph negant, quemvis denotare maleficum, ſed tantum in hoc ſignificatu uſurpari, *Exodi* 22. cum tamen omne ludibriorum genus complectatur.

VIII.

In Homonymia notamus *primò*, notare quandoque actum ſecretiorem naturalis Notitiæ, quomodo dari Magiam quandam naturalem admittimus, in qua ſeſe jactant maximè Chymici. *Secundò* actum virtute diabolicâ productum, quatenus Sathan aliquid operatur per ſua inſtrumenta in rebus vel perſonis, atque generaliter, vel notat actum præſtigiatorium vel incantatorium, ubi vel fallaciis luditur, vel res incantantis ad uſus aliquot, vel ſpecialiter accipitur de eo actu, ubi veneficia & maleficia ope Diaboli exercentur. *Denique* ſpecialiſſimè illum ſignat actum, qui ab ipſo Sathanâ non interveniente Homine expeditur, ut cum obſidet quosdam, vel aſſiſtit quibusdam atque illos regit, dirigit, opera ſua in illis exercet; hic verò maximè agimus. de illis actibus & in eâ ſignificatione Magiam accipimus, prout per homines exercetur vel ludendo, fallendo, vel veneficia & mala quædam læſiva inhalando, diffundendo, ſeminando.

IX.

Nimium itaque indulſit *primò* ſibi *Thomas Eraſtus*, qui Diſputationum de Medicina nova, *Philippi Paracelſi* parte primâ pag. mihi 132. ſcribens auſus fuit. Perinde urges hanc tuam Magiam naturalem, ac ſi aliqua fuiſſet, aut etiamnum eſſet ars naturalis miraculorum effectrix. At dico tibi talem, de quali nobis ſermo eſt, nec extitiſſe unquam nec extare hodiè. Cumque Firmius Dialogiſta inſtaret. Ergone inficiari audebis, quod tanto Doctorum omnium Conſenſu receptum traditumque eſt, reſpondet *Eraſtus*. Non ignoro à plærisque affirmari duplicem eſſe Magiam, unam, infamem & vetitam, malorumque ſpirituum commercio & ope-

ra

ra utentem γοητείαν & ἐπῳδοὺν vocant, alteram honestam & licitam, quæ observato rerum Consensu & Dissensu (quem Græci συμπάθειαν & ἀντιπάθειαν nominant) conveniente applicatione agentium & patientium incredibilem communemque naturæ ordinem excedentia perficiat. Non nescio etiam quibus hanc Elogiis ornent, apicem, fastigium, perfectionem, consummationem ac finem appellantes Philosophiæ naturalis. Et vellem mihi monstrari, quænam hæc ars esset, quis eam excogitasset, quis coluisset, quibus constaret præceptis & partibus Naturæ fines non egredientibus. Nisi hanc dicas esse, de quâ multa superiori seculo sive annis scripsit *Johan Baptista Porta Neapolitanus*, certò scio te nullam sub Sole ostensurum aliam esse. Adde sequentia. Verum qui Portam unicè existimat hujus Scientiæ promum Condum, ille nescire videtur, quæ *Albertus Magnus*, *Fracastorius*, *Lævinus Lemnius*, *Cardanus*, *Cornelius Gemma*, *Hildebrandus*, *Alexius Pedemontanus*, *Wellerus*, *Digbæus* & alii prodiderunt. *Secundò* illi qui censent cum *Campanella* Artem illam latè ita dictam quam Agyrtæ Okos Bokos vocant, vel à vero vel à ficto Nomine Itali hujus artis mystæ & Mystagogi ad ludicram Magiam esse referendam; Cùm tamen citra omnem collusionem cum Dæmone peragantur istiusmodi opera, solertes quoq; studiosi illius sint gnari, qui tam absunt à Magia, quam à Dæmone & nihil aliud sit illa operatio nisi ars quædam, quâ peculiari quadam Agilitate, Celeritate, & Occultatione miri aliquid facere videntur, & facere se jactant, cum reverâ nihil tale faciant. *Tertiò* illi, qui Effectus etiam veros & reales magicos, maleficia & veneficia diabolica cum *Avicenna* tribuunt homini bene disposito ratione animæ, vel temperamento corporis, & confingunt Crasin quandam ad pondus cum Fulginato Medico, cujus Beneficio ipse Christus miracula patrarit, cum tale temperamentum, quod illi supponunt, non detur, nec si daretur talium effectuum esset productivum.

X.

Præliminariter autem ventilandum est, num scil. de Magia agendum Theologo, num deceat gravem aliquam personam hoc negotium suscipere, num in Ecclesia aliquid de illa præfandum, docendum & dictandum, atque amplectuntur affirmativam Theologi:

logi: Audiamus hic *Voetium*, qui ad quæstionem, num in academicis Lectionibus, Disputationibus aliisque Exercitiis possit agi de Magiâ respondet *primò*: Ut detegatur, refutetur, & juxta cum aliis falsis ac noxiis opinionibus & deceptionibus, immo supra illas omnes, quam odiosissima reddatur, & ut literati rectè de eâ informati, aliquando ex umbrâ scholarum in solem educti, homines pro ratione Spartæ, quam nacti sunt, quam longissimè ab eâ abducant. De JCtis, nemo, ut opinor negabit, qui syllabum titulorum, eminus modo inspexerit; & nomina autorum, quos ex ordine JCtorum supra *part.* 2. citavimus, vel fando audiverit. Nec de Philologis, & Antiquariis, qui in Historicis, Oratoribus, Poëtis, aliisque Autoribus emaculandis, interpretandis desudant: & superioribus facultatibus ancillantur. Multò minus de Medicis & Philosophis, quorum est, proprietates, vires, actiones, passiones naturales rerum, præsertim hominis explicare, easque tum à fictis tum à supernaturalibus distinguere: Qui omnes cum eam prudentiam ac cautelam hic adhibent, quam in explicatione quorumcumque animi corporisque vitiorum adhibere debent; utique rebus noxiis aut inutilibus studiosæ juventutis animos non imbuent. *Secundò* quærit, an conveniat Theologis de magiâ & divinatione, in exercitiis Academicis, & publicis scriptis tractare? *Resp*. Fuerunt aut erunt fortè unus & alter, qui operam & gloriam in mei meorumque laborum insectatione ponere videntur, qui ex obliquo quid obloqui & perstringere velint: an eruditionis & lectionis, an verò caritatis, an utriusque defectu, ego non dicam. Quod si lector in ejusmodi libellos casu fortè inciderit, is meminerit, quæ hâc occasione suggeram. I. Omnes Theologos, quorum bonam partem supra indicavi, mihi hic præivisse. Quod illis laudi ducitur, mihi vitio verti non potest; qui multas chartas, nedum ut omnes meas, illis disquisitionibus non implevi; sed paucarum schedarum diatribâ Anno 1636. hac editione nunc auctâ discipulis nostris conceptus præformavi. II. Abominationem istius peccati, & periculum, quod ex detectione & refutatione illius metuendum sit, non posse Theologis silentium imponere, sed quidem in dicendo & scribendo prudentiam: haut aliter ac in detectione atheismi, idololatriæ, hæresion, blasphemiæ, æquivocationis, mentalis reser-

ser-

ſervationis, perjurii, Machiavelliſmi, falſi & calumniæ, ſacrilegii, aliorumque flagitiorum. Quod ſi comparatio fiat inter nefandas blaſphemias & profanas hæreſes hodiernorum Epicureorum ſeu Atheorum, Libertinorum & ſemi-Libertinorum, Præ-Adamiticorum, Socinianorum, & inter crimen magiæ; ſæpenumero, majus periculum ex illarum, quam iſtius detectione, ventilatione, & convictione metuendum videretur. In peccatis erga ſeptimum præceptum convincendis, eam cautelam adhiberi volunt Theologi, quam haut facile in monelis de tractatione magiæ, & plerorumque aliorum peccatorum invenias. Ratio manifeſta eſt, quia peccata hæc tam ἐνσεῖσματα, ut vix deſcribi queant, quin ob hominum corruptionem apud quosdam doceantur, & ſuſcitentur. *Tertiò*. Non tantum utile eſſe, ſed & neceſſarium, ut Theologi crimen magiæ intelligant, illiusque nefaria axiomata ac myſteria ſolidè confutent, & candidatis theologiæ Academicis exercitiis & ſcriptis pro re natâ prudenter has veritates inculcent. 1. *Quia* theologia textualis, ſeu explicatio Scripturæ hoc requirit: ubi tot loca occurrunt. Nec ſtudioſi theologiæ in curſu Academico prohibentur legere aut conſulere *Commentaria noſtrorum Theologorum* ad loca citata: ubi ſimilia aut eadem habentur, quæ in Academicis lectionibus proponi ſolent, aut poſſunt. 2. *Quia*, theologia didactica locorum communium, & catechetica hoc requirit: quæ ſine explicatione decalogi abſolvi nequit. Ibi autem ad 1. & 3. præceptum de iis agendum eſt, quæ ad crimen magiæ pertinent. Inter Theologos illi ſpecialiter ad hoc tenentur, qui Catecheſi Palatinæ ſubſcripſerunt; in quâ *qu.* 49. mentio fit *magiæ* & *divinationis*. Idem habent *Catecheſes Wittebergenſium* anno 1571. edita, *Brentii, Chytræi*, & *Catecheſis Anglica* anno 1648. concepta ac Parlamento oblata à cœtu Theologorum Londini congregato. 3. *Quia* liturgica hoc requirunt, ſiquidem legenda, examinanda, & conferenda ſint. Ne procul abeamus, vide modo *liturgiam noſtram Belgicam tit. de cœnâ*. 4. *Quia* Theologia elenctica hoc requirit, in controverſiis contra Gentiles, Judæos, Cabaliſtas, Epicuræos, Pontificios; uti ſupra oſtenſum. 5. *Quia* Theologiæ Scholaſticæ tum antiquæ tum hodiernæ Pontificiæ lectio, aut ſaltem deguſtatio, & cum noſtrâ collatio hoc requirit. Inſpiciantur modo *commentationes*

tiones & diſputationes ſcriptorum pœne *ἀναριθμήτων* ad 22. qu. 95. & 96. & *ad* 2. *Magiſtri diſt.*7. 6. *Quia*, Theologiæ patriſticæ & conciliaris lectio aut ſaltem deguſtatio & collatio hoc requirit. *Vide decreta conciliorum*, de magicis ſuperſtitionibus, & de divinationibus, in *epitomâ Caranzæ*, & *in capitularibus Caroli Magni*, *Ludovici*, *Caroli Calvi*, *Tertulliani*, *Auguſtini*, *Chryſoſtomi*, *aliorumq́ Patrum dicta* paſſim obvia ſunt. 7. *Quia* politiæ ac diſciplinæ eccleſiaſticæ, & noſtratium decretorum ſynodicorum in Belgio contra illas ſuperſtitiones intelligentia & defenſio hoc requirit. 8. *Quia*, intelligentia juris canonici, quod Theologi datâ occaſione inſpicere, conſulere, conferre, examinare coguntur, idem requirit. 9. *Quia*, Theologia hiſtorica, ſeu ſtudium hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ubi de hæreſibus & ſectis agitur, occaſionem dat inquirendi de magiâ, divinatione &c. 10. *Quia* repetitio & collatio philologiæ atque hiſtoriæ latinæ, græcæ, hebraicæ, orientalis, quam diligens Theologus nunquam deponere poteſt, ſcientiam hanc poſtulat. 11. *Quia*, repetitio & collatio philoſophiæ ac philoſophorum, quæ erudito Theologo tam neceſſaria, non ſinit eum omnis cognitionis hic expertem eſſe. 12. *Quia*, dubia & caſus conſcientiæ Theologis & Miniſtris toties circa hanc materiam offeruntur, ut raſa tabula hic eſſe nequeant: niſi ſe & autoritatem miniſterii apud domeſticos & extraneos proſtituere velint. Sed objiciat quis, libri magici à Theologis non tantum indecorè & periculosè leguntur, atque inter refellendum citantur; ſed & occaſio objicitur curioſolis quibusdam in illos libros inquirendi, eorumque lectionem affectandi. *Reſp.* Non puto à Theologis ſordes & cloacas librorum magiam docentium, aut defendentium, ſeu excuſantium, multum perreptâri: niſi graviſſimâ neceſſitate urgente aliquem eorum, qui habetur aut haberi poteſt, inſpicere aut conferre cogantur; tantum abeſt, ut libros magicos ſepultos ſuſcitent & in lucem protrahant. Sed objiciant hoc illis, qui blaſphemos libros Socinianos, aut publicè damnatos libros Præ-Adamiticos, aut fanaticos & Libertinicos, aut Cabaliſticos, & Judaicos, aut Muhammedicos, aut Gentiles. Atheos, Epicureos, de novo edunt; aut publicè refutant, aut in ſcholis trivialibus prælegendos cenſent; e. gr. Virgilium, Horatium, Senecæ Medeam, Theocritum &c. apud quos magica

occurrunt; & responsum ab illis exspectent, illudque nostræ causæ analogicè applicent.

XI.

Hactenus *Voëtius*, qui quamvis satiatè dixerit pro affirmativa & luculenter perorarit, ut tamen omne Dubium tollatur nostras quoque subjungimus rationes & argumenta, & *primò* quidem Præsidio est nobis ipsa Scriptura, quæ de Magis, Operationibus & Effectibus illorum disserit, ut patet eunti per Vet. & N. Testamenti paginas, quî itaque Theologo vitio verti potest, si ad illius Ductum quoque hæc expendat, accuratè libret, & quæ in Dictis illis continentur, eruat. Est sanè Scriptura θεόπνευστος, 2. *Timoth. 3. v. 16.* in qua secundum Gregorium Consilia Omnipotentis DEI agnoscimus, est illa thesaurus opulentissimus *Psalm. 119. v. 17.* in quâ secundum Chrysostomum indicibiles divitias invenire licet. Est illa paradisus quidam Voluptatum Spiritus *1. Cor. 2. v. 9.* in quâ relinquit hydriam solicita fœmina secundum Rupertum & omnium obliviscitur præ gaudio aquæ vivæ, quam invenit. Si itaque Scriptura non refugit Sathanæ molitiones, Magorum præstigias, veneficarum ἐνεργήματα nobis adumbrare, quî dici potest περιεργίαν sectari Theologum, qui in hâc parte Scripturæ vestigiis insistit. Sanè qui hâc in parte incusat Theologum, incusat ipsam Scripturam, quam Lucem præviam ille insequitur. Reprehenderunt nostri Theologi fratres Galliæ, qui tempore Augustini vixerunt cum Patre illo augustissimo l. de præd. c. 14. de Bono perseverantiæ cap. 14, 15, 16. & lib. de Correptione & Gratia c. 5. v. 1. nec non Calvianos Bezam, qui in Colloquio Mompelgardensi proposuit: Consultum non esse, coram omnibus de hoc Prædestinationis sc. articulo conferre, nè fortè plures offendantur quam erudiantur, qui illa capere non possunt, adde ea quæ leguntur pag. 310. vel ex solo hoc argumento, quod Dogma hoc in Scripturâ contineatur, adjectis tamen Testimoniis Patrum Augustini lib. de Bono perseverantiæ cap. 14., quî itaque excusent illos, qui Theologos accusant alicujus operæ inutilis in materia præsenti, cum Scriptura pandat fores, cum Lux vialis nobis hîc alluceat. *Secundò* ipse Genius hujus Doctrinæ. Si enim dantur actiones magicæ, & sæpiuscule occurrunt talia, quæ præter naturam Dæmonis

nis vim arguunt, imò Theologi in hoc auctorati sunt, ut Diaboli vim & fraudem, quibus hominibus insidiari & infestare solet, manifestent, quomodo potest inhiberi Tractatio de istiusmodi præstigiis & violentia suscepta. Si necessarium & utile est hostis nosse Technas, ut devites, DEI lenitatem & patientiam, quâ sæpe indulgere solet istiusmodi organis ad longum tempus, si tandem conducit Judicia illius in seducentes & seductos spectare, admirari, expendere & ipsi gloriam dare providi oculi, manus omnia temperantis pro arbitrio, quidni in hâc materiâ fœcundus erit Theologus, fomenta subdet his speculationibus, & Regulas præscribet praxi in processu hoc observandæ. Et quot quæso occurrunt Casus, Dubia & Controversiæ in hâc materiâ nonnisi à Theologo expediendæ. *Tertiò* prævia Lux Exempli in hoc puncto. Præiverunt in Tractatione hujus argumenti ex Pontificiis Theologis *Martinus Delrio Hispanus*, *Benedictus Pererius Valentinus*, *Petrus Thyræus* in Tractatu de obsessis hominibus & apparitionibus Spirituum, *Sylvester de Strigibus*, *Alphonsus à Castro*, *Gregorius de Valentia*, *Adamus Tannerus*, *Claudius Rangolius Crespiensis Vallesius*, *Leonhardus Lessius*, *Antonius de Escobar*, *Mendoza* & alii. Ex Nostris *Balduinus*, *Brochmannus*, *Köningius*, & B. noster *Thummius* in Tractatu de Sagarum Impietate. Ex Calvinianis *Danæus* de Sortiariis, *Lavaterus* de Spectris, *Bullingerus* de Sagis, *Perkinsus*, *Alstedius*, & *Amesius*. Imò B. *Thummius* scribit: Non tam Jureconsultos in foro soli, quàm Theologos in foro poli istiusmodi magica exercere.

XII.

Hactenus de Nomine sufficienter diximus, nunc ad Rem ipsam, probaturi, primò dari actiones magicas, existere illas in rerum Natura, & quandoque à Magis sive Diabolo devotis hominibus produci. Nam *primò* Scriptura docet dari Magos, producit præstigiatores Pharaonis in Ægypto, qui similia Mosis miraculis in convertendis baculis in serpentes patrasse leguntur *Exod. 7. v. 11, 12, 22. cap. 8. v. 7.* in quibus eminebant Jannes & Jambres Talmudicis non ignoti, quorum Amentia tandem ἔκδηλος facta est omnibus, ut Paulus dicit *2. Timoth. 3. v. 9.* Bileamum sistit, quem Magum fuisse Moses docet *Num. 22. v. 23, 24. cap. 21. v. 1.* Mulie-

rem pythonicam exhibet, quæ Sathanæ ope produxit umbram Samuelis Sauli 1. *Sam.* 28. *v.* 7. & 8. Simonem Magnum ſignat, qui Samaritanos præſtigiis magicis ad tempus deluſit & detinuit, ut etiam illum magnam DEI virtutem dixerint, qui tamen μαγεύων *Actor.* 8. *v.* 9. Elimam jungit in illis ipſis *Actis cap.* 13. *v.* 6. & 8. qui in utroque verſu μάγος apertè dicitur, de puella refert, quod Spiritum pythonicum habuerit *Actor.* 16. *v.* 16. meminit illorum qui curioſa ſectati, librosque comportarunt & ignibus exurendos ſubjecerunt. *Secundò* prohibet Magiam *Exod.* 22. *v.* 18. ſeverè denunciat maleficos ſive maleficam non patieris vivere *Lev.* 19. *v.* 31. prohibet nè declinetur ad Magos, ad Oboth, nec ab hariolis aliquid ſciſcitentur Iſraëlitæ, ut potiantur, per eos *Levit.* 20. *v.* 6. leguntur hæc: Anima quæ declinaverit ad Magos & Ariolos ad Oboth & Ideonim & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam de medio populi, & *verſu* 27. in fine Capitis hæc habentur. Vir ſive Mulier in quibus pythonicus vel divinationis fuerit Spiritus, in quibus fuerit Ob aut Ideoni morte moriantur, lapidibus obruent eos, ſanguis illorum ſit ſuper illos. *Deut.* 18. *v.* 10. & 11. Deus ita loquitur: Non inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ducens per ignem, aut qui Ariolos ſciſcitetur, qui arioletur ariolationes, & obſervet ſomnia meonnen, atque auguria, nec ſit maleficus aut incantator, neque qui pythones conſulat, nec divinos & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc, ſive omnes enim qui faciunt hæc, abominatur Dominus, & propter hujusmodi ſcelera ſive abminationes delebit eos in introitu tuo. *Tertiò* in Cenſum peccatorum refert Magiam incantationem & ſimilia ſcelera *Gal.* 5. *v.* 20. Veneficia Paulus dicit excludere cœlo, non agentes pœnitentiam ab homicidiis ſuis, & à veneficiis ſuis, & à fornicatione ſuâ, & à furtis ſuis longanimitate Dei ſervatos ab interitu *Johan. Apoc.* 9. *v.* 21. Tumidis & veneficis comminatur æternum Exitium, Mortem ſecundam *Apoc.* 21. *v.* 8. & tandem veneficos ablegat, ut cæteros extra civitatem *Apoc.* 22. *v.* 15. nec tantum in N. T. peccati reos agit Magos, ſed & 1. *Sam.* 15. *v.* 23. ipſis interminatur Exitium *Micha* 5. *v.* 12. *Nahum.* 3. *v.* 4. *Malach.* 3. *v.* 5. & tandem reos agit Jezabelem incantamentorum 2. *Reg.* 9. *v.* 22. Iſraëlitas divi-

nationi,

nationi, sive divinationibus inservientes & auguriis 2. *Reg.* 17. *v.* 17. Manassem 2. *Chron.* 33. *v.* 6. Babylonios *Esaia* 47. *v.* 9. & 12. Edomitas, Moabitas & Ammonitas *Jeremia* 27. *v.* 9.

XIII.

B. noster *Thummius* multis hoc ipsum persuadere conatus est argumentis, tum ex Scripturæ Testimoniis, tum ex proprietate Regni Sathanici, tum ex Jure Canonico & Civili, tum ex Historiis profanis, tum ex Consensu Doctorum omnium Facultatum, quæ videri possunt apud ipsum in laudato Tractatu pag. 2, 3, 4, 5.

XIV.

Profanos ergò dicimus *primò* illos, qui vel directè magicas actiones inficiantur cum *Plinio*, & dicunt, *Neronem* omnia illa umbrarum Colloquia & cætera, ætate suâ principem vana falsaque compertum fuisse, qui tamen non habuerit parem validius arti huic faventem. videatur lib. 30. caputq; ejus secundum & libro vigesimo sexto c. 4. ridet Asclepiadem, quem supra omnia adjuvere magicæ vanitates in tantum evectæ, ut abrogare herbis fidem cunctis possent. Æthiopide herba, amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri, Achimenide conjecta in aciem hostium, trepidare agmina ac terga vertere, Latacem dari solitam à Persarum Rege Legatis, ut quocunque venissent omnium rerum copia abundarent, ac multa similia quæ omnia & singula ibidem refutat. Sequuntur hunc *Petrus Pomponatius*, *Anabaptistæ*, *Quakeri in Angliâ*, *Reginaldus Scotus* peculiari libro impugnans magicas actiones. Nec longè abit *Cardanus*, qui ita: *Sed cur Dæmoniaci quidam esse videntur? Accidit hoc divisa luce velut in striatis subtiliter columnis ac fractis speculis: nam in columnis lux divisa, & in speculis plures repræsentat imagines quæ cum diversæ videantur, accidit eis quod & oculo altero depresso: nam una res duæ esse videntur, quoniam oculus eandem rem, & altam & depressam simul esse non posse rectè dijudicat, ob id duo existimat, quæ unum sunt nec plura, quia plures esse oculi non possunt: at in anima lux illa cum innumeras patiatur divisiones, ob id mens multiplicata, & spiritus immundi etiam innumeri inesse creduntur, ut non negaverim fucum subesse multis, aliquibus etiam Dæmonem adesse, sed quod frequentius contingit, expono, ob id igitur exorcismis potius quam* me-

medicinis sanantur, nam anima, fide ut diximus, & imaginatione regitur ac permutatur. Palam enim est, plurimos ex eis verbis non sacris, sed prophanis liberari. Dum verò sic moventur & halitu fœdo caput tentatur, simile quid patientibus comitiali morbo, ob id in mulieribus frequentes, ob uteri corruptiones. Sed cur Dæmoniaci videntur aliqua cognoscere quæ antea nesciebant? facta divisione, si non colluceant partes, Dæmoniaci fiunt stupidi, & amentes: si verò quasi animus inflectatur, ut de columna striata diximus, in cæteris sunt prudentes, ob imaginum autem multitudinem Dæmoniacos se esse putant. Ergo in tam multiplici imaginum apparentia illud idem accidit, quod in nebularum varietate, & plumbi colliquatione, cum in aquam postmodum projicitur, namque figuræ diversæ, atque admirabiles animalium, plantarum, hominum, instrumentorumque emergunt, aliarumque rerum visu quidem delectabilium, sed incognitarum: unde cum motus, & jam illis quasi in circulo accedat, varietates penè infinitæ exurgunt: ab hac igitur formarum multitudine & mentis communis auxilio futurorum, & aliorum incognitorum accedit notitia, verum si mens non coadjuvet, ut plerumque fit, multa dicunt, sed falsa pleraque: necesse est enim, ut in frequenti talorum jactu, etiam casu divinare. Esse autem hunc motum, & hanc simulacbrorum multitudinem declarat inquietudo illorum, sermonisque abrupta series, & sine sensu ac ratione edita. Porro qui fractam habent illam animi specularem levitatem, tum lumen, nunquam sanitati restituuntur: qui autem inflexam, plenè sanantur. Conquiescunt autem motiones hæ, cum motus spirituum sedatur, nam opinio quidem manet, sed affectus vexatio tollitur. Insanior *Julius Cæsar Vaninus*, qui ita censet: Nonne sub æstivo sydere quotidianis constat experimentis, æstuosa febre correptos extranei idiomatis voces edere? generosum, meracissimumque vinum affluenter haustum, homines quamlibet stupidos, disertos reddit, quod benè novit Horatius, cùm scripsit:

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Sic in Thraciæ Regione adytus erat Libero sacer, ex quo vaticinia & oracula reddi solebant: at ejus templi Antistites, nonnisi vino affatim epoto, res peragebant: acuit sanè mentem vini calor, sopitosque spiritus expergefacit, qui in cerebrum delati, quæ in ejus latebris voces delitescunt, in apertum proferunt: quapropter

pter Apostolos variis linguis loquentes veteres Philosophi cùm exciperent, ebrios temerè dixerunt, ut D. Lucas his testatur verbis: *Alii irridebant eos, dicentes, quia musto pleni sunt.* Pari ratione ubi melancholici morbi vis & impetus cerebri sinus impleru nt, mentemque ac spiritus cùm vitales, tùm animales concitare cæperint, eas proferunt voces, quæ in intimo recessu latitabant. Vel indirectè cum *Petro Apono* Medico Spiritus quosdam extare in rerum Natura negant, cui associamus *Sadducæos*, *Epicuræos*, *Atheos*, *Democritum Abderitem*, *Bernhardum Ruswich* & alios, *Alciatum*, *Neapolitanum* quendam, de quo *Bodinus* in Præfatione Dæmonologiæ, *Guilelmum Linensem*, vel denique meras Illusiones censent cum *Wiero*, *Vlaetio*, *Callidio Loseo* Theologo Gudano, qui tamen revocavit Errorem hunc, cujus Revocatio habetur apud *Delrium Disq. Magicarum libri 5. Appendice pag. mihi 823. & seq:* Ego *Cornelius Loseus Gallidius* Goudæ oppido Hollandiæ natus, nunc ob tractatus aliquot, *de vera & falsa Magia*, sine scitu & permissione superiorum hujus loci, temerè & præsumptuosè scriptos, à me communicatos, deinde ad imprimendum Coloniam missos: in *Imperiali Monasterio S. Maximini prope Treviros*, ex mandato Reverend. ac Illustriss. Domini Nuncii Apostolici, Domini *Octavii Tricaricensis Episcopi*, arrestatus, atque detentus: cum certo sim informatus in supradictis libris, nec non in Epistolis quibusdam meis, eadem de re ad Clerum & Senatum Trevirensem, aliosque clam missis (ad impediendum executionem Justitiæ, contra magos & veneficas contineri multos articulos, qui non solum erronei sunt & scandalosi, sed etiam suspecti de hæresi, crimenque læsæ Majestatis sapiant; utpote seditiosi & temerarii, contra communem Doctorum Theologorum sententiam, decisiones ac bullas summorum Pontificum, contra praxim & statuta legesque magistratuum ac judiciorum, tum hujus Archidiocesis Trevirensis, tum aliarum Provinciarum & Principatuum: idcirco eosdem articulos, prout ordine hic subnectuntur, revoco, damno, rejicio, & pro non dictis atque assertis à me haberi volo. 1. Inprimis revoco, damno, rejicio ac improbo (quod sæpè scriptis verbisque pertinaciter apud multos asserui, quodque tanquam hujus disputationis meæ caput ac palmarium esse volui) nimirum phantasticum esse,

& tanquam superstitionem vanam pro figmentis habendam, quæ de corporali magorum & sagárum evectione sive translatione scribuntur: tum quod hæreticam pravitatem prorsus suboleat; tum quod seditionibus hæc opinio admixta, proindeque læsæ Majestatis crimen sapiat. 2. Nam (quod secundo loco revoco) missis ad diversos clam litteris, contra magistratum pertinaciter absque solidis rationibus divulgavi, cursum magicum falsum esse & imaginarium; asserendo insuper torturæ acerbitate miseras cogi ea fateri, quæ nunquam fecerunt, dura laniena sanguinem innoxium fundi, nova alchimia ex humano sanguine aurum & argentum elici. 3. Ex quibus & id genus aliis, partim in vulgus per privata colloquia, partim diversis ad utrumque magistratum datis epistolis, Superiores ac Judices apud subditos Tyrannidis notavi. 4. Et consequenter cum Reverendissimus & Illustrissimus Archiepiscopus & Princeps Elector Trevir. non solum magos & sagas in sua diœcesi suppliciis dignis affici sinat: sed etiam leges de ordine sumptibusque judiciariis maleficarum ediderit; inconsulta temeritate præfatum Electorem Trevirensem Tyrannidis tacitè insimulavi. 5. Revoco præterea ac damno conclusiones hasce meas: non esse maleficos, qui Deo abrenuncient, dæmoni cultum exhibeant, tempestates inducant, opera diaboli, & similia opera perpetrant, sed omnia esse somnia. 6. Adhæc magiam non dici maleficium, nec magos maleficos, & locum *Exod.* 22. (Maleficos Non Patieris Vivere) intelligi de iis, qui veneno naturali naturaliter applicato occidant. 7. Pactum nullum esse, nec existere posse inter dæmonem & hominem. 8. Dæmones non assumere corpora. 9. Vitam *Hilario.* à D. *Hier.* scriptam non esse authenticam. 10. Nullum concubitum dæmonis cum homine. 11. Nec dæmones nec magos posse tempestates, pluvias, grandinem, &c. ciere, & mera esse somnia, quæ de his dicuntur. 12. Spiritus ad formam à materia separatam posse videri ab homine. 13. Temerarium esse adfirmare, quod quidquid dæmones possunt etiam magi possint eorum opera. 14. Sententiam illam, quod dæmon superior inferiorem possit expellere, esse erroneam, & inferre injuriam Christo. Luc. XI. 15. Pontifices in suis bullis non dicere, quod Magi & Malefici talia opera perpetrent. 15. Pontifices Romanos dedisse

dedisse facultatem inquirendi in maleficos, ne si contra fecissent, ficte magiæ insimularentur, quemadmodum antecessores eorum aliquot vere magiæ fuerunt insimulati. Has omnes & singulas assertiones cum plurimis calumniis, mendaciis & sycophantiis, in magistratus tam sæculares quam Ecclesiasticos, petulanter & inverecundè, falsoque profusis: quibus scripta mea de magicis scatent: expresè, scienterque condemno, revoco, atque rejicio: veniam de commissis à Deo & superioribus obnixè petens, & sanctè promittens, quod inposterum nihil horum docebo, promulgabo, defendam, vel asseram, nec verbo, nec scriptis, per me vel alios, quocumque locorum me venire contigerit. Si contra fecero, subjicio me, exinde prout ex nunc omnibus pœnis juris contra relapsos hæreticos, refractarios, seditiosos, reos læsæ Majestatis: injuriosos sycophantas publicè convictos, nec non & in perjuros statuas. Submitto me quoque correctioni arbitrariæ, tam Archiepiscopi Trevirensis, quam aliorum quorumcunque magistratuum, sub quibus me degere contigerit, quique de meo relapsu & violata fide certiores facti fuerint, ut me pro meritis puniant in honore ac fama, bonis ac corpore. In quorum omnium fidem hanc meam præfatorum articulorum revocationem propria manu subscripsi, in præsentia Notarii & testium. *Sic subscriptum.* Cornelius Looseus *Et denuo subscriptum.* Acta sunt hæc *in Imperiali Monasterii S. Maximini* extra prope Trevirim *in Stuba Abbatiali*, ibidem coram Reverendissimo, Reverendis, Venerabilibus & eximiis Dominis, Domino *Petro Binsfeldio* Episcopo Azotensi, Reverendissimi Archiepiscopi Trevir. Domini nostri clementiss. in spiritualibus Vicario generali & *Reinero* dicti Monasterii Abbate, *Bartholomæo Bodegemio* Delphio I. V. L. Curiæ Ecclesiasticæ Trevir. Officiali, *Georgio Helffensterio* SS. Theolog. Doct. Ecclesiæ Collegiatæ S. Simeonis, in civitate Trevir. Decano, & *Joanne Golmanno* I. V. Doctore, dictæ Ecclesiæ Canonico, & curiæ Trevir. sigillifero &c. *sub anno Domini 1592. more Trevir. die Lunæ 15. mensis Martii* in præsentia mei Notarii infrascripti, & honestorum *Nicolai Dolert*, & *Danielis Majer*, Reverendi Domini Abbatis respectivè Secretarii & Scribæ, testium ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum. *Subscriptum Adamus Hæc* Tectonius, Notarius. *Et inferius*, Collascopus

tum cum ſuo originali repertum concordari per me infraſcriptum Secretarium oppidi Antuerpienſis. G. KIEFFEL. Unde quamvis Toleti Schola fuerit Magorum, tamen quosdam effusè riſiſſe, cum de Magis aliqua quæſtio haberetur totumque fabulam dixerunt, quicquid de illis diceretur, ut etiam *Cardanus* ſcripſerit lib. 15. de Varietate rerum. Qui naturæ principiis inſiſtunt, talia ut fabuloſa irrident.

XV.

Secundò rationes quibus innituntur vanas eſſe cenſemus. Dicunt enim alias eſſe poſſe cauſas, ut nequaquam ad ea neceſſaria dæmonum opera videatur. Et multas quidem comminiſcuntur, quibus credi poſſit natura communis vinci, & res admirabiles ac ſtupendas effici. Vires enim rerum occultas eſſe, & ignorari à vulgo: à doctis autem & exercitatis tantum intelligi. Nam in magnete, inquiunt, ruſticus & ignarus mirabitur, rem ſtupidam & hebetem poſſe ferrum attrahere, & clamabit, opus eſſe Magicum. Deinde addunt, hominem ſummum eſſe inter res mundanas, & ex vi quadam, & proprietate individuali ſæpe mira quædam ex ſe fundere: quale illud eſt, quod Veſpaſianus ſputo curavit cœcum: & contactu pedis reſtituit claudum. Adhæc addunt, tantam eſſe vim phantaſiæ, ut concutiat ſæpè, & tremefaciat totum corpus, & immutet, vel ad frigus, vel ad calorem, ut in timore & iracundia fieri conſuevit. Et Avicenna ait, ſi quis in ſublimi trabe ambulet, eum facilè corruere, quod phantaſia graviter moveatur, & ille ſe putet omninò caſurum, ac ideo titubet & labaſcat. Nec tantum noſtrum ipſorum corpus hujusmodi phantaſiæ commovent, ſed etiam alienum. Ita enim veneficæ mulieres inficiunt eos, quos fixis oculis contuentur. Quare, inquit, cum iſta naturalibus rationibus poſſint fieri, nihil opus eſt dæmonibus. Addunt præterea, omnia iſta quæ videmus accidere ſtupenda, & mirabilia, revocari poſſe ad corpora cœleſtia: Deum enim & intelligentias poſſe iſta efficere: non tamen ſine aliquo medio, ſed per cœleſtes ſphæras, & ſydera. Itaque nihil opus eſſe dæmonibus. Quædam tamen fatentur eſſe, quæ non poſſint ulla naturali ratione conſtare: qualia ſunt, excitare mortuos, & plura ejus generis. Sed ea quoque ſi urgeas, reſpondebunt eſſe fabuloſa, πεϱάσματα, ab hominibus ſapientibus conficta. Plato enim Republic. ait, publici alicujus

com-

commodi causa licere mentiri. Alii ista referunt ad humores humani corporis, & præsertim ad μελαγχολίαν. Aristoteles enim in Problematis section. triginta, ait Sibyllas, & Imperatores præstantes, & magnos Philosophos, fuisse melancholicos. Et addunt fuisse quosdam, qui ita affecti loquuti sint repente multis linguis, quas nunquam didicerant: eosque postea curatos à Medicis ita loqui desiisse. Hæc illi. Mercurius trismegistus, ut refert S. Augustinus de Civitate Dei libro octavo capite vigesimo tertio, negat, ullos revera esse dæmonas. Ait enim Deum fecisse Deos, & mentes à materia secretas, à quibus incitantur orbes: Deinde homines sibi quoque fecisse Deos. Respondet Asclepius, Puto te statuas dicere. Est ita, inquit Mercurius. Sed statuas intelligo ita ad quosdam aspectus syderum accommodatas, ut loqui possint, & homines sanare, & morbis affligere, & miracula edere: quæque sint animo, sensu, & spiritu præditæ. Alexander Aphrodisæus ait, vim quandam divinam fusam esse per universam, quæ possit omnia efficere: sed eam oportere prudenter contrahi ad effecta singularia. Ut enim videmus accidere in Sole, ut, quamvis ejus calor sit communis vita rerum omnium, tamen ex eo variè accommodato alia, atque alia effecta producantur: (nam ex vite uvam procreat, ex arbore poma) ita, si vis illa, diffusa, ab hominibus sapientibus per herbas, & lapides convenienter contrahatur, effecta sequentur admirabilia, & quæ naturæ vim atque potentiam hominum judicio exuperent. Sed illi quidem hactenus.

XVI.

Ast hæc omnia non stringunt. Possunt, inquiunt, quæ de Magis prædicantur, fieri ex causis naturalibus. Fateor equidem *primò* causas naturales sæpe magnas esse, & reconditas, & multa portentosa efficere: Sed hæc effecta, quæ nos dicimus, statuas loqui, & responsa dare, & voces humanas distinctas edere, futura etiam prædicere, eaque non quævis, sed retrusa atque abdita, hominem rudem & imperitum repente didicisse artes, & scientias, Græcè, Hebraicè, Syriacè loqui, & Philosophorum ac Poëtarum sententias citare, qui nec linguas eas didicerit, nec Poëtas aut Philosophos attigerit, ambulare invisibilem, res procul positas commovere, funalem longè dissitum extinguere, procellas

tempestatesque ciere, solo verbo figurisve aut characteribus, quæ suapte natura nihil conferant: quibus velint perniciem creare, terrere spectris, manes elicere, sublimes in aëre ferri; ista, inquam, majora sunt quàm ut ea naturæ vis aut artis ulla facultas præstare possit. Quin etiam Magi, qui ista faciunt, adhibent preces, incantationes, adjurationes, imperia: in quibus certè nulla est vis efficiendi naturalis: adhibent etiam lineas characteres, & circulos: quæ sunt in genere quantitatis. At quanta à Philosophis nunquàm numerata sunt inter agentia. *Secundò* Temperatura corporis humani magnas habet vires: fateor: at non tantas, & oporteret adhiberi contactum. *Tertiò* Imaginatio multum potest. Est ita: sed in suo cujusq; corpore. At ne in suo quidem corpore quisquam, quantumvis licet phantasiæ nervos intendat, potest omnia. Nam si cui brachium aruerit, & nervi ita contracti sint, ut per eos Spiritus permeare non possit, adhibeat quàm velit magnam imaginationem, illud non curabit. De fascino ita non est ita mirum. Nam in vetulis mulieribus humores corrupti desident. Illi revocati ad oculos facilè obvios inficiunt, præsertim pueros, & infantes, quorum corpora sunt quodammodo cerea. Sed sunt alia quæ vim omnem fascinorum superant: ut cùm sagæ absentes nullo manifesto contactu cruciant; cùm Magi Pharaonis admiranda metamorphosi aquam quidem fluminis cum cruore, virgas autem suas cum lentis colubris commutarunt: cùm Vespasianus sputo cæcum, claudum pedis ictu temerario pristinæ valetudini restituit. Si tamen quisquam vera esse putet quæ de eo narrantur. Apparet siquidem odio Christianæ religionis, quæ tum miraculis omnium sibi favorem conciliabat, ea falsò conficta esse. Quæ, ut vera esse demus, quamobrem naturæ nostræ dignitati tribuant planè non video. Nam quî factum dicemus ut is solus, & quidem semel, tantum potuerit? An si qua naturæ prærogativa est, non debuit illi cum reliquis esse communis? Cur itaque non item plerique alii? Cur idem ipse non alias? Quippe insita vi hoc fecit, aut arte atque industria. Si priore modo, perpetua esse debuit: sin posteriori, cedo quibus pharmacis usus sit, ut quantum natura valeat nos quoque periclitemur. Sed hoc negant Historici: & ut dæmonis figmentum esse intelligas, ut id ab eo peterent, per quietem docent fuisse admo-

mo-

monitos. An fortè Vespasianus hoc quoque illis præstitit? Quinimò idem fictæ curationis, qui & insomnii habendus est artifex. At illud quam inane & frivolum quod objiciunt, Deum & intelligentias omnia posse: horum autem vires per orbium cœlestium canales ad nos derivari. Nam si ita est, cur rara sunt miracula? quid Magis arte opus est? quid lapillis, suffitu, radiculis, quid varii generis typis & characteribus? An sine his numen explicare radios suos non poterit? Quid illud, quod cùm ne ista quidem per se quicquam promovent, non Deum aut intelligentias invocant, sed dæmonibus sacrificant? quos cùm illi horrendis carminibus elicuerint, præsto adsunt, non raro aspectabiles, & quæ rogantur aut mentiuntur, aut præstant. Quæ non pauci neque vulgares usu tractandoque cognovere ea si negare pergas, communis sensus expers videbere. Verum quidem est cœlorum ministerio ac famulatu perferri ad nos pleraque Dei beneficia, & per eosdem lapillis, radicibusque occultas vires infundi: sed ea ut Magi noverint, & ad ea applicent, ad quæ conferunt, dæmonum beneficio consequuntur. Neque enim complura horum suo marte explorarunt. Neque porrò pars maxima vera sunt, quæ illis ascribuntur. Nam cùm eadem quilibet alius nactus erit, si tentet uti, frustrà conabitur. Pleraque enim per seipsum dæmon efficit, aut adhibet, cùm celeri motu vigeat, & ocyus in omnem partem feratur. Officula autem figurasque & portenta verborum, quibus habere se fidem simulat, tanquam fœderis symbola jubet admoveri. Quid cùm ipsi dæmones manes mentiuntur, & eorum nomine apparent? quid cùm homines per aëra sublimes vehunt, àc pene nubibus inserunt? an ne tum quidem opera dæmonum hæc fieri concedemus? Respondent ista esse tantùm περιπίσματα quædam, excogitata à viris prudentibus, quibus populus contineretur in officio. Verùm nos scimus nihil esse fictum aut commentitium in Scripturis. Illæ enim *sunt columna & firmamentum veritatis*. At humores in humano corpore multum possunt, & veteres θεῖόν τι melancholiæ tribuerunt, & observat Avicenna ab iis, qui eo morbo laborant, multa patrari, quæ vulgus dæmonibus ascribat. Hæc illi. Quantum porrò μελαγχολικὸς χυμὸς differat ἀπὸ τῆς μελαίνης χολῆς, tradunt Medici: nec dubito qui hæc objiciunt de posteriore

loqui,

loqui, quæ ſpecies quædam eſt τῆς παραφροσύνης, & à Medicis definitur *deſipientia ſine febre, timorem & mœſtitiam ſine cauſa inducens.* Ea verò nonnunquam toto corpore ſpargitur, nonnunquam ſolis hypochondriis inſidet, aliàs cerebrum occupat: eſtque ea ſævior & contumax, & remedia plerunque ſpernit. Febre autem caret tantiſper dum is humor frigidus, & ſiccus manet. quod ſi flavæ bilis illum flamma corripiat, febre incenditur, nec jam μελαγχολία, ſed μελαγχολικὴ ἔκστασις, hoc eſt σφοδρὰ ἢ θηριώδης, nuncupatur. Utraque porrò phantaſiæ tenebras offundit: & cùm ſimulacra rerum, quæ in eadem inſita ſunt, temerè inter ſe committat, non leves tragœdias excitat. Unde poſtea ſequitur, ut non illa modo imaginandi vim perturbent, ſed ipſam quoque deinceps mentem de ſtatu ac ſede dimoveat. Quod ubi contigit, & nulla jam ratio aut pudor naturam cohibet: tum illa vires quàm longè latèque porrigi poſſunt, exerit, & multa tentat & audet quæ ſani mirentur: ſed nihil horum corporis vires ſuperat.

XVII.

Sic nihil in circo Naturæ eſſe, quod ſubſtitui poſſit magicis actionibus facile patet. non abditæ cauſæ naturales, quia quicquid reconditum, id ita reconditum, ut nulla noſtra opera intercedat, aut quicquam hîc cauſetur, vel etiam ſignet. non temperamentum, illud enim ſecundum *Fernelium* eſt propago & ſoboles permiſtionis, concentus quatuor qualitatum, ſecundum *Fuchſium*, ſecundum *Avicennam*, qualitas ex mutua contrariarum qualitatum actione terminum quendam, metamvè ſortita reſultans. At quocunque modo ſumas, non poſſunt in illud reduci magicæ actiones, cum Temperamentum ultra vires naturales non agere ſoleat. Non denique Imaginatio, cum regulariter Munus illius ſit, res externis ſenſibus perceptas etiam abſentes cognoſcere, easque componere & dividere. Quanquam autem *Piccolomineus* lib. de Senſibus internis cap. 11. duodecim officia phantaſiæ recenſeat, ad nullum tamen operationes iſtæ referri poſſunt. Videatur *Themiſtius* 3. de Anima cap. 10. *Alexander Aphrodiſæus* lib. de Anima cap. de Phantaſia. *Vitus Amerbach* lib. 2. de Anima capite ultimo. *Hurtad.* diſp. 17. de Anima ſectione 7.

XVIII.

Quapropter *primò* Effecta dari magica constat ex ipsa horum operũ natura & indole, quid enim quæso est statuas loqui & responsa dare, & voces humanas distinctè edere futura etiam quævis prædicere &c. quam Spiritus cujusdam opera. *Secundò*, si modum spectemus, quibus hæc peraguntur à Magis, adhibent enim preces, incantationes, adjurationes, imperia &c. *Tertiò*, si respiciamus ad Effecta ipsa, quanquam enim imaginatio multum possit tamen vis illius terminantur in corpore imaginantis, imò ne in suo corpore quisquam quantumlibet nervos phantasiæ intendat, omnia potest. *Secundò*, si hoc subsistat, cur rara sunt miracula, quid Magis opus est. Utcunque ea res se habeat, haud dubiè à dæmonibus complura, quæ vires nostras superent, nullo negotio perfici possunt. Quod autem quidam provocant ad Neronem & Julianum nihil conducit. Cur enim in Neronis, & Juliani gratiam nihil præstare potuerint, nos quidem latet; Deum autem nihil præterit, qui dæmonis vim ac potestatem quibus placet terminis circumscribit.

Vinclis, inquit ille, *ac carcere frænat.*
Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Nam quod multa Magi præter consuetudinem miranda edere possint, haud difficilè probari potest ex lege Dei. Num. 24. Exod. 20. Levit. 18. Deuteronom. *Magi, Arioli, malefici, jubentur affici ultimo supplicio.* Idem etiam decernitur humanis legibus. Nam in 12. tabulis cavetur, Ne quis fructus alienos excantassit. Cujus rei & Plinius mentionem facit, & Seneca de quæstionibus natural. leges autem non feruntur, nisi de rebus, quæ existunt, & solent evenire. *In Cod. de malefic. & Mathemat.* extant de hac re complures leges, & maximè Constantii, quem certum est in Imperio Collegam habuisse Julianum: & fortasse ejus nequitia (certum enim est, Julianum multum hujusmodi ineptiis tribuisse) illis legibus tangebatur. In illis autem legibus ita statuitur: *Si quis maleficus accesserit ad alienam domum, ut cremetur: qui deduxerit, deportetur in insulam:* ut feriantur gladio: ut abjiciantur ad bestias, quasi qui velint turbare humanum genus. *In Decretis 26. quæst. 5.* nihil aliud

agitur. *Extra* est titulus nominatim *de sortilegis*. Tot leges nunquam fuissent latæ, nisi certò constitisset, Magos, & maleficos aliquid posse conari. Et David Psalm. 58. *Venenum*, inquit, *illorum tanquam venenum serpentum: sicut aspidis surdæ obturantis aures suas: quæ non exaudiet vocem incantantium, nec venefici incantantis quantumvis sapienter.* Non laudat David his verbis excantationem, sed haud dubiè ostendit, esse vim quandam excantandi. Deuteron. 13. *Si quis Propheta fecerit signa, & portenta, & velit te abducere ad Deos alienos, non parces illi: manus tua erit super eum.* Et Matth. 24. *Venient Pseudoprophetæ, & Pseudochristi, & dabunt signa, ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* Et ad 2. Thess. 2. Paulus ait, adventum Antichristi fore in potestate, & signis, & prodigiis mendacii. Historiæ quoque hoc docent, non tantùm sacræ, sed etiam profanæ. In Jobo Diabolus deduxit ignem de cœlo, & perdidit greges, excitavit ventos, & concussit quatuor angulos domus, & filios Job oppressit. In Evangelio multi correpti sunt à dæmonibus, & afflicti ad terram, & abjecti in ignem. Alii cum multi essent, & unum hominem occupassent, dicebant se esse legionem, & impetrarunt, ut mitterentur in porcos: & eos egerunt præcipites in mare. In historiis Ethnicorum, simulacrum Fortunæ bis loquutum est: semel se rectè esse collocatum: Deinde se bene esse cultum. Tuccia Vestalis, ut dilueret suspicionem stupri, aquam gessit in cribro. Claudia ea de causa navem, in qua vehebatur Bona Dea, hærentem in arena, ut nulla vi humana moveri posset, zona tantum commovit, & attraxit ad ripam. Serpens Romam usque sequutus est Æsculapium. Plinius ait, olivetum Vectii Marcelli transisse publicam viam: & segetes sæpe vi Magica in locum alienum demigrasse. Hæc omnia fabulosa esse dicere, hominis esset nimium impudentis: præsertim, cum hujusmodi quædam constent nobis è sacris literis. Actius Nævius novacula dissecuit cotem. Quid multa? infinitum esset omnia colligere, quæ de hac re dici possent: *Tertiò* largimur humores multum posse in corpore humano. Verum observat *Laurentius Medicus* de Morbis Melancholicis c. 6. de perturbationibus melancholicis, & insomniis, pariter sentiendũ esse. Ut enim quædam somnia natura generat seu temperamentum corporis, quædam mores nostri, & quæcunq; per diem

diem vehemens animi perturbatio nos exercuit, quædam etiam dæmon immittit: nam quæcunque neque naturæ, neque moribus accepta referri possunt, ea supernaturalibus causis ascribenda sunt: ita & melancholiæ symptomata quæcunque neque corporis facultatibus, neque quæsitis artibus, aut moribus tribui possunt, sciendum est dæmonis fraude atque malitia importari. Doctrinam hanc infelix Saul exemplo suo comprobat, cùm atra bile percitus fureret, à dæmone exagitatus in media domo sua prophetavit. Trismegistus ait, inquiunt, homines facere sibi deos, statuas videlicet ita factas, & accommodatas ad aspectus cœli, ut loqui possint, & reddere oracula. Atqui stultum est, putare hominem posse sibi deos facere: & si possunt, cur se illis subdunt, & subjiciunt? Cur illos adorant, quos fecerunt ipsi. Ridiculum enim est, putare causam inferiorem esse effectu suo. Hoc pulchrè ridet, & exagitat Esaias. *Homo*, inquit, *accipit lignum, & ex altera parte calfacit se, & coquit sibi panem: ex altera fabricatur sibi Deum.* Sed loqui possunt, & edere oracula. Imò David multò verius ait, *Oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt: os habent, & non loquuntur.* Et si possunt facere Deos, cur non seipsos potius Deos faciunt? Hoc enim certè multò esset consultius, ex seipsis potius Deos facere, quàm ex lapidibus & truncis. Deinde si sunt Dii, cur seipsos non defendunt? Illa enim idola jamdudum disjecta & ablata sunt. At si essent dii, seipsos haud dubiè defenderent & injuriam publicè illatam ulciscerentur. Postremò, ut verum sit, quod Aphrodisæus objiciebat, esse communem quandam vim longè lateque diffusam, quæ per proprietates rerum, quales sunt herbæ, lapides, metalla, ad singula sit contrahenda, attamen nihil tale potest repentè fieri: nam opera naturæ sunt successiva. Deinde quæ arte fiunt ab hominibus, cùm pluribus egeant cum rebus tum actionibus, videntur citò ab illis absolvi non posse. At Magi quod cupias, statim plerunque effectum dant. Denique, ne dum singula perscrutor longius moram protraham, non pauca eorum opera apparent, quæ nulla ars, nulla naturæ facultas efficere possit; ut cùm sublimes in aëre feruntur, & brevi tempore amplissimas regiones collustrant, & quæ in iis geruntur, certò renunciant.

XIX.

Tertiò à vero aberrare censemus, qui cum Josepho lib. 2. Antiq. Authore quæstionum apud Justinum quæst. 26. Tertullianum de Anima cap. 57. existimant Magos ægyptiacos in certamine cum Mose lusisse præstigiis, oculos decepisse & serpentes similes Mosaicis objecisse, qui tamen revera tales non fuerint. Nam si hoc tum ex utraque parte non possunt dici virgæ & dracones sive serpentes, sed ex parte Magorum non erant serpentes, cum tamen eadem vox sit in Ebræo, neque in ullo differat loquendi modus, præterea dicitur Serpens Mosis devorasse Serpentes Magorum, quæ sanè devoratio non præstigiosa, non illusoria, sed vera & realis, atque infra dicuntur similiter eduxisse Ranas. Qui cum *Eugubino Steucho* censent Bileamum fuisse Prophetam DEI æquè ac Sibyllas & Mercurium Trismegistum apud Ægyptios, invitâ veritate, quanquam enim quidam concedant illum fuisse in communione externâ Ecclesiæ, tamen Ariolum fuisse patet ex eo, quia quæsivit augurium cap. 29. v. 1. & ad illud captandum septem Aras extruxit ipsi Baal, eique victimas immolavit cap. 22. v. ultimo, & 23. v. 11. voluit maledicere Israëli, atque scandalum fornicationis & idololatriæ objecit Israëlitis, nec non occisus fuit ab illis *cap. 31. v. 8. & 15.* unde etiam *Josua 13. v. 12.* vocatur *Divinator*, *Philo*, *Nyssenus*, *Theodoretus* augurem dicunt, *Origenes* Homilia 13. in Numeros ipsum famosissimum in arte magicâ & carminibus noxiis præpotentem vocat, *Augustinus* quoque quæst. 47. reprobum & pessimum hominum censet. Qui virtuti imaginatrici tribuunt, quod cum Saule peractum est, utpote qui capite perturbatus, fame inediaque confectus, eoque omnia per phantasiam saltem in umbra objecta fuisse, nihil veri ac solidè in se habuisse dicunt, nec Deum concessurum fuisse, ut in forma sanctorum suorum Diabolus appareat, de quo Jacobus Rex Angliæ libro 1. Dæmonologiæ cap. 1. scribit: Causam facilè disces, si Saulum regem intuearis animo anxium, jejunio infirmum, ad mulierem malis artibus infamem ideo venientem, ut de re tanta eam sciscitaretur; hominem, & priorum scelerum, & novæ illius curiositatis, horrendæque apostasiæ conscientia agitatum: deinde mulierculam observes subito spectro, quod vidisse se ajebat, attonitam, & ex-

cla-

clamantem, detectâ quoque consultoris simulatione, qui se Regem esse negaverat. quid mirum hîc est Saulum, alienatis sensibus, fœmineæ vocis non deprehendisse imposturam, præsertim, cum in alio conclavi positus nihil eorum ipse viderit? Deinde quæro, quid ab ea suscitatum est, imò verò quid suscitari potuit? an Samuelis anima? apage prophanam opinionem, & Theologiæ adversam. An Diabolus sub illius imagine? Sed incredibile est vel Deum id illi permittere, ut Sanctorum assumat faciem: tunc enim Prophetæ eis temporibus incerti fuissent, qualis cum ipsis spiritus in visionibus colloqueretur: vel potuisse Diabolum futura prædicere, quorum notitia Deo propria est. Nam aliud est Objectum, aliud Modus sistendi illud: concedimus Objectum ipsum non fuisse Samuelem, sed umbram illius, speciem & revera Dæmonem, modus tamen apparitionis fuit verus & realis, vidit enim Saul apparentem, locutus est cum illo & Responsa ab isto accepit, exitumque ipsi annunciavit, non autem improbabile sed probabile, imò certum est speciem sanctorũ posse ad tempus Diabolum assumere, & illos repræsentare, cum in Angelum lucis se transformare posse, Paulus dicat 2. *Cor. 11. v. 14.* Unde idem Rex respondet: Invenies tamen, historiæ verbis accuratiùs perpensis, phantasma illud ipsi Sauli conspectum fuisse. Utut enim, dum figuræ magicæ & exorcismi fierent, in alio cubiculo concedam fuisse Regem (neminem enim eo tempore oculatum superstitionis testem admittunt) ex historia tamen patet, excitato malo genio, in rem præsentem continuò vocatum. Dicitur enim eo loci Saulus agnovisse Samuelem; id quod per hoc solum accidere non poterat, quòd senem comparuisse audiret pallio amictum: quia multi præterea senes in populo Israëlitico suum diem obierant; & pallii habitus omnibus erat communis. Non fuisse animam Samuelis fateor libens: nec probare necesse erat rem extra controversiam intra Christianos omnes positam; solis Magis & Necromantis, aut idiotis id in quæstionem vocantibus. Quòd autem interdum Satanæ conceditur Sanctorum induere effigiem ex eo loco patet, ubi dicitur Satanas, posse se in Angelum lucis transformare. At nihil ea res Prophetarum visionibus adfert incommodi: nunquam scilicet permittente Deo, ut electis fucum faciat impurus ille, sed iis tantùm, qui spontaneo errore illum consulunt.

ſulunt. hos patitur Deus ſuos ipſorum incidere in laqueos; & *magnâ deceptionis efficaciâ* (ut loquitur Apoſtolus) *deludi;* quia veritati credere noluerunt. Quòd ad futura, verum illud eſt, non omnia eum præſcire; quædam tamen præſciiſſe ex tragico hujus hiſtoriæ exitu ſatis notum eſt, quem muliercula ſuo ingenio divinare nunquam potuiſſet. Nec hoc eò dico, quòd præſcientiam Deo propriam Diabolo arbitrer communicatam; vel illum Angelorum more in ſpeculo divinæ eſſentiæ futurorum nonnulla putem intueri, cum à Creatoris ſui vultu & amicitia æternum exulet: ſed quòd duabus aliis rationibus hanc ſcientiam participet; vel dum aſſidua edoctus experientia, ab initio rerum, ex veriſimilibus & præteritorum analogia hariolatur futura, naturales rerum cauſas intuens, quæ ſemper eædem redeunt in orbem: vel certis negotiis Deo inſerviens eorum prædiſcit exitus: quod hîc accidiſſe nihil abludit à Vero: & in Micheæ ad Achabum Regem vaticinio ſimile apparet exemplum. Sed àd propoſitionem meam firmandam (poſſibiles eſſe Magos & Magiam) multa alia ſuppetunt è ſacra pagina loca. Primò enim divina lege diſtrictè prohibetur Magia. at certum eſt in eo jure nihil fruſtra dici, nec execrationes aut pœnas in figmenta & umbras denunciari; nec tanquam malum & flagitioſum ibi damnari, quod purum ſit putumque nihil. Secundò ex eo loco id patet, ubi improbi Pharaonis ſapientes, ut tyranni animum obfirmarent, Moſaica æmulati ſunt miracula. Tertiò, numquid Samuel dixit Sauli *rebellionem eſſe inſtar incantationis?* at rebellionem cum ea re conferre quæ nulla eſſet, perquam foret abſurdũ. Quartò, an non Simon Magus hanc profitebatur artem? Quintò, qualis obſecro illa fuit, quæ Pythonico prædita erat ſpiritu? præter alia loca innumera, quæ tædii loca fuga libens prætermitto. *Secundò* qui *Exodi* 22. notari volunt tantum præſtigiatrices atq; ex ebræo vertunt præſtigiatricem, non vivificabis, qui *Lev.* 19. prohiberi, tantum acceſſum ad Oboth ventriloquos & Jiddeghonim ſciolos, qui ex victimis imolatis divinant, qui *Levit.* 20. putant tantum prohiberi Conſultationes pythonum & divinorum. *Deuter.* verò 18. praſtigiatores & incantatores tantum rejici. Sed quamvis in fœmineum genus Moſes excurrat, nec reprehendenda Verſio, tamen præſtigiatorem quoque & omnis nefariæ artis Exercitatorem ſubintelligendum eſſe

con-

constat ex *Levit.* 19. *v.* 26. *Deut.* 18. *v.* 10. præstigiatrix autem nominatur synecdochicè, quia mulieres ad hoc scelus sunt procliviores ex infirmitate, imò hoc ipso Deus ostendere voluit; neque infirmiori sexui in hâc causâ, utut extenuari soleat ab hominibus, parcendum esse, sed exscindendum istud Genus, anathematizandum & internecioni devovendum. Locus *Levit.* 19. clarior est, quàm ut ulla Interpretatione falsa possit obscurari. Dicitur, non respicietur ad Pythones, ad Oboth, atque secundum Interpretes notat Spiritum in sepulchris mortuorum & locis subterraneis, qui sciscitatus voce stridula responsa edit & ejusmodi sciscitatorem, qui talem artem exercet, atque etiam Umbras & Manes evocat, sive vir, sive sit mulier, Pythonem qui ab utribus dictus, quod tali Spiritu afflatus ore clauso ex ventre perinde ac si ex utre aut lagena Responsa prodit, secundum illud *Jobi* 32. *v.* 19. consequenter notat, prohibetur non tantùm accessus ad Spiritus illos, sed & ad gnostas Iiddeghonim, qui prognostica faciunt, nec desunt qui Magum reddunt. Dicitur non sciscitandum ab illis, qui scil. pravi sunt Spiritus Responsa dantes sciscitantibus, ut *Levit.* 20. *v.* 17. vel virum aut mulierem, reprobatam illam artem exercentem, ut 2. *Sam.* 28. *v.* 9. *Levit.* 20. disertè habetur ex Ebræo: Anima, quæ respiciet ad pythones & ad gnostas ad meretricari post eos, & dabo facies meas in animâ ipsâ, & exscindere faciam eam de intimo populo ejus, adeoque omne Commercium, omne convenisse ad istiusmodi homines severè prohibeiur sub comminatione Aversionis faciei divinæ, & Excisionis ex medio sive intimo populi. *Deut.* 18. non rejicitur tantum præstigiator & incantator, sed omnis, qui de magiâ participat, primum quidem מוענן *Meyhonem* observans somnia, quidam reddunt oculans, qui oculo scil. nocet sive fascinator, secundò מנחש *Menachesch* augurans à verbo נחש *Nuchosch*, tertiò מכשף *mecaschschepb* præstigiator, quartò והובר חבר *Vechober Chaber*, quod reddunt associatos Societatis, sive consortium habens cum Dæmonibus, partiarius Errorum, ut *Tertullianus* alibi loquitur, quanquam non desint, qui Chober reddant Conjuratorem, qui incantationibus animalia multa conjurat, vel Incantatorem qui res noxias incantatione admovet & velut associat, imò Astrologum, ita dictum à conjunctione, seu coadunatione astrorum quinto

quinto postulans pythonem, sexto Gnosten & quærens ad mortuos, quæ Necromantia, seu necyomantia, cujus duo exempla mirifica leges alterum apud *Lucanum* lib. 6. pharsaliæ: alterum apud *Heliodorum* in Æthiopicis lib. 6. c. 17. *Tertiò*, qui vocem Kesem 1. *Sam.* 15. dicunt legi, quâ abutatur quis ad peccatum, qui putant determinatam speciem notari *Michæ* 5. כשפים & מעוננים nempe præstigiatorum & planetariorum & tandem *Malach.* 3. designari præstigiatores, qui miris artibus fascinant oculos, qui idololatriam & magiam mysticam censent notari & reprehendi in Jezabele 2. *Reg.* 9. qui 2. *Reg.* 17. *v.* 17. certam quandam speciem designari volunt, qui Manassen excusare nituntur. Babylonios vanitatis argui in prædictione futurorum existimant. *Esræ* 43. *v.* 9. 12. denique Edomitas, Ammonitas & Moabitas vanis auguribus bellum indici & illorum Consilia redargui asserunt *Jeremiæ* 27. *v.* 8. 9. *&c.* Nam vox Kesen notat omne Divinationis Genus, & sumitur in malam partem de quacunque rerum prohibita conjectatione 1. *Reg.* 28. *v.* 8. determinatam speciem notari *Michæ* 5. falsum, nam sub Nomine præstigiatorum comprehenduntur omnes, qui oculis fascinare creduntur, atque sathanica operatione deludunt, sub planetariorum vero omnes illi qui Astrologiæ dant operam, futuros eventus præsagire conantur, de quo vide *Tarnovium*, qui ita scribit: Exscindam *itaque* præstigias è manu tua, adeò ut planetarii nulli sint tibi deinceps. *Præstigiæ in textu hebræo dicuntur* כְּשָׁפִים *quæ sunt artes magicæ, quibus oculi hominum fascinantur & perstringuntur, dum fieri videntur, quæ non fiunt, vel si fiunt, fanaticâ operatione & diabolicâ arte efficiuntur. Et quæ præterea adhibentur, ut de futuris eventibus divinare aliquid possint homines curiosi. Planetarii verò appellantur in textu hebræo* מְעוֹנְנִים, *eò quod ex planetarum aliarumque stellarum ortu, occasu, situ, &c. pro temporum diversitate variis futura hominibus se posse prædicere, & ad quæsita certi quid respondere, tales profiterentur, quibus hodiè similes sunt nostri astrologi illi, qui propterea tempora & horas computant, signa cœlestia & planetas inspiciunt, ut de rerum contingentium ac hominum arbitrio etiam subjectarum eventu, certi quid prædicant, quibus omnibus rectè quadrat triplex illud vocis hebrææ ἔτυμον. Alii enim eam derivant ab* עָנָה *id est, respondit, alii ab* עָנָן *id est, nubes, per quas Synecdochicè cor-*

corporum cœlestium influentiam, astrorumque positus etiam intelligunt. Alii denique ab עוֹנָה, id est, tempus certum & determinatum, unde & nos cum omnibus tribus habere cognationem, & ex ea rectè declarari hanc vocem existimamus. Ad ענן ubi refert hanc vocem Nicolaus Fullerus in Miscell. Theol. l. 1. c. 16. ait, propriè illam notare Nebulones, siquidem ex nubibus seu nebulis prædicant futura. Ad R. עין (quando scribit, Ad verbum sunt oculatores, i. e. observatores vel temporum, vel somniorum, vel astrorum, vel avium. Ugo referre videtur. adeoque omnes qui exscindendi, non tantum autem erant exscindendi quidam Magorum, sed omnes, qui paria faciunt cum ipsis. *Michæ 3.* dicitur Deum fore testem festinantissimum, de sceleribus disputaturum Israëlitarum contra Legem divinam factis, & quidem primum contra præstigiatores, omnis generis Magos, qui scil. vel fascinare solent oculos aliorum, vel magicis incantationibus mirifica quædam efficiunt. *Exod. 7. v. 13. Dan. 2. v. 2. 2. Reg. 9.* non tantùm dicit Jehu. an pax usque ad meretricationes Izabel matris tuæ, sed & præstigias ejus multas, quæ reddidit Vulgatus, Veneficia h. e. quæ pax potest esse, quum adhuc supersint Izebelis matris tuæ meretriciæ artes, & tot tamque multa veneficia, scortationes appellans more Scripturæ Idololatriam, veneficia verò sive præstigias, quia falsi cultus pleni sunt præstigiis, veneficiis & maleficiis, quæ ex Sidone hausit quondam impia fœmina & cum Prophetis Baalis in Israëlem adduxit. Israëlitæ non tantùm arguuntur studii Divinationis & augurii, quod tamen sufficit, quia ex specie genus intelligere datur, sed & quod vendere fecerunt se ad facere malum in oculis Jehovæ ad commovere eum. Manasses 2. *Chron. 33.* describitur, ut insignis Magus vel Magiæ deditus: densat enim Spiritus S. nomina, & dicit ipsum observasse somnia sive oculasse, sectatum esse auguria, sive auguratum fuisse, maleficis artibus inserviisse, sive præstigatum esse, habuisse secum Magos sive fecisse pythonem & incantatores, sive Gnosten, multaque mala operatum fuisse coram Domino, ut irritaret eum. Babylonii *Esaiæ 47.* satis luculenter describuntur, nec tantum ibi, sed & passim in Scriptura *Daniel. 2. v. 2.* nec malè *Caspar Sanctius*, qui ita scribit: Chaldæi Hebraicè dicunt כשדים *casdim*, qui licèt genus illud hominum significent, qui regionem illam habitant,

à qua ipsi vocati sunt Chaldæi; tamen quia disciplinæ Mathematicæ, Astronomicæ, seu Genethliacæ ibi floruerunt maximè, factum est ut Astronomi, ac Mathematici nominentur Chaldæi, seu Babylonii. Sic de his Horatius lib. 1. ode 11.

Tune quæsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi
Finem dii dederint Leuconoe, nec Babylonios
Tentaris numeros.

Magi Heb. אשפים *asaphim*, quæ vox variè ab aliis exponitur; sed Hieronymus *Magos* vertit. Quod nomen olim non sic audiebat malè, sicut ætate nostra. Erant enim Magi iidem qui Philosophi, seu naturæ scrutatores, & ita fortasse accipiendum est apud Danielem Magi nomen. Licèt satis sit verisimile, tales hos fuisse Magos inter Chaldæos, quales fuerunt olim apud Ægyptios; qui videlicet fœdere cum dæmonibus inito, aut futura divinant, & præstigiis hominum oculis illudunt, & falsis miraculis divinam sibi, aut divinæ similem opinionem conciliant, qualis fuit Simon Magus. Arioli Heb. חרטמים *chartumim*, quam vocem Septuaginta converterunt ἐπαοιδοί, id est, *incantatores*. Hi dæmonum artibus addicti de futuris divinant, & ipsi decepti alios quoque decipiunt, & cùm apud prudentes isti existimentur deliri, atque insani, fit ut ariolari apud Latinos interdum idem fit, quod insanire. Aruspices Heb. גזרים *gazarim*, qui etiam dicuntur augures, hi ex animalium extis, aut cantu futura conjectant. Hos verò habuisse apud se, quos in dubiis rebus consuleret Nabuchodonosor, satis constat ex cap. 21. Ezech. v. 21. immò & alios omnes. Cùm enim de regione bello primùm tentanda, deque illius successu deliberaret, *stetit in bivio in capite duarum viarum divinationem quærens, commiscens sagittas interrogavit idola, exta consuluit.* Malefici Hebr. מכשפים *mecassphim*, qui etiam venefici vocantur, ii sunt ex Hieronymi sententia, qui sanguine utuntur, & victimis; ac sæpe contingunt mortuorum corpora, & ex his divinant; qui imagines fingunt cereas, & aliis utuntur modis ad illudendos, dementandos, aut etiam occidendos homines; quorum varia sunt genera, quæ modò persequi longum esset negotium. Illud certum hæc nomina tàm Latina, quàm Hebraica patere quàm latissimè, quæ sæpè scriptores tam sacri, quàm profani confundunt; interdum enim

uno

uno, interdum alio modo convertunt. Denique *Jeremiæ 27.* non tantùm mentio fit Prophetarum, quo Nomine tam veri, quam falsi Prophetæ intelliguntur, sed & divinatorum, qui jactabant revelationes, ut vox in malam partem accipitur *Deut. 18. v. 10. 14.* somniatorum, quemadmodum per contemptum fratres Josephum appellant *Gen. 37.* Augurum sive præstigiatorum, qui velut obductâ Nube hominibus illudunt, maleficorum, quos Nicromanticos dicunt *Hieronymus*, *Rabanus*, *Hugo*, *Dionysius*, *Castro*, & *Chiseberius*, de quibus *Exodi 7. v. 13. Deut. 8. v. 20. 2. Paral. 33. v. 6.* adeoque omnis hujus furfuris hominum, qui commercium quoddam habent cum Dæmone.

XX.

Quanquam autem multi hanc materiam occuparint. Ex Theologis *Martinus Delrio* in libris 6. Disquisitionum magicarum, *Thyræus* de obsessis & Spirituum apparitionibus, *Pererius* de Magia, *Danæus* de sortiariis, *Vallicus* Dialogo de Lamiis, *Lavaterus* de Spectris, *Bullingerus* de Sagis & Veneficis, *Thummius* de Magia, *Saurius* & *Frisius* de Sagis, *Victoria* de Magia, *Laurentius Ananias* de natura Dæmonum, *Sylvester* de Strigibus, *Alphonsus à Castro* de Magis & Sagis, *Stumphius* wider die Zauberey/ *Hammelmannus*, *Jodocus Hockerus* de Diabolo in libro germanico der Teuffel selbst/ *Leonhardus Lessius* de Magia, *Antonius de Mendoza & Escobar* de Hispanis in hoc genere suspectis, *Springerus* in Malleo maleficarum, *Niderus* in formicario maleficorum, *Basinus* de artibus magicis, *Mengumius* in flagello Dæmonum, *Gerson*, *Murnerus*, *Felix Malleolus*, *Bartholomæus de Spina* in quæstione de Strigibus & Apologia, *Trithemius* Abbas de Lamiis & Sagis, qui & ipse suspectus fuit, *Binsfeldius* de Confessione maleficorum, *Samsonius* in Hexen-Predigten/ *Meyfartus* in Erinnerung von Hexereyen/ *Antonius Prætorius* Bericht von Zauberey/ *Neuwaldus*, *Scribonius* de probatione Sagarum, *Anonymus* in Examine Epistolæ & Physiologiæ *Scribonii*, *Thomas* lib. 3. contra gentes cap. 104. & in parte prima Theol. Scholast. *Gregorius de Valentia*, *Adam Tannerus*, *Hieronymus Cardanus*, *Julius Cæsar Vaninus*, *Balduinus* in Casibus Conscientiæ, *Amesius* itidem in Conscientiæ Scrutinio, *Alstedius*, *Brochmannus*, *Jacobus* Rex Angliæ in Dæmonologia, *Lercheimer*

in Bedencken von der Zauberey/*Johan à Mynster* von Gespensten/ *Filesacus* in variis Tractatibus de Idololatria, *Cigogna* in Magia omnivaria, *Bodinus* in Dæmonomania, *Remigius* in Dæmonolatria, *Liechtenbergius* de Sagis, *Godelmannus* de Magis & Veneficiis, *Boissardus* de Divinatione & Magia, *Gregorius Tholosanus* in libro 13. de Republica cap. 25, 26. nec non in Syntagmate, *Althusius* in Dicæologia, *Grosius* in magicis Historiis, *Torrenblancia* de Sagis, & in Tractatu integro de Magia, *Zwingerus* Volumine 5. lib. 4. *Apulejus* & Commentatores illius in lib. 2. Metamorphoseωσ, *Beyerlinus* lib. 12. Polyantheæ, *Hildebrand* in Goetia & Theurgia, *Ulricus Molitor* Dialogo de Lamiis, Malleus Maleficarum, *Wierus* de præstigiis Dæmonum, *Euvichius* de Lamiis, *Biermannus* de magicis Actionibus, *Erastus* de Sagis, *Pomponatius* de Incantationibus, *Caspar Peucerus* de Divinationum generibus, *Johannes Lazarus Guttierius* de Fascino, *Ericus Mauritius* de Denunciationibus, *Johann Christianus Fromman*, de Fascinatione, *Sennertus*, *Condrochius*, *Langius*, *Fernelius*, *Gemma*, *Amatus*, *Zacutus Lusitanus*, *Zachias* in Quæstionibus Medico-legalibus, *Theophrastus Paracelsus* variis in locis & alii, quos Numerus defendit & junctæ umbone phalanges, tamen nullus horum assignavit ipsi peculiarem habitum sive disciplinam, vel ad aliquam ex Habitibus ab *Aristotele* recensitis illam retulerunt & per se patet, nam Magia non est Intelligentia, quia non versatur circa prima principia & eorum Affinitatem, non Sapientia, quæ ex Intelligentia & Scientia constat, non Scientia, quia non est cognitio rerum per causas, non Prudentia, quia ipsius objectum non sunt actiones humanæ, in quantum honestas in illis refulgere debet, nec ars, quia est habitus cum recta ratione effectivus, deficit autem recta Ratio in Magis, quæ potius distorta, & Spiritu tenebrarum acta atque sese subjiciens Imperio Dæmonum, interim tamen diversimodè referri potest vel ad Pneumaticam sive Doctrinam Spirituum, ubi non tantùm expenduntur operationes & effecta bonorum Angelorum, sed & malorum, quorsum quidem respexit *Henricus Alstedius* parte tertia Pneumaticæ cap. 7, 8, 9. *Casmannus*, qui in Angelographia de illa agit, vel ad Physicam in quantum illa complectitur motum localem, deportationes nocturnas, alterationes corporum

per

per mineralia, per herbas, per ſuccos, per amuleta, vel ad Medicinam in quantum illa agit per veneficia, quæ vel immittit vel Medicus ſanare præſumit & tollere, in quantum Judicium exhibere debent de perſonis, an ſint obſeſſæ, num habeant Dæmonem aſſiſtentem, num verò operationes illarum ſint tantùm ludicræ, vel naturales & ſpleneticæ, quemadmodum toti Tractatus de hac materia proſtant, & inprimis *Dabricius* in eruderando morbo melancholico, vel ad Jurisprudentiam in quantum examinandæ Denunciationes, quantum ſcil. pondus habeant probationis, quantum ad proceſſum num ſcil. indicia ſufficientia adſint ad capturam, ad territiones, vel torturam, quæ Executio Sententiæ, quod Judicium in iſtiusmodi perſonas ſit ſtatuendum, vel ad Theologiam in quantum Providentia divina attendenda eſt circa illos actus, gubernatio & regimen divinum penſandum, vel etiam *Diaboli* fraus & vis explicanda.

XXI.

Fruſtra itaque ſi fatigant, qui cum *Martino Delrio* probant, Magiam eſſe artem, & definiunt illam per artem ſive facultatem, quæ in creata & non ſupernaturali quædam mira & inſolita efficit, quorum ratio ſenſum & communem hominum captum ſuperat: & pro quavis cognitione & operatione apodictica, topica ſcientiam gignente, vel non gignente, mechanica vel liberali, artificioſa, vel artis experte, vera vel circulatoria, ſuperſtitioſa, vel vitii experte accipiunt. Nam *primò* eo ipſo artem eſſe negant Diſſentientes; ſi enim eſt facultas quædam, non erit ars preſsè ſic dicta, quia illa hanc disjunctionem non admittit, ſi quamvis cognitionem & operationem, ſive apodicticam, ſive topicam dicit, & gignit ſcientiam, vel non gignit, non erit ars, quia illa non dicit cognitionem & operationem quamvis, ſed determinatam & definitam, ſi denique eſt facultas vel artificioſa vel artis expers, vera vel circulatoria ſuperſtitioſa vel vitii expers, non erit ars, cum illa tantùm verſetur, circa vera, ποιητὰ, adeoque ſit habitus cum recta ratione effectivus. *Secundò*, qui cum aliquibus probare nituntur illam eſſe artem, partim quia liber *Sapientiæ cap. 7.* expreſsè artes dicat *v. 7.* & partim quia finis eſt extrinſecus rei, neque bonitas moralis ad artem requiritur, ſed ſufficit artificialis, nec quod in perniciem

hominũ adhibetur, vel aliâs obliquatur propterea desinit esse, quod est, ut exemplo Physicæ, Mathematicæ Pyrotechniæ & aliarum facultatum doceri potest, & ex Objecti scibilitate, scientia aliqua æstimanda, partim quia, si vitia moralia possunt tractari in Philosophia practica, æquè pernitiosa possunt tractari in aliqua Disciplina, quæ secundum communem sententiam ars nuncupatur. Nam si liber Sapientiæ Magiam dicit artes esse, quamvis non sit in Canone tamen generaliter utitur hoc Nomine, quo sensu etiam sacularia, ars dici potest, quanquam plus non dicatur, quam aderant magicæ ludibria artis, uti per vocem ludibria artem, de qua agitur, Sapiens explicat. Præterea curiosa illa nihil aliud fuerunt quam magica, ut Syrus & Arabs interpretantur, & Ephesi tunc erat *Apollonius Thyaneus* insignis Magus, ipsaq; urbs infamis erat ex hoc genere, unde etiam Ephesia γράμματα, de quo vide *Stephanum* & *Grotium*, quorum ille ita: Quidam exponunt, *curiosas artes*: quam interpretationem magis probo, quum dici possint aliqui artes curiosas sectati, qui ad studium illarum animum appulerint, etiamsi eas non exercuerint: quod tamen ex participii πραξάντων significatione intelligendum videtur. Quænam verò erant illæ *curiosa artes?* Non dubium est quin *magicæ*. De quo tamen si forte dubites, eum usum Latinæ vocis *Curiosas*, quem habet in isto loco Horatii, considerandum tibi proponam, sicut & aliis proposui. Hunc, inquam,

An quæ movere cereas imagines,
(Ut ipse nosti curiosus) & polo
Deripere lunam vocibus possum meis,
Possum crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum,
Plorem artis in te nil habentis exitum?

Quis enim mihi non assentiatur, dicenti *curiosum* itidem hic appellari eum, qui magicarum artium studio deditus esset, aut saltem illarum non omnino rudis esse vellet? Hoc tantum est discriminis, quod quum ibi περίεργα de re dici videamus, hic *Curiosus* de homine, qui illa περίεργα sectatur, aut scrutatur, dicat. Sic autem περίεργος ab Herodiano is appellatur, qui cujusdam etiam extraordinariæ scientiæ studio tenetur. Legimus enim apud eum, libro IV. de Antonino, περιεργότερος γάρ ὢν, ὀ μόνον τα ἀνθρώπων

πάντα

πάντα εἰδέναι ἤθελεν, ἀλλὰ καὶ τὰ θεῖά τε καὶ δαιμόνια πολυπραγμονεῖν. Et paulo post dicit eum, quum omnes sibi suspectos haberet, *magos etiam & astronomos undique accersivisse, ut eos consuleret.* Sic autem & apud Platonem in Apologia, dicitur de Socrate, περιεργάζεται, ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια. Quod si illi, qui τὰ θεῖά τε καὶ δαιμόνια ἐπολυπραγμόνουν, (ut loquitur Herodianus) dicebantur περίεργοι, justius etiam, qui ad artes magicas animum appellant, velut κατ' ἐξοχὴν appellari περίεργοι poterant: quod si illi περίεργοι merito dicebantur, non immerito certe eorum studia, vel potius quæ ab iis ex illarum artium præceptis fiebant, à Luca περίεργα vocata fuerunt. *Stephanus*. Hic verò. Περίεργα quæ sint intelliges ex Irenæo 1, 2. de Simonianis: *amatoria quoque, & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcunque sunt alia perierga* (malè scribitur *parerga*) *apud eos studiosè exercentur.* Hæc Philosophi vocabant περίεργα & γοητείας & περιτουργίας, ut Porphyrius II. de abstinendo ab animatis, ubi & φίλτρα & ἐρωτικὰ ponit in hac classe. γοητικὰς βίβλους habent hic Patres Græci. Christiani verò Diabolica hæc vocarunt. Sed Lucas recepta Ephesi voce uti, contentus est. Ephesus ante alias civitates his pravis studiis dedita. Magorum qui erant Ephesi meminit Plutarchus Alexandro. Hactenus illi. *Secundò* finis utique est extrinsecus rei, verum non tantum ex fine, qui est pernicies, illam ex Numero artium excludimus, sed etiam ex fundamento, quod illicitum ex objecto, quod comprehendit ludicra & præstigias, ex ordine, qui hîc nullus ést, quanquam nulle ars ex intentione propria noxium finem propositum sibi habeat, quæ verò artes aliter obliquantur, quam decet, id est per accidens, non ex genio & indole artis, & quomodo inter scibilia referri possint illa magica, quæ maximam sui partem sunt ludicra, præstigiosa & nugatoria atque impia. *Tertiò* vitia in Ethicis non proponuntur ut exerceantur, sed ut vitentur, at Magia suas opes pandit, ut homines inde desumant, quod agant, quod exerceant, num quia Sophismata in Logicis proponuntur, eo fine proponuntur, ut Sophismasi ludamus tanquam astragalis. *Tertiò*, qui cum *Lactantio* artes esse dicunt, quæ Magi per operationes produnt lib. 2. Inst. cap. 14. qui ita: Magorum quoque ars omnis, ac potentia horum aspirationibus constat, à quibus id vocati visus hominum

præ-

præstigiis obcæcantibus fallunt, ut non videant ea, quæ sint; & videre se putant illa, quæ non sunt, illi malè lacteum illum Doctorem in causæ subsidium vocant. Nam quis non perspicit abusivè hanc vocem sumere *Lactantium?* quis non præstigias poni quasi fundamentum illius? quis non ut sequentia docent insidiis, fraudibus, dolis, & erroribus complere illos asseri à Lactantio.

XXII.

Ad Causas postquam sat diu in Vestibulo hæsimus, pergimus & quidem primò ad Efficientem. Removemus verò primum omnium DEUM Patrem Luminum, in quo nulla parallaxis, nullæ tenebræ, quanquam enim absque illius permissu Magi nihil possint, non tamen inter Efficientes Causas reputari potest. Nam *primò* Scriptura disertè omnem Causalitatem mali sive peccati à DEO removet *Psalm. 5. v. 5, 6, 7. Secundò* sana Ratio, quæ docet id quod per Essentiam est bonum, summè tale, non posse esse oppositi Causam, nempe mali & tenebrarum. *Tertiò* inter ipsos Gentiles Socrates apud Platonem lib. 2. & sanè si naturam permissionis probè attendamus, patebit illud ex ipsa, cum permissio non tam dicat causalitatem, quam suspensionem causalitatis & influxus, & secundum ipsum *Franciscum Junium* sit modi cujusdam permissio agentis voluntate, proprièque non voluntas secundum *Crocium* in Consideratione Triad. Syllog. pag. 66. sed dicimus omnis Magiæ scil. vitiosæ Authorem & Efficientem primam esse Sathanam, Gloriæ divinæ & humani generis hostem, ut constat hoc primò ex Scriptura, quæ ipsum dicit patrem mendacii & homicidam ab initio, mendacii nomine omnis generis præstigias complectens, quæ fiunt quandoque à Magis, nomine verò Homicidæ omnis generis Nocumenta, quæ etiam per Magiam infert humano generi designans *Johan. 8. v. 44.* & sanè ut est principium peccatorum, ita quoque hujus sceleris *1. Joh. 3. v. 8. 2. Cor. 11. v. 3. Apoc. 12. v. 9. cap. 20. v. 2. Eph. 2. v. 2.* unde etiam *Arnobius* libro contra gentes: Magi scribit, non tantùm consulunt Dæmones, sed & quicquid miraculi edunt, per Dæmones faciunt. Illis aspirantibus & infundentibus præstigias edunt, vel quæ non sunt videri, vel quæ sunt, non videri, faciunt.

XXIII.

XXIII.

Errant proinde, qui actus & effecta Magiæ tribuunt DEO per Magos, vel Angelos bonos operanti, quia ſcil. dentur gratiæ quædam gratis datæ, ut linguarum & ſanitatum, quæ etiam cadant in Bileamum aliquem ſive improbum. *Secundò*, qui effectus magicos refundunt in Angelos bonos, cum Scoto Parmenſi. Et tandem *tertiò*, qui volunt has operationes produci per animas defunctorum. Atqui prima ſententia nullo modo ſubſiſtere poteſt, quia iſtiusmodi operationes & effectus ſunt vani, mendaces & impii, ſi plærosque exactè penſitemus, DEO autem hæc non ſunt amica ſed inimica & adverſa, præterea Deus in lege ſua illas prohibet, ut ſupra oſtenſum, quomodo itaque ad operationes, quas producit ipſe, referri poteſt, denique quis tam demens, ut gratias gratis datas & dona divina humano ſubjicat artificio & referentis obſervationibus, demurmurationibus & geſtibus. Altera itidem à vero abludit. nam Magi iſtiusmodi Spiritibus, quorum ope utuntur, ſacrificant & offerunt, quî autem Angelus bonus patiatur ſibi ſacrificari, cum ſacrificium debeatur ſoli Deo, quî patiatur ſeſe adorari, cum id expreſsè prohibuerit *Apoc. 19. v. 10. cap. 22. v. 9.* præterea Magi plærunque ſunt ſordidiſſimi & impuriſſimi, à quibus Angeli boni diſcedunt, quorum commercia fugiunt, inferunt illi illi nocumenta hominibus per veneficia, quis autem Angelos iſtorum ſcelerum Authores demens admittat? denique non illi efficiunt præſtigias, quales ſæpe ſunt actus iſtiusmodi Magorum, cum ſemper videant Patris faciem cœleſtis & in bono ſint confirmati *Matth. 18. v. 10.* Tertia denique excuſſa eſt à noſtris Theologis partim ex eo, quia beatæ animæ illas nequeunt producere, exemptæ enim ſunt omni Mundi ludibrio, neque illis tribui poſſunt præſtigiæ, nec damnatæ, quia illæ carceri ſuo mancipatæ non redeunt ad nos, partim quia anima à corpore ſeparata immaterialiter operatur, & actionibus immanentibus indulget, partim quia confeſtim receptaculis ſuis poſt obitum diſpoſiti ſunt addictæ & piæ quidem quieſcunt ἀπάρτι *Apocal. 14.* impiæ verò torquentur *Matth. 25. v. 41.*

XXIV.

A vero quoque abludunt, qui Chamum ipſum, Noe filium

Magiæ censent fuisse Cultorem: quamvis enim Chamum Pseudo Clemens voluerit esse Zoroastrem & Inventorem Magiæ. *Cassianus* etiam consentiat, nec non libri tribuantur magici Chamo, refutat tamen hanc sententiam *Bochartus*, scribens: Chami memoriam fictitiis criminibus infamare nihil est opus, cum vera suppetant satis superque, quorum nomine constat à patre meritò fuisse maledictum. Chamum quidem pravi contortique ingenii fuisse oportet, cum non modo ex pii patris dedecore voluptatem ceperit, sed & eum traduxerit apud fratres. At non sequitur fuisse Magum, aut eundem cum Zoroastre. Certè tempora non conveniunt; Chamo enim multis sæculis recentiorem esse constat magum illum Zoroastrem, cujus oracula Græcè edita cum Pselli & Plethonis Scholiis circumferuntur. Illum quidem Eudoxus apud Plinium sex millibus annorum ante Platonem vixisse prodidit, id est multo ante mundum conditum. Nec multò agunt modestius qui ibi citatur Hermippus, & Plutarchus in Iside, & Hermodorus Platonicus apud Laertium in prooemio, qui eundem faciunt quinque annorum millibus bello Trojano vetustiorem. Sed has annorum chiliadas mutavit in centurias totidem ignotus author apud Suidam. Et his omnibus vetustior Xanthus Lydius nonnisi sexcentos annos numerat à Zoroastre usque ad Xerxis transitum. Laertius ubi supra: *Ξάνθος δὲ ὁ Λυδὸς εἰς τὴν Ξέρξου διάβασιν ἀπὸ τοῦ Ζωροάστρου ἑξηκοσία φησὶν ἔτη γεγονήναι.* Quin Apuleji Floridorum lib. 2. legitur Pythagoras doctores habuisse *Persarum Magos ac præcipuè Zoroastrem omnis divini arcani antistitem.* Ita vixerit Zoroastres diu post Trojana tempora. At plerique scriptores æquo faciunt antiquiorem, quia Magum illum confundunt, cum Bactrianorum Rege Zoroastre Nino æquali. Unde Trogus lib. 1. *Postremum illi* [Nino] *bellum cum Zoroastre Rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes Magicas invenisse.* Et Arnobius lib. 1. *Ut inter Assyrios & Bactrianos, Nino quondam Zoroastreque ductoribus, non tantùm ferro dimicaretur & viribus, verum etiam magicis & Chaldæorum reconditis disciplinis.* Et de eòdem Augustinus de civit. Dei lib. 21. cap. 14. *Magicarum artium fuisse perhibetur inventor.* Et paulo post: *A Nino rege Assyriorum cum esset ipse Bactrianorum Rex bello superatus.* Orosius lib. 1. cap. 4. ubi de Ninô: *Zoroastrem Bactrianorum regem, eundemque Magica*

gicæ ut ferunt artis repertorem pugnâ oppressum interfecit. Sed Ctesias, ex quo Diodorus, Bactrianorum Regem in quem dimicavit Ninus, Ὀξυάρτην *Oxyartem* appellat, non Zoroastrem, neque magum fuisse dicit, aut viribus hostium magicas artes opposuisse, quamvis hoc bellum referat multo pluribus quam quisquam alius veterum. Pone tamen Bactris regnasse magum Zoroastrem; Quid hoc ad Chamum Noæ filium, cui Bactriana non obtigit, sed Africa, & Asiæ portio in Africæ finibus à Bactris remotissima? Itaque ut à Zoroastre Oxyartes, ita Cham ab utroque planè fuit diversus. Et Magiam à Chamo tam falsum est post diluvium fuisse invectam, quam ab Angelis ante diluvium. Quod videtur sumpsisse spurius Clemens ex Enochi libro apocrypho, ubi in earum artium censu quas Angelis magistris edidicerunt antediluviani homines etiam Magiæ fit mentio in hæc verba: ὁ δὲ ια Φαρμαρὸς ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας, καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια *undecimus autem* Angelus *Pharmarus nomine docuit veneficia, incantationes* [Magorum] *artes, & incantatorum sacrificia expiatoria.* Credat Judæus Apella non ego. Φαρμαρὸς corruptum ex Φαρμακεὺς vel פרמקוס Φαρμακὸς quâ voce à Græcis mutuatâ Ebræi veneficum significant, Itaque sic dictus est Angelus, qui docuisse putatur τὰς φαρμακείας. Non possum non addere locum insignem de Zoroastre ex Agathiæ lib. 2. ubi de Persis: *Alienis verò ac veluti adulterinis institutis utuntur, Zoroastri Oromasdæ filii disciplina deliniti. Ille verò Zoroaster aut Zaradus (is enim fuit binomius) quando primum floruerit & leges condiderit liquido non constat. Persæ verò hujus ætatis sub Hystaspe simpliciter fuisse dicunt, ita ut valde ambigatur neque certò sciri possit, an Darii pater aut alius quispiam hic Hystaspes fuerit; Quocunque verò tempore floruit, author eis & dux Magicæ religionis extitit.* In his de Zoroastris ætate Agathias ita dubitat, ut palam faciat se iis non assentiri, qui volunt tam esse antiquum. Alioqui non poneret in incerto an ille Hystaspes, cui Zoroastres fuit æqualis, Darii fuerit pater qui Cambysi successit Cyri filio.

XXV.

Absurda itidem est sententia, quæ Methodii esse dicitur, statuentis posteros Caini, filios Lamechi Jaboth & Tholuscol fuisse viros malæ artis inventores; tùm quia hoc nullo argumento doceri potest,

test, tum quia filios Lamechi confictos esse satis luculenter silentium Scripturæ docet, tùm quia etiam circa nomina disputari potest.

XXVI.

Causa proxima est Magus, qui proinde dicitur filius Diaboli *Actor. 13. v. 10.* exercens Magiam *Actor. 8. v. 9, 10, 11.* atque concurrens cum Dæmone ad istiusmodi actiones, & propterea puniendus *Apoc. 21. v. 8.* Efficiens verò minus principalis est impulsiva Causa, quæ vel externa vel interna. Ad externam referunt quidam libros continentes instructiones, de magicis operationibus ceremoniis & formulis adjurationum, *Secundò* principia postulata, hypotheses & præparatorias quasi dispositiones Magiæ. *Tertiò* mendaces Judæorum fabulas de Solomone aliisque piis etiam θεοδιδάκτοις Magiæ artificibus & authoribus, item de gravissimis illis Senatoribus Sanhedrim, quos Magiæ peritos fuisse jactant. *Quartò* omnia illa auxilia & instrumenta Magiæ, quibus illi qui has operationes exercent, utuntur. Et quidem communis Causa impulsiva est nativa corruptio hominis, de qua *Gal. 5. v. 19. 20.* specialis petulantia ingenii humani, qua scil. quis curiositati indulget, non vult acquiescere disciplinis à præceptoribus traditis, nova quærit, abstrusa sectatur, nec illud Scaligeri expendit: nescire, quæ voluit optimus Magister, non esse curiosè perscrutanda, quâ curiositate Diabolus abutitur, gnarus temperamenti & affectuum ad illicita adducit & tandem in Nassam suam pertrahit, Vel inopia premitur & bonorum cupiditate ad Sathanam decurritur, unde sagæ quædam pauperculæ ad fœdus cum Dæmone pangendum illiciuntur. Studiosus quidam pecuniam accepit & botanicam didicit à Diabolo, signaturasque herbarum observarit. Vel vindicta laboratur ob injurias acceptas & propterea, ut eam expleat quis, cum vindicta Bonum vita jucundius ipsa, ad Dæmonem se defert, eique mancipat, Vel Dignitas & Eminentia quædam quæritur, ut possit quis aquilam in nubibus agere, cæterosque despicere, velut volitantes umbras, quemadmodum studiosi sæpè hunc in finem Spiritum familiatiorum sibi comparant. Vel est Causa instrumentalis, dicitur à quibusdam Lectio librorum magicorum, quorum quondam multi prostabant, in Cœnobiis, Monachorum

con-

Converſatio cum Magis, qui hîc præſtant proxenetas Sathanæ, atque Diſcipulos eidem adducunt. abſtinentia à Venere, ſomnus quo utitur ad illuſiones & divinationes, formulæ variæ vel verborum ſignificantium, vel non ſignificantium, vel ebræorum, vel græcorum, vel latinorum, vel etiam germanicorum, vel maledicentes, vel benedicentes, de quibus *Cornelius Agrippa* lib. 2. de occulta Philoſophia, Herbæ venenatæ, quibus nocent, lapides & mineralia, quæ adhibent, ſerpentes & viperæ, quibus alunt, homines & inprimis pueros quos mactare ſolent, quorum ſanguine varia tentant, virgines & infantes tenelli, quorum membris accenſis vel ſuffinugatis nunc ad hunc, nunc ad alium effectum applicatis mira ſeſe præſtare credunt, cadavera quæ animare ſolent, vel illa regere per modum formæ aſſiſtentis, vel alio modo, adhibent capita humana, pulli equini carnem in fronte, ſpecula æneæ formæ, annuli, lapides ſculpti, figuræ tales maniacæ, characteres ſtellarum, Angelorum, pentacula, circulos, cruces, rhombos, murmura, ſuffitus, libamina, ſacrificia, ceremonias, exorciſmos &c. Sicut autem hæc referunt ad externas cauſas inſtrumentales, ita ad internas, medium eſſe dicunt factum quoddam apertum & explicitum, vel tectum & implicitum, quo homo ſe ſuaque Diabolo addicit in fidem & Obſequium, & Sathanas repromittit ſe ſuos devotos beaturum, hoſtes ulturum, mala averſurum, bona adjecturum & hæc confœderatio explicita tribus ſolet fieri modis, vel ita ut Diabolus formâ viſibili ipſe compareat & coram teſtibus fœdus illud confirmet, vel ut absque teſtibus hoc ipſum peragat, vel denique ut per alium aliquem Magum hoc negotium procuret, atque initio iſtiusmodi pactum vel ſcriptione ſolenni alicujus inſtrumenti, in quo homo ad certum tempus ſeſe mancipat Diabolo, ſub conditione ut ipſum adjuvet, vel ſigno ſtigmatico corporis alicui membro impreſſo: implicita verò eſt quando quis ſciens & volens utitur verbis, ſignis & ceremoniis magicis, quæ novit eſſe talia ex temeraria curioſitate temporis fallendi, aut tentandi gratia, vel cum iis utitur per ignorantiam neſciens illa ſuperſtitioſa eſſe, aut à Diabolo inſtituta & quidem in perſuaſione ſuperſtitioſa de vi diabolicâ ad iſtiusmodi effectus producendos, & peragitur hoc pactum realiter inter Dæmonem & hominem, nec

tantùm phantasiis in capite Magorum excitatis, quod probamus *primò* Authoritate Scripturæ *Exod.* 22. *Levit.* 20. *Deuter.* 18. ubi graves pœnæ denunciantur Magis & illis, qui cum sunt ejusdem cum illis furfuris, quod sanè non possit fieri, nisi societatem quandam cum Diabolo contraxisset, nisi illius ope & auxilio niterentur, quæ pactum aliquod supponunt. *Secundò* actiones magicæ sunt istiusmodi opera, quæ non Magorum viribus, sed Diaboli auxilio fiunt; Dæmones autem ab hominibus cogi nequeunt, ut id faciant, nullum enim est homini in spiritualia Imperium. Spontè itaque hoc ipsum Diaboli faciant, at isti hominem odio prosequuntur immani, non itaque gratis accurrunt, sed vicissim aliquid operæ & auxilii sui pretium requirunt, unde patet talem esse hanc conventionem & societatem, qualis est duorum latronum, quorum alter palam in sylva vagatur, alter clam in subsessis latitat, & sanè pactum intercedere constat ex Scriptis quæ exhibentur Diabolo, ex stigmatis, quibus signantur devoti, ut enim Deus per Circumcisionem sibi devinxit populum ex semine Abrahæ, ut Romani sacramento militari addictos in cute punctis adstringebant, ut in N. T. Baptismo DEO infantes fœderantur, ita Diabolus qui Dei simia fœdere aliquo cum suis paciscitur, de quo videndi Malleus Maleficarum, *Petrus Ostermann* Jurisconsultus in peculiari tractatu, *Martinus Delrio* lib. 2. q. 4. *Bodinus* lib. 2. Dæmonol. cap. 4. *Remigius* lib. 1. Dæmonol. *Wierus*, *Binsfeld* de Confessione Sagarum, *Cigogma:* præterea Scriptores modum confœderationis describunt, inter quos *Godelmannus* lib. 1. de Magia cap. 2. num. 8. Ceremonias, quas adhibent *Martinus Delrio* lib. 2. quæst. 4. & seq. *Tertiò*, Testimoniis Patrum & aliorum possumus uti, ut in hâc materiâ, qui calculum addunt *Cypriani*, qui asserit, tales habere fœdus cum Dæmone. *Augustinus* qui docet niti illas actiones pestiferâ societate hominum & Dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, *Tertullianus*, qui conspirat libro de præscriptione, *Irenæus* lib. 1. cap. 24. *Halensis*, *Albertus*, *Bonaventura*, *Guido*, *Gerson*, *Victoria*, *Bodinus*, *Jacobus Rex Angliæ* in Dæmonologia lib. 1. c. 5. & 6. p. 98. qui ita: Quatuor ibi veniunt observanda: adjurantes ipsi, ipse actus adjurandi, verba adjurationis, Spiritus adjurati. Sed ne tibi excidat priùs à me insinuatum

prin-

principium; nullam ejusmodi vim aut figuris, aut divinorum nominum prophanationi, aut aliis gesticulationibus, ceremoniisve eo tempore usurpatis inhærere, quibus aut tartareus Spiritus suscitetur, aut descripto spatio suscitatus coërceatur: sed Satanæ, qui mendaciorum omnium est parens, profundâ simulatione hæc fieri; qui vi carminis, cujus ipse auctor est, præ se fert se cogi, & loco circumscribi; & eapropter terminos, quos sibi præscripsit, non transilit: tùm ut Magis gloriandi materiam suppeditet, quasi Tartaro imperarent: tum ut in rebus parvis & nihili conciliatâ apud eos fide, de eorum corio tandem sibi satisfaciat, corporibus & animabus in æternum abreptis interitum. Hoc fundamento posito, facilè est intelligere non unum adjuratorem sufficere; sed plures esse vel pauciores, pro figurarum & apparitionum forma. Duo sunt autem, sine quibus frustra suscipiuntur hæc sacra, nimirum *aqua benedicta* (qua in re Papistas adunco naso suspendit Diabolus) & *vivi animantis hostia.* nec anni tempora negligi oportet, diesque, & horas, quibus omnibus ritè præparatis describuntur figuræ triangulæ, quadrangulæ, rotundæ, simplicesque geminatæ, pro apparitionis, quam optas, ratione. Sed omnes earum formas enumerare, vel characteres, intusque & extra & transversim exaratas cruces, cum variis apparendi modis, quibus Satanas illis ludificatur, & totius actus operosis ineptiis; eorum est, qui sibi ipsis in vanissimo negotio negotium facessunt. Hoc solum addo, comparente adjurato Dæmone; quod non nisi omnibus, quotquot sunt, precandi mussitandique peractis anxiè ceremoniis contingit, haud aliter ferè quàm Papistarum sacrifici missas suas deproperant: eo, inquam, comparente, si quis ceremoniarum apex neglectus sit, aut ejus præsentiâ pavidi vel latum unguem figuram transierint, continuò de vitâ eorum conclamatum est. Satanas, non expectatis mortis Kalendis, rationes suas cum illis purgat, corpora & animas ex pacto secum abripiens. Tibi nunc judicandum relinquo, an sine ratione fiat, ut ejusmodi adjurationum tædio tandem capiantur; sive moram laboris spectes, & superstitiosam illam dierum horarúmque observationem; sive terrorem apparendi, & præsentissimum ex minimo nugamento omisso periculum. Id quoque Diabolo ipsi cordi est, ut secum rotundiùs, & amotis his ambagibus

bus

bus velint conversari. Non deest ratio, sed ut potiùs illi omninò valedicant, quam familiariùs cum illo agant, si saperent. At nunc ad illa veni, quæ artis hujusce magisterium jam consecuti factitant. Ex eo incipiunt absque omni tergiversatione cum Dæmone pacisci. pacti ratio in duobus est, quæ tibi ante explicata dedissem, ni impediisses. Stipulantur enim à Dæmone, primò, certos comparendi modos, quandocunque illum volunt conventum: deinde certa servitia & obsequia, ad quæ se obstringit. Etsi autem pactum sit mutuum, Satanicæ tamen obligationis partes priùs edisseram. Pro vario Magorum captu & peritiâ mutatur comparendi modus. Vilioribus enim, quoties eum nomine invocant, quod ipse sibi imposuit, promittit se adfore canis, felis, simiæ, alteriusve animantis effigie; vel, si id non placet, sola voce satisfacturum se quæsitis. Obsequia autem hæc sunt, ut de morborum curatione, de familiæ administratione, & id genus aliis parvi momenti quæstionibus interrogatus respondeat. Curiosioribus verò assumpto cadavere se sistit; è quo de bellorum eventibus, de Rerumpublicarum statu, aliisque rebus magnis oracula editurus est. Quibusdam nunquam discedet à latere, velut assecla. Quin patietur circumferri se in annulo, vel re quavis portatili ad multos annos: & permittet merces geniis ejusmodi animatas aliis divendi, magno vilive pretio; pro genii inclusi ingenio, verace mendaceve. non quod Dæmon ullus sit non mendax, sed discipulorum suorum credulitate abuti solet Diabolus: quibus persuasum cupit, Lucifero labente, alios spirituum cecidisse in ignem, alios in aërem, aquamque & terram, in quibus elementis etiamnum maneant. Unde efficitur (si dignum est credere) aëris ignisque hospites spiritus veraciores esse aquatilibus & terrestribus: & cætera nugamenta illius impostoris fraudibus excogitata. Nec enim illi pondere suo lapsi sunt, ut alicubi hærerent; sed Dei gratiâ, in quâ creati sunt, excidisse intelliguntur, quæ casus eorum maxima pars fuit. ex eo, orbem terrarum pererrant Dei Opt. Max. carnifices; mandata ejus usque in diem novissimum peracturi. Ab hoc munere dum feriantur, in Tartareum carcerem reverti necesse habent (ut ex miraculo Christi ad Genezareth patrato Matth. 8. satis constat) in quem carcerem novissimo decreto æternùm compingentur. Cæterùm,

terùm, non hic solùm discipulis suis fucum faciunt hi maligni; sed etiam dum fabulantur in suâ Republicâ Principes, Duces, Reges pluribus aut paucioribus imperare Legionibus, & diversis terræ plagis & tractibus. Licet enim suam esse Angelis hierarchiam non inficier, quam Dæmones quoque ante lapsum participârint; lapsis tamen mansisse eandem quis credat? aut cœlestia arcana, quæ nobis per Prophetas & Apostolos revelare noluit Deus, nunc per istos pestilentes magistros patefacere? quin nos decet modestè ignorare mysteria, quæ divinæ taciturnitatis sigillo obsignata sunt, præsertim, quæ ad nostram non faciant salutem. Verùm, ut ad rem revertar, quemadmodum Magorum coryphæis exquisitissimâ & planè mirificâ ratione se sistit Satanas; ita operosa & mirifica illis præstat obsequia. Artium enim & scientiarum spondet notitiam, rem nebuloni tam erudito haud difficilem. spondet rerum novarum ab extremo orbe nuncios, pernicitati Spiritus rem non minùs facilem. spondet aliena cujuscunque arcana, non illa pectoris sacrario conclusa, & soli Deo pervia, sed quæ linguâ tenus prodiêre. quid quod ex vultu mentem interdum conjectet, artifex haud dubiè Physiognomonices callentissimus? quin rerum futurarum vaticinio discipulos suos apud Principes faciet gratiosos, vera falsis immiscens. nam in omnibus mendax omnium gratiâ excideret. At nihil non ambiguum ab eo expectes; qualia erant ejus è tripode olim responsa. Epularum quoque magnificentiâ suos Principibus commendabit; mira celeritate allatis vel è novo orbe cupediis. Quidni enim certus fur expilet aliena, & Spiritus citissimè apportet expilat? peditum equitumque exercitibus stipabit suos, vel castellis & propugnaculis faciet securos: quæ nil aliud sint, quàm evanida aëri impressa phantasmata, ab eo, qui substantiæ similitudine aëri affinis est. In aleâ verò & foliis lusoriis illos instruet præstigiis, queis collusores deludant; & fallaciis præterea innumeris nimium hoc sæculo à plerisque usurpatis. Norunt qui cum Italo illo, *Scoto*, adhuc superstite familiariter vixêre. quæ omnia mera sunt sensuum ludibria, veri inania; qualia erant Magorum Pharaonis, Mosaica imitantium miracula. Eo enim differunt divina miracula à Satanicis, quòd Deus, Creator rerum omnium, quicquid exhibet miraculo, ita quoque se habet; ut Mo-

ſaicâ virga in veriſſimum mutata eſt ſerpentem. Diabolus autem, creatoris ſimius, miraculi imitatione non repræſentavit naturam ſerpentis; ſed phantaſmate adſpicientium oculos ludificatus eſt. quod re ipsâ poſt apparuit. nam quos ille fecit ſerpentes à Moſaico abſumpti ſunt. Nec mirum videri debet per Diaboli fallacias illudi ſenſibus humanis, cum præſtigiatorum noſtrorum dexteritate ſexcenta nobis aliter appareant, quàm ſint. Quod verò attinet ad alteram partem contractus; id Magi dant Satanæ, quod ille tam improbo labore ubique aucupatur.

XXVII.

Inſimularunt falsò hujus vitii Judæi ipſum Chriſtum, ut conſtat *primò* ex Scripturæ teſtimoniis: Phariſæi enim dicebant: Iſte non ejicit Dæmonia niſi per Beelzebulum principem Dæmoniorum, quem Porphyrius vult dictum Serapim, paria offendes *Matthæi 9. v. 34. Marc. 3. v. 22.* Quidam ex Judæis dixerunt, cum ejeciſſet Dæmonium: Per Beelzebulum principem Dæmoniorum ejicit Dæmonia *Luc. 11. v. 15.* in quem locum vide *Glaſſium. Joban. 8. v. 48.* reſponderunt Judæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus te Samaritanum eſſe, & Dæmonium habere. Ita calumniati verbum & miracula, quaſi niterentur mediis ſuperſtitioſis. Hæc autem non derogant veritati miraculorum Domini noſtri, quia ſive perſonam ſpectemus vitæ ſanctitate conſpicuam, ſive rationem agendi, ſive doctrinam quibus addebantur miracula, ſive operationes nulli poteſtati imitandas; talia ille fecit opera, quæ nemo ante: unde eſt quod excuſationem non habuerunt increduli. Sic enim ille, Joh. 15. 24. Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c. Nam excitare mortuos, futura contingentia certo præſcire, hominum cogitationes propriè ac per ſe detegere; & alia ſimilia quæ vim omnem creaturarum excedunt, ſoli Deo propria & poſſibilia ſunt. Unde Nicodemus rectè id agnovit & de Chriſto confeſſus eſt. Joh. 3. 2. Nemo enim poteſt hæc ſigna edere, quæ tu edis, niſi cum eo. Ut difficile non ſit reſpondere ad exceptiones Judæorum contra miracula Jeſu Domini noſtri, quaſi videlicet ea virtute magica facta fuerint. Nam ſi modò concedatur opera iſta revera facta eſſe, nihil reſtat ad calumniam iſtam diluendum. Talia enim ſunt, ut eo ipſo, quod facta ſint, autorem

torem suum divinum virum fuisse arguant, omnisque vel magiæ, vel secretæ cum dæmone conjurationis suspicio protinus evanescat. Ut enim jam non dicam, Judæos causam non habere, cur credant potius magicæ artis beneficio Jesum nostrum miracula tot ac tanta fecisse, quam Mosem suum; imo causam habere, cur de Mose suo id justius suspicari debeant, ac credere; cum certum sit Jesum nostrum fabri filium fuisse & fabrum, in Ægypto verò magicæ artis schola præcipua non nisi infantem ad exiguum tempus fuisse: Mosem verò suum in aula Regis Ægyptii enutritum, educatum, & magnam ætatis adultæ partem exegisse, atque eapropter artis magicæ penitissima cognitione imbui potuisse, & à multis imbutum fuisse creditum, uti ex Plinio & Apulejo constat; ut, inquam, jam de hoc nihil dicam, obsecro quis vel leviter suspicetur, aut magum ullum potuisse, aut dæmonem ullum voluisse tot opera præstare, quæ non nisi mera fuerunt beneficia generi humano præstita? quis credat opera ista, aut magiæ aut dæmonis opera patrata, quæ fiebant ad confirmandum doctrinam istam, qua non minus quam lege Mosaica magia omnis damnatur, & Satanæ regnum evertitur funditus. Collusio, inquies, fuit. At collusio ibi non potest habere locum, ubi colludentes capitales hostes sunt, & alter in alterius perniciem conjurat. Amicorum & sociorum est colludere, non hostium. Atqui capitaliorem hostem non habuit dæmon, quàm Jesum nostrum ejusque religionem, qua non continentur nisi præcepta ejusmodi ac promissa, quæ diabolo sunt exosissima & universo ejus in mundo imperio evertendo aptissima. Tum, si magus erat qui ista faciebat, cur magiæ postulatus non fuit in judicio? cur criminis istius reus actus convictusque non fuit à Senatoribus Sanhedrum, quos omnes magiæ consultos fuisse artisque magicæ peritissimos Judæorum schola adserit? cur quæsita fuerunt crimina, ubi manifestum magiæ crimen solùm sufficiebat ad ejus damnationem? Exod. 22. 18. *Secundò* ex Calumniis Judæorum, qui Christum Salvatorem nostrum arguunt commercii cum Dæmone & cum Isaaco Ben Abrahamo dicunt illum per magiam mortuos resuscitasse, consimilia Magis ægyptiacis patrasse cum *R. Lusitano* in Colloquio Mittelburgensi, imo eo fine in Ægyptum profectum, & quidem Alexandriam, ut ex Ben Bara-

chia disceret præstigiari, omniaque fecisse per virtutem Nominis *Schemamphorasch*, de quo *D. Müllerus* scribit: Ein alter Einwurff der Jüden ist/ daß Christus durch Krafft deß Schemamphoras seine Wunder verrichtet/ Sie sagen/ im Tempel Salomonis sey gewesen ein Stein/ in welchem König Salomo den außgelegeten Namen Gottes einhawen lassen/ solchen Namen dörffte niemand abschreiben oder außwendig lernen. Für der Thür deß Heiligthums sind zween Hunde von Ertz gestanden/ auff zwo Seulen/ wenn jemand die Buchstaben deß Namens lernete / und wider heraus gieng / bollen die eherne Hunde jhn so greulich an/ daß er für grossem Schrecken deß Namens und der Buchstaben vergaß. JEsus aber gieng in den Tempel/ lernete die Buchstaben/ und schrieb sie auff Pergament/ darnach reiß er das Fleisch auff an seinem Beine/ und legete den Zettel darein. Und weil er den Namen nennete/ thäte jhm nichts wehe/ und gieng die Haut zusammen/ wie sie vorhin gewesen war: Als er nu aus dem Tempel gieng / bollen jhn die eherne Hunde an / daß er so bald deß Namens vergaß/ da er aber hinab kam/ reiß er mit einem Messer das Bein auff/und nam heraus den Zettel/ darauff die Buchstaben stunden deß Schemamphoras/ und lernete jhn widerumb. Durch Krafft solches Namens habe er alle seine Wunder verrichtet/ und sich also für Messiam außgegeben. Dieses Gedichte hat D. Luther im 8. Teutschen Jenischen Theil im Buch vom Schemamphoras weitläufftig beantwortet. Kürtzlich / daß König Salomo solchen Stein in den Tempel gesetzet/ und den Namen Gottes darauff graben lassen/ davon wird weder in den Büchern der Könige/ noch in der Jüdischen Chronica/ noch beym Josepho etwas gelesen. Woher habens denn die Jüden zu diesen letzten Zeiten erfahren? Wie haben aber dieselbige Hunde so scharff und eigentlich sehen können / wer den Namen Gottes abgeschrieben/ oder wie haben sie bellen können/ weil sie von Ertz gewesen? Wo sind dieselbige Hunde hinkommen/ in der ersten Zerstörung deß Tempels/ wie sind sie wider in den andern Tempel gesetzet worden: Oder wo sind sie in der letzten Zerstörung hin kommen? Wie mag es doch kommen/ daß König Salomo diesen Namen/ den er in den Stein einhawen lassen/ nicht selber gebraucht/ und

Wun-

Wunderwerck damit verrichtet: die Schrifft gedencket keines Wunderwercks/das Salomo gethan haben solle. Es müste Salomo auch ein gottloser Mensch gewesen seyn/ wenn er gewust/ daß man mit solchem Namen die Kranckheiten heilen/ und die Todten aufferwecken könne/ daß er solche Wolthaten durch Gebrauch und Mittheilung dieses Namens nicht befördert. Die Buchstaben an sich selber in einem Worte sind ein todtes lebloses Ding/ das keine Krafft hat. Es ist auch zu verwundern/ daß die Jüden solch Schemamphoras nicht gebrauchet/ als der Römische Keyser Jerusalem belägert/ erobert/ und das gantze Jüdische Land verwüstet: da hätten sie nöthig gehabt grosse Wunder damit zu thun/ die Feinde zu schlagen/ und sich von der Römer Gewalt zu entbrechen. Warumb haben sie diesen Namen nicht gebrauchet zur Zeit Juliani/ da sie den dritten Tempel bauen wolten/ daß sie den Bau hinaus geführet hätten/ oder warumb haben sie jhn nicht gebrauchet zur Zeit deß Keysers Adriani/ welcher etliche hundert tausend Jüden erschlagen/ da sie einem falschen Messia Barchoba anhiengen/ derselbige falsche Messias hätte mit solchem Namen auch können und sollen Wunder thun. Es ist auch ein närrisch Fürgeben/ daß Gott seine unendliche Krafft und Allmacht in einen Namen gegossen/ also und dergestalt/ daß gottlose Leute (dafür die Jüden unsern HErrn JEsum halten) solten denselbigen wider Gottes Ehre/ zu Bestettigung der Lügen (dafür halten sie Christi Lehre) gebrauchen können. Es mag kaum ein närrischer Getichte gefunden werden/ als dieses/ daß JEsus durch Krafft solches Namens seine Wunder verrichtet: Woher haben denn die Apostel solche Krafft gehabt im Namen JEsu Wunder zu thun/ ob es auch vom Schemhamphoras kommen/ wo haben die Apostel solchen Namen gelernet? Hat der Name selbige Krafft denn gantz verloren/ daß er heutiges Tages solche Ding nicht mehr kan würcken? Lauter Lügen sind es/ was die Jüden von Krafft dieses Namens fürgeben/ daher sie sich billich schämen solten. Etliche Jüden geben für/ daß JEsus die schwartze Kunst in Egypten gelernet/ und durch selbige Wunder verrichtet. R. Isaac Ben-Abraham n. 46. wider das Newe Testament zihlet auch dahin/ in dem er fürgibt/ daß Christus gen A-

lexandriam in Egypten gezogen/ und daselbst ein Discipel R. Josuæ Ben-Perachiæ gewesen zur Zeit deß Königs Janai / beruffen sich auff den Talmud/ der hievon zeuge. Antwort (1.) Deß Talmuds Zeugnus können uns die Jüden nicht fürwerffen/ dieweil sie wissen/ daß wir selbiges Buch nicht gelten lassen/ aus Ursachen/ welche droben sind erzählet worden. Belangend aber diese Historiam / wird selbige gefunden in Seder Nesikin lib. Sanhedrim im 11. Capitel חלק daß JEsus solle in Egypten gewesen seyn/ zur Zeit Janai oder Jannæi/ deß Jüdischen Königes/ welcher auch Alexander geheissen. Galatinus aber lib. 1. cap. 7. beweiset ex Seder Olam, daß es nicht unser Messias / sondern ein ander Jesus gewesen / welcher für Pilati Zeit / unter welchem unser Messias gecreutziget worden/ hundert und zehen Jahr gelebet/ zur Zeit Hircani deß Maccabeers Simonis Sohn/ als R. Josua Ben-Perachiæ gelebet. R. Abravaniel gedencket dieser Historia auch über das 9. Capitel Danielis: daß nemlich der Talmud schreibe / Jesus sey mit seinem Præceptore R. Josua dem Sohn Perachiæ (da er deß Krieges halber/ welchen Jannæus mit den Phariseern geführet/ weichen müssen) in Egypten gezogen/ hernach sey er mit jhm wider kommen/ und 151. Jahr für der Zerstörung Jerusalem gecreutziget worden. Er gibet auch für/ daß die Christen ertichtet/ als ob JEsus kurtz für der Zerstörung Jerusalem gecreutziget sey / damit es das Ansehen haben solle/ als ob die Creutzigung Christi/ als eine Sünde/ Gott Ursache zu solcher Zerstörung gegeben habe: Jedoch trauet jhm der Rabbi nicht die Sache außzuführen/ sondern schleußt (wie es Buxtorffius verdolmetschet) Quia dici potest Jesum illum fuisse alium, idcirco non ponimus magnum fundamentum in hoc dubio: dieweil man sagen kan / daß dieser Jesus ein ander gewesen / darumb bauen wir nicht fäst auff diesen Fürwurff. (2.) Es haben vorzeiten die Heyden solches den Wunderwercken Mosis fürgeworffen/ Er habe in Egypten die Zauber-Kunst gelernet/ und durch Krafft derselbigen solche Zeichen und Wunder gethen. Das hätte noch viel einen bessern Schein / als mit unserm JEsu von Nazareth/ dieweil bekant/ daß Moses in Egypten von Jugend auff erzogen am Hofe deß Königes Pharaonis/ da sich viel Zäuberer

auff-

auffgehalten. Gleich wie nun die Jüden jhren Mosen entschuldigen wider die Heyden/ also entschuldigen wir unsern Messiam wider die Jüden/ und solches desto gewisser/ dieweil man keinen Beweis kan auffbringen/ daß JEsus in Egypten gewesen/ außgenommen in seiner Kindheit/ da jhm Herodes nach dem Leben gestanden/ und Joseph auff Befehl deß Engels mit Maria und jhrem Söhnlein in Egypten-Land fliehen müssen: zur selbigen Zeit aber ist JEsus noch ein zartes Kind gewesen/ wenig Wochen alt/ die Weisen aus Morgenland funden es zu Bethlehem/ da es geboren war/ so bald sie hinweg gezogen/ entbrante Herodes im Zorn/ schickte seine Soldaten aus/ und ließ alle Kinder zu Bethlehem tödten/ die zwey-jährig und drunter waren/ da unterdeß Joseph mit dem Kindlein auff Vermahnung deß Engels in Egypten gewichen war. Aus Egypten aber ist er noch ein Kind wider kommen/ da Archelaus an statt seines Vatters Herodis König worden im Jüdischen Lande/ Matth. 2. vers. 22. in welcher Kindheit jhm solche Kunst zu lernen unmöglich gewesen. (3.) Wofern in Egypten solche Zauber-Kunst zu lernen gewesen/ dadurch man die Blinden sehend/ die Lahmen gehend gemacht/ die Todten aufferwecket/ viel Menschen mit wenig Broten gesättiget/ aus Wasser Wein gemachet/ so würde ohne Zweifel Tyberius und Nero/ die solcher Kunst sehr ergeben gewesen/ alle Mühe und Unkosten angewendet haben/ die Kunst zu erforschen und zu lernen/ sie würden dergleichen auch gethan/ die Todten mit einem Wort aufferwecket/ die Blinden/ Lahmen/ Stummen und Tauben geheilet haben/ welches doch weder von Tyberio und Nerone noch von den Zäuberern in Egypten gelesen wird/ daß sie solche Wunder gethan. (4.) Wir halten den Jüden nochmals entgegen/ daß die Lehre JEsu die Zauber-Kunst verbeut/ darumb er solche Kunst nicht kan getrieben haben. Zauberey ist ein Werck deß Fleisches/ Gal. 5. v. 20. Den Zäuberern und Abgöttischen ist die Hölle bereitet/ Apoc. 21. v. 8. den Zäuberern haben die Jünger JEsu in seinem Namen widerstanden. Simon that mit seiner Zauberey grosse Dinge/ aber da er die Zeichen und Wunder der Apostel sahe/ verwunderte er sich/ und ward gläubig durch jhre Predigt/ Actor. 8. v. 13. Der Zäuberer

Elimas

Elimas konte nicht stehen mit seiner Zauberey für den Wunderzeichen Pauli/ Actor. 13. v. 11. Es hat die Lehre Christi solchen Widerstand dem Teuffel gethan / daß die Oracula und Wahrsager bey den Heyden verstummet/ auch andere Wercke deß Teuffels auffgehöret. JEsus hat die Teuffel aus vielen Besessenen getrieben/ der Wahrsager Geist wurde von den Aposteln getrieben aus einer Magd/ Act. 19. v. 18. wie denn die/ so zum Glauben an Christum bekehret worden / die Bücher verbranten/ in welchen die Zauber-Kunst beschrieben war/ v. 19. *Tertiò* ex Gentilium Dicteriis in Christum, nam & Magum fuisse Christum dixerunt & virtute magica miracula patrasse, & tandem artes magicas Discipulos suos docuisse libris de hâc re editis, qu s Petro & Paulo inscripserit teste Augustino lib. 1. de Consensu Evangelistarum cap. 9. & 10. Fieri potest, inquit uti, sive inimici Nominis Christi, sive qui ejusmodi execrabilibus artibus, de tam glorioso nomine pondus authoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi & Apostolorum nomine scripserunt, & rationem subjungit, scribens: Cùm vellent tale aliquid fingere Christum, scripsisse ad Discipulos suos, cogitaverunt, ad quos potissim u n scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum dignè committeretur: Occurrit eis Petrus & Paulus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt, quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius & solenniter Roma commendat. Adde eundem sermone XI. in Matthæum, sermone 29. de verbis Apostoli lib. 12. contra *Faustum Manichæum* cap. 45. Epistola 5. ad *Marcellinum*. Vide *Arnobium*, qui ita: Occursurus forsitan rursus est cum aliis multis calumniosis illis & puerilibus vocibus: magus fuit clandestinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentiam nomina, & remotas furatus est disciplinas. Quid dicitis, ô parvuli, incomperta vobis, & nescia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Ergone illa, quæ gesta sunt, dæmonum fuere præstigiæ, & magicarum artium ludi? Potestis aliquem nobis design re, monstrare ex omnibus illis Magis, qui unquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit? qui sine ulla vi carminum, sine herbarum & grami-

num

num succis, sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum? Non enim urgemus, & quærimus, quæ sese spondeant facere, vel in quibus generibus actuum soleat omnis illorum doctrina & experientia contineri. Quis enim hos nesciat aut imminentia studia prænoscere, quæ necessario velint nolint suis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem: aut familiarum dirumpere charitates: aut sine clavibus reserare, quæ clausa sunt: aut ora silentio vincire: aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; aut uxoribus, & liberis alienis, sive illi mares sint, sive fœminei generis, inconcessi amoris flammas, & furiales immittere cupiditates: aut si utile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum, quos invocant, potestate? Atqui constitit Christum sine ullis adminiculis rerum, sine ullius ritus observatione, vel lege, omnia illa quæ fecit, nominis sui possibilitate fecisse: & quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens, aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis potestatis munificæ liberalitate donasse. Quid dicitis, ô iterum? Ergo ille mortalis, aut unus fuit è nobis, cujus imperium, cujus vocem popularibus & quotidianis verbis missam, valetudines, morbi, febres, atque alia corporum cruciamenta fugiebant? Unus fuit è nobis, cujus præsentiam, cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus dæmonum, conterritaque vi nova membrorum possessione cedebat? Unus fuit è nobis, cujus fædæ vitiligines jussioni obtemperabant pulsæ statim, & concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant? Unus fuit è nobis, cujus ex levi tactu stabant profluvia sanguinis, & immoderatos cohibebant fluores? Unus fuit è nobis, cujus manus intercutes & veternosæ fugiebant undæ, penetrabilis ille vitabat liquor, & turgentia viscera salutari ariditate deflabant? Unus fuit è nobis, qui claudos currere præcipiebat? Etiam operis res erat porrigere mancos manus; & articuli immobilitates jam ingenitas explicabant: captos membris assurgere; etiam suos referebant lectos alienis paulo ante cervicibus lati: viduatos videre luminibus; etiam cœlum diemque cernebant nullis cum oculis procreati. Unus, inquam, fuit è nobis, qui debilitatibus variis, morbisque vexatos centum, aut hoc amplius, semel

una intercessione sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda & insana explicabant se maria? procellarum turbines tempestatesque sidebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum? calcabat ponti terga undis ipsis stupentibus, in famulatum subeunte natura? qui sequentium se millia quinque, quinque saturavit è panibus, ac, ne esse præstigiæ increduli illis viderentur & duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Unus fuit è nobis, qui redire in corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos? & post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri, Unus fuit è nobis. qui, quid singuli voluerent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? Unus fuit è nobis, qui, quid singuli voluerent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? Unus fuit è nobis, qui cum unam emitteret vocem, ab diversis populis, & dissona oratione loquentibus, familiaribus verborum sonis, & suo cuique utens existimabatur eloquio? Unus fuit è nobis, qui cum officia religionis certæ suis sectatoribus traderet, mundum totum repente complebat, quantusque, & qui esset, revelata nominis immensitate monstrabat? Unus fuit è nobis, qui deposito corpore innumeris se hominum prompta in luce detexit? qui sermonem dedit, atque accepit, docuit, castigavit, admonuit? qui ne illi se falsos vanis imaginationibus existimarent, semel, iterum, sæpius familiari collocutione monstravit? qui justissimis viris etiamnunc impollutis, ac diligentibus sese, non per vana insomnia, sed per puræ speciem simplicitatis apparet? cujus nomen auditum fugat noxios spiritus? imponit silentium vatibus? haruspices inconsultos reddit? arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, sed majoris licentia potestatis? Et hæc quidem summatim exposita, non ea ratione protulimus, tanquam magnitudo facientis solis in his esset perspicienda virtutibus. Quanta sint enim hæc, vel exilitatis cujus reperientur & ludi, si traditum fuerit nosci, ex quibus ad nos regnis, cujus numinis ministrator advenerit? Quæ quidem ab eo gesta sunt, & factitata, non ut se vana ostentatione jactaret, sed ut homines duri, atque increduli scirent non esse, quod spondebatur, falsum: & ex operum benigni-

tate,

tate, quid esset Deus verus, jam addiscerent suspicari. Simul & illud volumus sciri, cum summatim, ut dictum est, enumeratio facta gestorum est, non ea solum Christum potuisse, quæ fecit, sed constituta etiam exuperasse fatorum. Nam si, ut liquet & constat, debilitates, & corporum passiones, surdi, manci, & muti, nervorum contractio, & amissio luminis, fatalibus accidunt irroganturque decretis, & solus hæc Christus correxit, restituit, atque sanavit: sole ipso est clarius, potentiorem illum fuisse, quàm fata sunt, cùm ea solvit & vicit, quæ perpetuis nexibus, & immobili fuerant necessitate devincta. Sed frustra, inquit nescio quis, tantum arrogas Christo, cum sæpe alios sciamus, & scierimus deos, & laborantibus plurimis dedisse medicinas, & multorum hominum morbos valetudinesque curasse. Non inquiro, non exigo, quis Deus, aut quo tempore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum restituerit sanitati: illud solum audire desidero, an sine ullius adjunctione materiæ, id est, medicaminis alicujus, ad tactum morbos jusserit ab hominibus evolare, imperaverit, fecerit & emori valetudinum causam, & debilium corpora ad suas remeare naturas. Christus enim scitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis simplicis jussione aures aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcitates, orationem dedisse mutis, articulorum vincula relaxasse, ambulatum dedisse contractis, vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera, quæ humana corpora sustinere nescio, quæ voluit importuna crudelitas, verbo solitus imperioque sanare. Quid simile dii omnes, à quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latam? Qui si quando ut fama est nonnullis attribuere medicinam, aut cibum aliquem jusserunt capi, aut qualitatis alicujus ebibi potionem, aut herbarum & graminum succos superponere inquietantibus causis, ambulare, cessare, aut re aliquâ, quæ officiat abstinere: quod esse non magnum, nec admirationis alicujus stupore condignum promptum est, si volueritis attendere: medici enim sic curant; animal humi natum, nec confisum scientiæ veritate, sed in arte suspicabili positum, & conjecturarum æstimationibus nutans. Nulla autem virtus est medicaminibus amovere, quæ noceant: beneficia ista rerum, non sunt curantium potestates: &, ut sit laudabile scire, qua

quos conveniat medicina aut arte curari, locus hujus laudis non in Deo, sed in homine constitutus est. Hunc enim non est turpe rebus extrinsecus sumptis valetudinem hominis fecisse meliorem: indecorum Deo est, non ipsum per se posse, sed externarum adminiculis rerum sanitatem incolumitatemque præstare. Et quoniam beneficia salutis datæ aliorum numinum comparatis, & Christi: quot millia vultis à nobis debilium vobis ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retulisse medicinam, cum per omnia supplices irent templa, cum Deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis: cum Æsculapium ipsum datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad illis superfuit vita, & precibus fatigarent, & invitarent miserrimis votis? Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciatibus alios consenuisse morborum, perniciosius alios sese habere cœpisse, postquam dies noctesque in continuis precibus, & pietatis expectatione triverunt? Quid ergò prodest ostendere unum, aut alterum fortasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo: & plena sint omnia miserorum, infeliciumque delubra? Nisi forte dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miserias despici. Atqui Christus æqualiter bonis, malisque subvenit: nec repulsus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat injuriasque fortunæ. Hoc est enim proprium Dei veri, potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime: cum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis, seu judicationis electio. Dicere porrò meritis opem laborantibus ab diis ferri, hoc est in medio ponere, & dubitabile, quod afferas, facere: ut & ille, qui sanus est factus, fortuito possit videri esse servatus: & ille, qui non est, non meriti causa, sed infirmitate credatur valetudinem expellere non potuisse divina. Quid? quòd istas virtutes quæ sunt à nobis summatim, non ut rei poscebat magnitudo, depromptæ, non tantum ipse perfecit vi sua, verum quod erat sublimius, multos alios experiri, & facere sui nominis cum affectione permisit. Nam cum videret futuros vos esse gestarum ab se rerum, divinique operis abrogatores, ne qua subesset suspicio, magicis se artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immensa illa populi multitudine, quæ suam gratiam sectabatur admirans, piscatores,

opi-

opifices, rusticanos, atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi, cuncta illa miracula sine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compescuit verminantium membrorum cruces: & illi verbo compescuerunt furialium vermina passionum. Imperio ille uno exturbavit à corporibus dæmonas, & exanimatis suos restituit sensus: sub eorum tortantes & illi se casibus, jussione non alia sanitati & constantiæ reddiderunt. Ille notas albicantium vitiliginum manu admota detersit: lineamenta & hi corporum haud dissimili conciliavere contactu. Uliginosa ille & turgentia viscera siccitatem jussit recuperare nativam: & famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas, & à pernicie corporum suos labi jussere per tramites. Ille ulcera oris immensi, & recusantia perpeti sanitatem intra unius verbi moram continuato frenavit à pastu: & illi haud aliter contumaciam canceris sævi ad subeundam cicatricem circumscriptis evaginationibus compulerunt. Incessum ille claudis dedit, visum luminibus cæcis, interemptos revocavit ad vitam: nec minus & hi quoque contractionem relaxavere nervorum, luce oculos implevere jam perdita, & ab tumulis remeare defunctos exequiarum conversione jusserunt. Neque quicquam est ab illo gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum parvulis illis & rusticis, & eorum subjecerit potestati. Quid dicitis, ô mentes incredulæ, difficiles, duræ, alicui ne mortalium Jupiter ille Capitolinus hujusmodi potestatem dedit? Curionem, aut Pontificem maximum, quinimmo dialem, quod ejus est, flaminem isto jure donavit? Non dicam, ut mortuos excitaret, non ut cæcis restitueret lucem, non ut membrorum situm enervatis redderet, & dissolutis: sed ut pustulam, reduviam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret. Ergo illud humanum fuit, aut ex ore terrenis stercoribus innutrito tale potuit jus dari, talis licentia proficisci, & non divinum, & sacrum? aut si aliquam superlationem res capit, plusquam divinum, & sacrum? Nam si facias ipse, quod possis, & quod tuis sit viribus potentatuique conveniens, admiratio non habet quod exclamet: id enim quod potueris, feceris, & quod præstare debuerit vis tua, ut operis esset una, & ipsius qui operaretur, qualitas. Transcribere posse in

in hominem jus tuum: & quod facere possis, fragilissimæ rei donare, & participare faciendum, supra omnia sitæ est potestatis, continentisque sub sese est rerum omnium causas, & rationum facultatumque naturas. Age nunc veniat quæso per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur autori Bactrianus: & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo Armenius Zostriani nepos, & familiaris Pamphilus Cyri, Apollonius, Damigero, & Dardanus, Velus, Julianus, & Bæbulus, & si quis est alius, qui principatum & nomen fertur in talibus habuisse præstigiis: permittant uni ex populo in officium sermonis dandi ora coarticulare mutorum, surdorum auriculas returare, sine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas, & in frigentia olim membra sensus animasque reducere. Aut si ardua res ista est, neque aliis permittere talium possunt operum potestates, ipsi faciant, & cum suis ritibus faciant, quidquid malefici graminis nutricant terrarum sinus, quidquid virium continet fremor ille verborum, atque adjunctæ carminum necessitates, non invidemus, adjiciant; non interdicimus, colligant. Experiri libet & recognoscere, an cum suis efficere diis possint, quod ab rusticis Christianis jussionibus factitatum est nudis. Desistite, ô nescii, in maledicta convertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum allatura sed vobis: periculum, inquam, non parvulum, nec in rebus exiguis, sed in præcipuis constitutum. Siquidem res anima preciosa est, nec ipso se homini quidquam potest carius inveniri. Nihil, ut remini, magicum, nihil humanum, præstigiosum, aut subdolum, nihil fraudis delituit in Christo, derideatis licet ex more atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis, & ab omnium principe Deus sospitator est missus, quem neque sol ipse, neque ulla, si sentiunt, sidera, non rectores, non principes mundi, non denique dii magni, aut, qui fingentes se Deos genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit, potuerunt noscere vel suspicari Et merito. Exutus at corpore, quod in exigua sui circumferebat parte, postquam videri se passus est, cujus esset aut magnitudinis sciri, novitate rerum exterrita universa mundi sunt elementa turbata, tellus mota contremuit,

tremuit, mare funditus refusum est, aër globis involutus est tenebrarum, igneus orbis solis tepefacto ardore diriguit. Quid enim restabat ut fieret, postquam Deus est cognitus is, qui esse jamdudum unus judicabatur è nobis? Sed non creditis gesta hæc. Sed qui ea conspicati sunt fieri, & sub oculis suis viderunt agi, testes optimi, certissimique auctores, & crediderunt hæc ipsi, & credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sint, fortasse quæriris? Gentes, populi, nationes, & incredulum illud genus humanum. Quod nisi aperta res esset, & luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, nunquam rebus hujusmodi credulitatis suæ commodarent assensum. An numquid dicemus illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut, quæ nunquam viderant, vidisse se fingerent? & quæ facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis, aut puerili assertione firmarent? cumque possent vobiscum & unanimiter vivere, & inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, & execrabili haberentur in nomine? Quod si falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est? aut in unam coire qui potuerunt mentem gentes regionibus dissitæ, ventis, cœli convexionibusque dimotæ? Asseverationibus illectæ sunt nudis, inductæ in spes cassas, & in pericula capitis immittere se sponte temeraria desperatione voluerunt, cum nihil tale vidissent, quod eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo. Imo quia hæc omnia & ab ipso cernebant geri, & ab ejus præconibus, qui per orbem totum missi beneficia patris & munera sanandis animis hominibusque portabant, veritatis ipsius vi victæ, & dederunt se Deo, nec in magnis posuere dispendiis membra vobis projicere, & viscera sua lanianda præbere. Sed conscriptores nostri mendaciter ista prompserunt, extulere in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere præconio. Atqui utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure & potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, aut apprehendere locum fortasse possetis, quo videretur esse similimum veri & incrementa rebus apposita, & inditas scriptis & commentariis falsitates. Sed neque omnia

con-

conſcribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt geſta gentibus in ignotis, & uſum neſcientibus literarum: aut, ſi qua ſunt literis, conſcriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum, quorum cura & ſtudium eſt hanc intercipi veritatem, & conſimilium his hominum, interpolata quædam, & addita, partim mutata, atque detracta, verbis, ſyllabis, literis, ut & prudentium tardaret fidem, & geſtorum corrumperet auctoritatem. Sed nunquam fuerit, his bene, ut Chriſtus qui fuerit, literarum teſtimoniis colligatur: cujus in id ſolum dimiſſa ſunt cauſa, ut ſi eſſe conſtiterit ea vera, quæ dicimus, confeſſione omnium Deus fuiſſe monſtretur. Non creditis ſcriptis noſtris? & nos veſtris non credimus ſcriptis. Falſa de Chriſto compingimus? & vos de diis veſtris inania & falſa jactatis. Neque enim cœlo Deus aliquis lapſus eſt, aut ſuis res veſtras commentatus eſt manibus, aut ratione conſimili noſtris rebus, & religionibus derogavit. Ab hominibus hæc ſcripta? & illa ſunt ab hominibus ſcripta, mortalibus ediſſertata ſermonibus. Et quidquid dicere de noſtris conſcriptoribus intenderitis, & de veſtris hæc dicta paribus ſumite atque habetote momentis. Vultis vera eſſe, quæ in veſtris comprehenſa ſunt ſcriptis? & quæ in noſtris conſignata ſunt literis, confiteamini neceſſe eſt eſſe vera. Falſitatis arguitis res noſtras? & nos veſtras arguimus falſitatis. Sed antiquiora; inquitis, noſtra ſunt, ac per hoc fidei & veritatis pleniſſima. Quaſi verò errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit, & non ipſa pepererit res eas, quæ turpiſſimas diis notas ignominioſis concinnaverunt in fabulis. Ante millia enim annorum decem non potuerunt falſa & audiri, & credi? aut non ſimillimum veri eſt, fidem vicinis & finitimis, quàm ſpatiorum ineſſe longinquitate diſtantibus? Teſtibus enim hæc, illa opinionibus aſſeruntur, & proclivius multo eſt, minus eſſe in recentibus fictionis, quam in antiqua obſcuritate ſubmotis. Sed ab indoctis hominibus, & rudibus, ſcripta ſunt, & idcirco non ſunt facili auditione credenda. Vide ne magis hæc fortior cauſa ſit, cur illa ſint nullis coinquinata mendaciis, mente ſimplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Trivialis & ſordidus ſermo eſt. Nunquam enim veritas ſectata eſt fucum, nec quod exploratum & certum eſt, circumduci ſe patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata,

ta, definitiones, omniaque illa ornamenta, quibus fides quæritur assertionis, suspicantes adjuvant, non veritatis lineamenta demonstrant. Cæterùm qui scit, quid sit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi consueti sunt audientes, & ad consensum rei circumscriptionis necessitate traduci. Barbarismis, solœcismis, obsitæ sunt, inquit, res vestræ, & vitiorum deformitate pollutæ. Puerilis sane, atque angusti pectoris reprehensio: quam si admitteremus, ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorundam fructuum genera, quòd cum spinis nascuntur, & purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit, ô quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, utrumne quid grave, an hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui minus id, quòd dicitur, verum est, si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, conjunctione? Pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro judiciisque servetur, deturque illis imo, qui voluptatum delineamenta quærentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates; maximè cum sciamus etiam quosdam sapientiæ deditos non tantum abjecisse sermonis cultum, verumetiam, cum possent ornatius atque uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem, & sophistica se potius ostentatione jactarent. Enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem: & cum tibi sit ratio cum male se habentibus atque ægris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere. Quanquam, si verum spectes, nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut hic paries dicatur, & hæc sella? cum neque sexus habeant fœmininis generibus masculinisque discretos, neque quisquam docere doctissimus me possit, ipsum hic & hæc, quid sint, aut cur ex his unum, sexum virile designet, fœmininis generibus

ribus id quod ſequitur, applicetur. Humana iſta ſunt placita, & ad uſum ſermonis faciendi non ſanè omnibus neceſſaria: nam & hæc paries forſitan, & hic ſella dici ſine ulla reprehenſione potuisſent, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, & à ſequentibus ſæculis communi eſſet in ſermocinatione ſervatum. Et tamen, ô iſti, qui pollutas res noſtras vitiorum criminamini fæditate, ſtribiligines & vos iſtas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius hæc utria, alius dicitis hos utres? cœlus, & cœlum? non item filus & filum? non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum? non item apud vos eſt poſitum hoc pane, & hic panis? hic ſanguinis, hoc ſanguen? candelabrum & jugulum ratione eadem jugulus & candelaber? Nam ſi ſingula nomina non posſunt genera plura habere, quàm ſingula: neque eadem poſſunt hujus eſſe generis, & illius, genus enim tranſire genus in alterum non poteſt, tam peccat, qui genera maſculina fœmininis pronunciat legibus, quam ab eo peccatur, qui articulos maſculinos fœmininis generibus anteponit. Atqui vos conſpicimus & res maſculinas fœmininè, & fœmineas maſculinè, & quas eſſe dicitis neutras, & illo, & hoc modo ſine ulla diſcretione depromere. Aut igitur nulla eſt culpa indifferenter his uti, & fruſtra nos dicitis ſolœciſmorum obſcœnitate deformes: aut ſi certum eſt ſingula quibus debeant rationibus explicari, in ſimilibus vitiis vos quoque verſamini: quamvis Epicadios omnes, Cæſellios, Verrios, Scauros teneatis, & Niſos. Sed ſi Deus, inquiunt, fuit Chriſtus, cur forma eſt in hominis viſus? & cur more eſt interemtus humano? An aliter potuit inviſibilis illa vis, & habens nullam ſubſtantiam corporalem, inferre & commodare ſe mundo, conciliis intereſſe mortalium, quàm ut aliquod tegmen materiæ ſolidioris aſſumeret, quod oculorum ſuſciperet injectum, & ubi ſe figere inertiſſimæ poſſet contemplationis obtutus? Quis eſt enim mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere, ſi talem voluiſſet inferre ſe terris, qualis ei primigenia natura eſt, & qualem ſe ipſe in ſua eſſe voluit vel qualitate, vel numine? Aſſumpſit igitur hominis formam, & ſub noſtri generis ſimilitudine potentiam ſuam clauſit, ut & videri poſſet, & conſpici: verba faceret, & doceret: atque omnes exequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, ſummi

regis

regis imperio & diſpoſitione ſervatis. Quid enim, dicit, rex ſummus ea, quæ in mundo facienda eſſe decreverat, ſine homine ſimulato non quibat efficere? ſi oporteret ita fieri, quemadmodum dicitis, ita fortaſſe feciſſet: quia non oportuit, aliter fecit. Quare iſto voluit, & illo genere noluit, latent taliter involutæ, & vix ullis comprehenſibiles cauſæ, quas accipere fortaſſe potuiſſes, ſi non eſſes jamdudum ad non accipiendum paratus: & prius te formares ad non credendi frontem, quam tibi eſſet expoſitum id, quod noſſe atque audire conquireres. Sed more eſt hominis interemptus. Non ipſe: neque enim cadere divinas in res poteſt mortis occaſus: nec interitionis diſſolutione dilabi id, quod eſt unum & ſimplex: nec ullarum partium congregatione compactum. Quis eſt ergo viſus in patibulo pendere, quis mortuus eſt? homo, quem induerat, & ſecum ipſe portabat. Incredibile dictu eſt, & cæcis obſcuritatibus involutum. Si velis, non cæcum eſt, & ſimilitudine proxima conſtitutum. Si quo tempore Sibylla, præſaga oracula illa depromens fundebat vi, ut dicitis, Apollinis plena, ab impiis eſſet cæſa atque interempta latronibus: numquid Apollo diceretur in ea eſſe occiſus? Si Bacis, ſi Helenus, Martius, aliique ſimiliter vates hariolantes eſſent vita & luce privati, numquid aliquis diceret, lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum poſtulantibus explicabant? Mors illa, quam dicitis, aſſumpti hominis fuit, non ipſius: geſtaminis, non geſtantis: quam nec ipſam perpeti ſuccubuiſſet, tanta ſi non agenda res eſſet, & inexplicabilis ratio fati clauſis patefacienda myſteriis. Quæ ſunt iſta, inquies, clauſa atque obſcura myſteria? Quæ nulli nec homines ſcire, nec ipſi, qui appellantur dii mundi, parte queunt aliqua ſuſpicionis atque opinationis attingere, niſi quos ipſe dignatus eſt cognitionis tantæ impertire muneribus, & in abditos receſſus theſauri interioris inducere. Vides enim ſi nollet inferri ſibi à quoquam manus, ſumma illi fuiſſe contentione nitendum, ut hoſtes ab ſe ſuos vel poteſtate inverſa prohiberet? Qui cæcis reſtituerat lumina, is efficere ſi deberet, non poterat cæcos? Qui debilibus integritatem, is debiles reddere difficultati habuit, aut labori? Qui claudos præcipiebat incedere, is motus alligare membrorum nervorum duritia, neſciebat? qui extrahebat à tumulis mortuos, huic arduum fuerat

letum cui vellet indicere? Sed quia fieri ratio ea, quæ fuerant destinata, poſcebat: & hic in ipſo mundo, nec modo quàm geſtum eſt alio, inæſtimabilis illa atque incredibilis lenitas injurias in ſe hominum, puerilibus pro ineptiis ducens, manus in ſe porrigi ab immanibus paſſa eſt duriſſimisque latronibus, nec imputandum putavit, quid illorum diſſignaſſet audacia, dummodo ſuis oſtenderet, quid ab ſeſe expectare deberent. Cum enim de animarum periculis multa, mala de illarum contra inſinuator, magiſter atque auctor, ad officiorum convenientium fines, ſuas leges & conſtituta direxit: non ſuperbiæ faſtum comminuit? non libidinum extinxit flammas? non hiatum compreſſit aviditatis? non tela extorſit è manibus atque omnia ſeminaria totius vitioſitatis abſcidit? Ipſe denique non lenis, non placidus, non acceſſu facilis, non familiaris affatu, non humanas miſerias indoleſcens, omnes omnino crucibus & corporalibus affectos malis unica illa benignitate miſeratus reddidit & reſtituit ſanitati? Quid ergo vos ſubigit, quid hortatur, maledicere, convitiari, inexpiabiles cum eo conſerere ſimultates, quem redarguere, quem tenere, nemo hominum poſſit ullius facinoris in reatu? Tyrannos ac reges veſtros, qui poſtpoſito deorum metu donaria ſpoliant populanturque templorum: qui proſcriptionibus, exiliis, cædibus nudant nobilitatibus civitates: qui matronarum pudorem ac virginum vi ſubruunt atque eripiunt licentioſa, appellatis indigetis, atque divos: & quos odiis acrioribus conveniebat à vobis carpi, pulvinaribus, aris, templis, atque alio mactatis cultu, ludorum & celebritate natalium: nec non & illos omnes, qui conſcriptione voluminum multiformi maledictis mordacibus carpunt publicos mores: qui luxurias ac vitas veſtras ſecant, urunt, dilacerant: qui in temporis poſteris notas ſcriptorum perpetuitate prolatant: qui matrimonia perſuadent habenda eſſe communia: qui cum pueris cubitant formoſis, laſcivientibus, nudis: qui pecudes vos eſſe, qui fugitivos, qui exules, qui viliſſimæ ſervos notæ, furioſos prædicant & inſanos: admirantes, plaudentes ad cœli ſuſtollitis ſydera, bibliothecarum reponitis in arcanis, quadrigis & ſtatuis muneramini, & quantum eſt in vobis velut quadam æternitate donatis immortalium teſtificatione titulorum: ſolum Chriſtum convellere, dilacerare, poteſtis ſi Deum, vultis,

imo

imo ſolum ſi liceat beluarum agreſtium ritu cruentis oribus mandere, comminutis cum oſſibus transvorare. Quodnam quæſo ob meritum, dicite, cujus ob peccati culpam? quid ab eo commiſſum eſt, quod tenorem inflecteret recti, & in odia vos aſpera furialibus ſtimulis concitaret? Quia animarum veſtrarum cuſtodem ſe miſſum ſolo indicavit ab rege? quia vobis immortalitatem ferre, quam vos habere confiditis humanis paucorum aſſeverationibus ſuaſi? Quod ſi eſſet apud vos certum falſa illorum dicere, ſpes etiam vaniſſimas polliceri, nec ſic video fuiſſe cauſam, cur eundem deberetis odiſſe, cur hoſtili animadverſione damnare. Imò, ſi animus vobis clemens fuiſſet & mitis, vel propter id ſolum eum deberetis amplecti, quòd optabilia vobis ſponderet & proſpera: quòd bonarum eſſet nuncius rerum; quòd ea prædicaret, quæ nullius animum læderent: ſecurioris quinimo expectationis impleret. O ingratum & impium ſæculum! ô in privatam perniciem incredibili pectoris obſtinatione paratum! Si aliquis ad vos medicus ex ſummotis veniſſet & nunquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale, quod à veſtris corporibus omnia omnino prohiberet morborum & valetudinum genera, non certatim omnes accurreretis? non blanditiis omnibus atque honoribus fotum familiaria ſuſciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus optaretis eſſe certiſſimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum, uſque ad ultimos fines ſponderet ætatis? & licet ambigua res eſſet, committeretis vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire ſpe ſalutis propoſita, atque amore incolumitatis incenſi. Eluxit atque apparuit Chriſtus rei maximæ nunciator, auſpicium fauſtum portans & præconium ſalutare credentibus. Quænam eſt iſta crudelitas, inhumanitas quæ tanta, quinimo, ut verius loquar, faſtidium, ſupercilium, nunciatorem muneris & portitorem tanti, non tantum verborum maledictionibus ſcindere, verumetiam bello gravi atque omnibus perſequi telorum effuſionibus & ruinis? Non placent ea, quæ dicit, & cum offenſionibus audiuntur à vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computare. Stolidiſſimas res loquitur, & fatua dona promittit? ridete ut ſapientes vos viri, & in ſuis erroribus fatuitatem relinquere volutari. Quænam eſt hæc feritas, ut

repetamus quæ dicta sunt sæpius, quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? Dilacerare, si detur, eum velle per viscera, qui non modo nullum intulerit malum nulli, sed æqualiter benignus hostibus diceret, quidnam his salutis Deo portaretur à principe: quid esset facto opus, ut interitum fugerent, & immortalitatem consequerentur ignotam? Cumque novitas rerum, & inaudita promissio audientium turbaret mentes, & credulitatem faceret hæsitare, virtutum omnium dominus, atque ipsius mortis extinctor hominem suum promiserit interfici, ut ex rebus consequentibus scirent in tuto esse spes suas, quas jamdudum acceperant de animarum salute, nec periculum mortis alia se posse ratione vitare?

XXVIII.

Nec immunes fuerunt Christiani ab affricatione hujus labis. Nam cum Tiburtius Christianus prunis inambularet nudis pedibus, & Fabianum Judicem ethnicum sic compellaret: Tu si potes, mitte manum in aquam calidam in nomine Jovis tui, & si potest Iupiter Deus tuus, faciat te non sentire ardorem. Nam mihi quidem in nomine Domini mei Jesu Christi videtur, quod super flores roseos ambulem, quia creatura ipsa Creatoris sui famulatur imperio. Fabianum dixisse, quis ignorat artem magicam vos docuisse Christum vestrum. Nec præteriit hanc criminationem Anastasia Martyr, quæ conqueritur, quod à marito suo, homine pagano, ut venefica & sacrilega in durum carcerem sit conjecta. Unde etiam Origenes: Non incantationibus pollent Christiani, sed nomine JESU, cum commemoratione factorum. Nam his sæpe numero profligati sunt Dæmones ex hominibus; præcipuè, quoties, qui enunciant, ea sano affectu & integra fide proferunt.

XXIX.

De Cypriano in specie, Patre Ecclesiæ docet Gregorius, quod in Ethnicismo Magus fuerit, unde etiam quidam illum in istam Classem referunt, qui magicis artibus in Justinæ animo ad se pelliciendo usus fuerit, & magicos libros apud se habuerit, id si non falsum maximè dubium. Nam *primò* Pontius, qui descripsit vitam Cypriani pag. 2. initio asserit, etiam ante Christum agnitum studia & bonas artes devotum ejus pectus imbuisse. *Secundò* Cyprianum

prianum non à Juſtina ſed à Cæcilio Carthaginenſi Presbytero Viro juſto ad agnitionem Divinitatis veræ à ſeculari Errore correctum fuiſſe. *Tertiò* ipſe Baronius hoc figmentum explodit & fabulæ nomine condecorat, unde etiam Bochartus dubitat: an hæc de Cypriano Oratio ſit vere Gregorii; quanquam alii cenſeant Gregorium in eo fuiſſe hallucinatum, quod quæ cujusdam alterius Cypriani erant, imprudens in Carthaginenſem contulerit, fuiſſe enim & alium hujus Nominis Virum, Antiochenum Domo ex Mago Chriſtianum & inde Diaconum & una cum Juſtina ſub Diocletiano Nicomediæ paſſum anno Domini 311.

XXX.

Notarunt quoque Pontificii Waldenſes, & inprimis *Fromondus* eos inſimulat: utque ſuæ ſectæ homines credant Gerſonem citat, qui obiit Anno 1429. Bella probatio. Gerſon vixit trecentis annis poſt exortos Waldenſes, eoque ei ut θεοπνεύστῳ Prophetæ credendum eſt in omnibus, quæ de iis narrat? Cui magis fides adhibenda, quàm infeſtiſſimo Turrelupinorum adverſario Raynerio Sachono, qui in eos conſtitutus fuit inquiſitor, vixitque circa annum 1250. Is verò ne verbulo mentionem ſacrorum Magicorum facit, quibus eos litaſſe vult Gerſon, imo contra pag. 54. Edit. Ingolſtad. Gretzneri, teſtatur *eos magnam habuiſſe ſpeciem pietatis, eo quòd coram hominibus juſtè viverent, & bene omnia de Deo crederent.* Idem de illis teſtatur Claudius Seiſelius. Enimverò ſi talium flagitioſorum manifeſti fuiſſent, non tam honorificum hi duo teſtes omni exceptione majores, de eorum moribus, & vita perhibuiſſent teſtimonium. Concidit verò per ſe Gerſonis error, (in quem inductus erat à ſiniſtra fama) dicentis, *eos ſacratiſſimam hoſtiam ab ore ſuo depoſuiſſe, & bufonibus diuturnâ fame cruciatis edendam præbuiſſe, & dein extracto ſanguine de corpore pueri innocentis, quem parricidio necabant, pulveres ex bufonibus incendio revolutis confeciſſe, & prædicto ſanguini commixtos in paſtam liquidam vertiſſe, eaque ſe inunxiſſe, & ad volandum idoneos reddidiſſe.* Meminiſſe debuiſſet bonus Cancellarius, panem in adminiſtratione Euchariſtiæ non conſueviſſe à Waldenſibus conſecrari, nec eos à ſacrificulis hoſtiam, quam manu atttingere nefas in Papatu habetur, accepiſſe. Sed alia eſt ratio, quâ Cenſor probat Magiam

exer-

exercuisse Waldenses. *Magicarum*, inquit pag. 62. *superstitionum olim compertos fuisse Waldenses affirmat evidentissimè Gualonica Hannoniæ, & Artesiæ vicinarumque Galliæ provinciarum lingua, quâ hodieque Magum aut maleficum Vaudois, seu Waldensem appellant.* Idem more fratrum suorum (cuculorum nempe) recinit pag. 86. Solidum etenim argumentum, & dignum Philosopho Walonico Fromondo. Eâdem ratione concludat omnes Protestantes in Gallia nocturnos grassatores & latrones esse, quod à Cæsarodunensibus nomen Hugenotis iis sit inditum, à nescio quo Hugone rege, qui noctu pomæria urbis obequitare, & obvios homines pulsare credebatur, ut testatur Thuanus lib. 17. Histor. Quantum verò ad vocem *Vaudois* incerta ejus est origo secundum Monstreletum Vol. 3. Hist. ad annum 1458. quo loco & attestatur Atrebati multos per calumniam Magiæ fuisse accusatos & combustos. Quæcunque autem origo vocabuli *Vaudois* sit, Waldensibus aut Turrelupinis non nisi à calumniatoribus seriò attribuitur. Alienissimi illi à Magia, imo omni Magiæ specie fuere, ut cognovit rex Ludovicus XII. cum per delegatos acerrimè in eorum fidem, & mores censuram exercuisset. Ex re autem est narrantem hæc audire Carol. Molinæum JC. celeberrimum lib. de Monarchia Francorum: *Misit*, inquit, *Rex* (Ludovicus XII.) *Do. Famæum libellis supplicibus in Regia sua præfectum, & Magistrum Parvum, & alium Doctorem Sorbonicum, qui sibi à confessione auriculari erat, ex eo ordine mendicantium, quos fratres Prædicatores vocant: qui ambo peragrarunt, & visitarunt omnes parochias, & templa eorum: Nulla invenerunt simulachra, nec vestigia, aut ornamenta Missarum, & cæremoniarum Papalium. Viderunt nihil esse de Magicis artibus, scortationibus, & aliis criminibus à Papistis impositis, &c. Rex auditâ relatione suorum Commissariorum, qui omnia præscrutati fuerant, dejerans exclamavit illos meliores esse Christianos se, & populo suo: exercitum reduxit, privilegia eorum, & immunitates confirmavit.* Molinæo adjungo Balduinum item Jurisconsultum, quem quia classicum testem esse putat Fromondus, quando in Calvinum scribit, certè & ei de Waldensibus credere debet. Ita verò loquitur in commentario ad Instit. lib. 4. cap. 18. §. 6. *Magna*, inquit, *erat Waldensium mentio, quos adversarii jactabant, nescio quid commercii habere cum immundis spiritibus. Hujus criminis*

minis prætextu optimi quique statim opprimebantur. Sed tandem Senatus Parisiensis causâ cognitâ, vidit meras esse sycophantias: infelices reos liberavit: improbos sycophantas cum iniquis judicibus damnavit. Extatque adhuc ejus memorabile hac de re Arestum, editum vigesimo die Mensis Maji, anno 1491. Hactenus Fr. Balduinus.

XXXI.

Veniamus ad proximiora Tempora atque Fausti lustremus vitam famosi illius Magi, de cujus patria & moribus *Manlius* in Locis Communibus hæc habet: Novi quendam nomine Faustum, de Kundling, sive Knittlinga, quæ est parvum Oppidum patriæ meæ vicinum. Hic cum esset Scholasticus Cracoviensis, ibi Magiam didicerat, sicut olim ibi fuit ejus magnus usus, & ibidem fuerunt publicæ ejusdem artis professiones. Vagabatur hîc passim, dicebat arcana multa: Venetiis cum vellet ostendere spectaculum, dixit se volaturum in cœlum: Diabolus igitur subvexit eum & afflixit adeò, ut allisus humi penè exanimatus esset, sed tamen non est mortuus. Hic Faustus in Oppido Wittenberga evasit, cùm optimus Princeps Dux Johannes dedisset mandata de illo capiendo. An tamen vera sint, quæ de Fausto illo infausto referuntur, meritò dubitamus. Nam *primò* patria illius dubia. *Manlius* quidem refert illum fuisse Knittlingensem Würtenbergicum. At contradicit Widemann, qui illi Vicum Vinariensem Rodam assignat, imò ipsius Autographum Historiæ Fausti, quæ vult Soltwedelam ipsius fuisse patriam. *Secundò* Historia illius non tàm Historia est quàm fabula, quicquid sit de Fausto sive extiterit in rerũ natura sive non, quem *Manlius* testatur sese novisse, atq; à viro quodam edita, quia sc. invalescebant artes magicæ, Spiritusque familiares passim affectarentur à Studiosis, in exemplum & terrorem istorum maleferiatorum edita. Fabulosum censetur à quibusdam, quod Maximiliano I. Alexandrum præsentarit Oeniponte, qui tamen Magiæ non fuit Studiosus, sed veræ virtutis custos rigidusque Satelles, fabulosum quod Rustico cuidam plaustrum fœni plenum soluto pretio devorarit, cum apertè constet hæc de Monacho quodam referri in Colloquiis B. Lutheri. Fabulosum est, quod Doctoris titulo coronatus sit in Universitate Wittenbergensi, cum nihil habeatur de hoc in Historicis coævis, & à *Manlio* asseratur, quod Witten-

berga evaſerit, Duce Johanne illi Capturam intentante, nihil de hoc Lutherus nihil Melanchton, nihil Caſpar Peucerus, gener Melanchtonis, nihil Schleidanus, nihil Thuanus. *Tertiò* in contrariam ſententiam nituntur B. noſter Schickhardus, Gabriel Naudæus, nec non Meigerus in Nucleo hiſtorico lib. 7. cap. 18. Quanquam ut ingenue fateamur, credamus Naudæum juſto longius progreſſum eſſe & excuſaſſe etiam illos, qui hac labe fuerunt infames, nec non Meigerum, qui probum piumque filium hunc Fauſtum appellitavit.

XXXII.

Cornelium Agrippam ſunt qui eximere Allo Magorum quoque laborant. Johannes Wierus, qui illi operam navavit in pueritiâ, defendit illum in ſenectute, & in libris ſuis quoties defuncti memoria incidit honorificam illius facit mentionem his verbis felicis memoriæ Agrippa, venerandi Præceptoris Agrippæ &c. Aſt ſi paulo penitius ipſius vitam & mores ſpectemus, deprehendemus non poſſe illum ab infami Magiæ vitio planè liberari. Nam *primò* Paulus Jovius Epiſcopus Nucerinus ita de ejus morte: Exceſſit è vita nondum ſenex apud Lugdunum, ignobili & tenebroſo in diverſorio, multis eum tanquam Necromantiæ ſuſpicione infamem execrantibus, quod Cacodæmonem nigri canis ſpecie circumduceret, ita ut cum propinqua morte ad pœnitentiam urgeretur cani collare loreum magicis per Clavorum Emblemata inſcriptum notis exſolverit, in hæc ſuprema verba iratè prorumpens: Abi perdita Beſtia, quæ me totum perdidiſti; nec uſquam familiaris ille canis ac aſſiduus itinerum omnium comes & tum morientis Domini Deſertor poſtea conſpectus eſt, cum præcipiti fugæ ſaltu in Ararim ſe immerſiſſe, nec enataſſe, ab his, qui id vidiſſe aſſerebant, exiſtimetur. Pariter Martinus Delrio de eo refert, quod cum iter faceret, ſolitum nummos ad oculum ſinceros in diverſoriis numerare, quos qui receperat poſt pauculos dies cornuum fruſta vel ſcruta viliſſima reperiebat. Et Poſſevinus ita de Agrippa in Effigiem ejus.

Vivens quem cernis, à te fortaſſe moretur.
Os placidum, ſtygii rex fuit ille lacus.

Quare

Quare etiam custodem habuit, dum viveret orci,
Cui nunc in tenebris præda daret comitem.

Secundò Renodæus disertè: In horum Dæmonicolarum Taberna instituti sunt illi, quorum libri ab Ulpiano accensentur istis, quos improbatæ lectionis vocant. Zabellulus quidam ejusmodi libros edidit. Deinde Barnabas Cyprius, & nostris temporibus Cornelius Agrippa. Et tandem *tertiò* libros edidit duorum Tomorum, ex quibus luculenter patet, quis fuerit. Malè autem Libertus Fromondus hunc Agrippam inter Lutheranos recenset, quia scilicet in Epistola minetur se sale defricaturum Lovanienses & Lutherum in Epistola ad Melanchtonem salutet. Num enim quia Jansenitæ Jesuitas defricant, erunt Jesuitæ, num quia Cardinalis Sadoletus Calvinum salutat, fuit Calvinianus, & quomodo Lutherum salutat, nempè ita: salutabis mihi invictum istum hæreticum Martinum Lutherum: quæ quæso est hæc salutatio, nec Gabrieli Naudæo, qui à Magiæ suspicione liberare Agrippam intendit, multò minus Wiero, qui ex defensione Præceptoris suspectum sese reddidit multis, potius subscribimus Claudio Miono, qui de Cornelio Ageippa, scribit, quid omninò sentiam, nihil habeo necesse dicere, nisi quod, cum in litteras declamitavit, videri voluit egregiè literatus: quanquam tamen non minus apud sanos videatur aucupio vanitatis delectatus, quam otiosè solios in vanitate artium insectanda.

XXXIII.

Quantum peccatum talis confœderatio sit, patet, si Decalogum percurramus, nempè gravissimum? Contra primum *idololatria, apostasia à Deo & infidelitas, & cultus Deo debitus in Diabolum ac creaturam transfertur.* Contra 2. *Horrendæ nominis Dei & sacrorum profanationes,* Contra 3. *Sabbathi divini violatio.* Contra 4. *Omnium superiorum contemptus, solius Sathanæ æstimatio.* Contra 5. *homicidia tecta & aperta,* Contra 6. *adulteria, scortationes, pollutiones, comessationes, cum Sathanâ congressus,* Contra 7. *furta tecta & aperta per Sathanam expedienda,* Contra 8. *mendacia, doli, fallaciæ, præstigiæ, falsa testimonia, perjuria proximo nocentia,* Contra 9. & 10. *Concupiscentiæ variorum proximi bonorum committuntur, approbantur, introducuntur, & exerceri permittuntur.*

XXXIV.

Non ſubſcribimus *primò* Wiero & Godelmanno, qui quidem inter Magos & Dæmonem reale admittunt intercedere fœdus, ſed id negant de Lamiis. Nam *primò* ſi de Magis concedunt, quî de Lamiis negare poſſint, non videmus, ſunt enim ejusdem generis, furfuris & conditionis, pertinent ad devotos Sathanæ, neque rationem videmus, cur Diabolus Sagis ſive Lamiis pactum deneget, quod tamen ferit cum Magis. *Secundò* ſtigmata deprehenduntur in Sagis, imò non tantùm in illis, ſed in pueris, puellis & cæteris infantibus quos Diabolo mancipare intendunt, ubi verò ſigna & indicia confœderationis, ibi quoque pactum aliquod ſive confœderatio. *Tertiò* Experientia docet etiam tales fœderari. nam renunciare coguntur Baptiſmo, baptizantur in nomine Diaboli, novum illis Nomen imponitur, ſanguinem illorum expetit Diabolus & jusjurandum eidem præſtant miſellæ illæ, imò fatentur in examine, ſeſe cum Diabolo fœdus contraxiſſe & vel ſubſcripſiſſe, vel aliquo ſtigmate in corpore ſignato illas ſeſe illi mancipaſſe. *Secundò* Simoni Epiſcopio Remonſtrantium primipilo, qui in Inſtitutionibus theologicis lib. 3 cap. 1. negat Lamias hodie dari, quæ expreſſum cum Dæmone fœdus ineant, in quo Dæmon à parte ſua DEO & religioni chriſtianæ renuncient, ſeque totas anima & corpore ei devoveant ac mancipent. Explico me. Non nego fieri poſſe, ut dæmon contrahere quaſi ſtudeat cum homine, & mutua tum ſponſione tum ſtipulatione facta fædus inire. Abſit. In exemplo Chriſti id ab eo tentatum fuiſſe clarius eſt, quam ut negari poſſit. Formula fœderis ſive conventionis propoſitæ à dæmone in terminis legitur Matth. 4. ℣ſ. 9. *Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraveris me.* Sed veroſimile mihi eſſe nego, aut dæmonem ſic contrahere ſtudere cum lamiis aut ſagis, ut vulgo creditur, aut lamias ſic cum eo contrahere ac paciſci vel poſſe vel velle. Quod ad primum attinet, dubium mihi non eſt, quin fieri poſſit, ut dæmon pios & ſanctos ad paciſcendum ſecum ſtudeat inducere, & blandis promiſſis prolixisque præmiis ſibi in obſequium conetur addicere: imò dico iſtam eſſe potiſſimam rationem, qua diabolus ad ſeducendum homines uti ſolet: ſive per ſe, ſive per alios. Vi enim uti, aut cogere non poteſt.

Con-

Conventione igitur quaſi aut contractu opus habet. Sed ut contrahere dicatur, aut fœdus ſpeciale tale inire velle quale jam diximus, cum iis qui impii aut profani, & jam toti ei mancipati ſunt, non eſt credibile ex parte diaboli. Nam 1. Nunquam & nuſquam in toto mundo, ſic cum ullis profanis nationibus aut hominibus contraxiſſe legitur. 2. Quorſum id faciat? An ut eos tanto ſibi reddat devinctiores? At devinctos eos ſatis ſibi habet, quia profanos & divini Numinis irreverentes eos eſſe novit, quibus pro arbitrio ſuo abuti poſſit. 3. Intereſt ejus ne id tentet. Eſt enim contractus adeo horridus, adeo abhorrens ab omni ratione, ut qui ad eum aut adigitur aut ſolicitatur, cauſam inde levi momento arripere poſſet, de mente tota in melius commutanda, & de profano vitæ genere in univerſum deſerendo atque abdicando. Quis credat vafrum ac verſipellem iſtum genium, tam periculoſo experimento, aut tam horrido tentamento uſurum , quo abalienari à ſe facilè poſſent, quos jam compedibus ſuis conſtrictos ſibique unicè devotos habet? Melius ſibi atque imperio ſuo conſultum novit, ſi volentibus iis lubentibusque profusè largiatur, quod optant cupiuntque, nulla ſtipulatione facta, quam ſi horrendam ſtipulationem requirat, qua fieri poſſet ut ex volentibus nolentes fierent, & horrore ſeu faciendæ ſeu factæ ſtipulationem requirat, qua fieri poſſet ut ex volentibus nolentes fierent, & horrore ſeu faciendæ ſeu factæ ſtipulationis à propoſito vitæ genere reſilirent. Certius multo tutiusque in fide diaboli retinent profanos, diabolicæ potentiæ ac quaſi benevolentiæ quotidiana experimenta, quam ſua ipſorum propria conſcientia. Iſti malorum ſibi eventurorum improvidi, ἀπηλγηκότες fiunt, & libenter perſeverant in propoſito. Hos ſua conſcientia torquere ac terrere poteſt, ut vadimonium deſerant, & quantum poſſunt deſtinatæ ſe miſeriæ ſubducant atque eripiant. Deſperatio reditus in gratiam cum DEO eos fidos facit, inquies. Contra: Deſperandi neceſſitas ubi nulla eſt, ibi ſpes veluti ſacra anchora facile quæritur, ad evadendum periculum. Atque hæc cauſa eſſe mihi videtur, cur nunquam de contractu tali cum Magis ineundo aut inito olim ante & multo etiam poſt tempora Chriſti ſcriptum quicquam legatur. Sed nec mihi veriſimile id ſit ex parte ipſorum Magorum ſive lamiarum. Quis enim credat, quem-

quam sanæ mentis futurum, qui cum tam ingente corporis atque animæ suæ damno contrahere velit, id est Deo renunciare & æternæ suæ salutis jacturam facere, pro tam levi & brevi emolumento aut vanæ gloriæ aucupio? Dices: Non credunt sibi eventurum aliud, quam quale stipulantur exitium, cum violenta forte morte, sed brevi tamen ac repentina conjunctum, quale esse solet eorum, qui carnificis aut latronis manu pereunt. At 1. hoc ipsum stipulari adeo grave est, ut vix in hominem, licet pessimum, cadat. 2. Causam habent credendi, amplius & gravius aliquod malum intendi ab eo qui cum contrahunt, quippe quem artem & beneficia sua (liceat ita loqui) majoris, quam vitæ brevis jactura ac damno, quod omnibus istorum beneficiorum expertibus commune erit, vendere velle credibile imò certum est. Infirmas autem esse illius Rationes facile animadvertitur. *Prima* non concludit, *tum* quia non est quæstio de nationibus, sed de privatis, *tum* quia cum hominibus profanis, si *Episcopius* per illos intelligit non superstitiosos sed Epicuræos, utique Diabolus non contrahit, quia illi pridem ab ipso tenentur in vinculis impietatis, nec ipsi curant, sed rident Diabolum, *tum* quia falsum non legi ita Diabolum contraxisse, contrarium habemus ex testimonio Patrum, supra adductis. *Altera* non concludit, *partim* quia non est consequens, nescimus finem cur Diabolus scil. illud pactum feriat, ergò ipsum fœdus negandum, quam multa nescimus, quæ facit Diabolus, cur faciat, nec tamen propterea veniunt neganda, *partim* quia non est consequens, Diabolus non opus habet fœdere, ut eo reddat devinctiores. Ergo non est opus ex alia causa, aut non est in arbitrio Diaboli positum pangere cum Lamiis. Annon *Saul* antequam adiret Pythonissam, jam erat in Diaboli potestate, & tamen profundius & firmius fuit adstrictus Diabolo apparente, de quo *1. Sam. 28.* *partim* quia cur contrahat facilè perspici potest, nempe in Contemptum Numinis, quod ita expresè abnegatur, Sacramentorum, quæ ita conculcantur, sui venerationem, cui ita tanquam Imperatori cuidam DEO opposito Homagium præstatur, Hominis denique de Gratia desperationem. *Tertia* denique non stringit, *tùm* quia quid intersit nec ne Diabolus melius novit *Episcopio*, *tùm* quia utique interest homines sibi reddi, quam devinctissimos,

mos, ut credant sibi nullum esse reditum ad Gratiam, & quorsum quæso suo consilio respexit Achitophel, de quo 2. *Sam. 16. v. 21.* nisi in consimile Centrum, *tum* quia si abhorrens ab omni ratione fœdus, & ex illo illud negandum, qui non neganda omnis familiaritas cum Diabolo etiam extra fœderalis, quia & hæc abhorrens ab omni ratione. *Quarta* ex parte ipsorum Magorum non urget, non enim attendit ad profundam humani cordis corruptionem, intellectus cœcitatem, pravitatem Voluntatis, Dæmonis potentiam & astutiam. Malè denique Experientia in dubium vocatur, quæ continuo quotidianis Experimentis confirmatur. Si enim alicui *novum & insolens videatur, ejusmodi homines in orbe terrarum inveniri, qui tam tremenda, tamque horrida cum Dæmone feriant fœdera, is hoc unum accuratè expendat, & omnem scrupulum ex animo ipsius eximet. Natura humana in casibus adversis, est valdè impatiens, & externæ afflictiones tam molestæ & injucundæ sunt animis hominum, ut quia gravissimo nonnunquam dolore percelluntur, non paucos reperias homines, qui æquissimo animo è vita discederent, si hoc pacto liceret iis à tantis angustiis liberari: id deinde facit, ut parum attendant, quas inire debeant rationes, quasve admittant conditiones, dummodo possent mitigationem vel medicinam invenire, qua adversitates suas nonnihil leniant. Ibi Dæmon homines in his difficultatibus constitutos animadvertens, promptè & avidè illis insidiatur, ideoque eos suo accommodatos instituto perspiciens, adeò, ut in eos agere facilè queat, insinuat sese & suam ipsis pollicetur operam, ut illis levationem & remedium afferat, dummodo talibus, qualia ipse illis ad hanc rem præscripserit, uti velint mediis. Hic tum homini* ψυχικῷ, *sive animali, (ut loquitur Apostolus 1. Cor. 2. v. 14.) nullum est remedium majus, nullum suavius, nullum efficacius, quod illum impellat ad societatem cum dæmone ineundam, quàm idipsum. Nihil itaque disceptans amplius Satanæ assentitur, dummodo possit in istis anxietatibus relaxationem & auxilium consequi. Secundò, notandum est, Dæmonem in istis angustiis, hominem arctius constringere, eoque adducere ipsum, ut suis insusurrationibus eo auscultent libentius, quia, quod se in illius gratiam facturum fuerat pollicitus, præsto sit, & jussa ejus expectet, ideoque certum est, quum res ab homine illo implenda, puta corporis & animæ suæ traditio & resignatio, &c. suum complementum multis annis post, sit habitura, & pro-*

& proinde, quoad præsens & instans tempus, multis modis varia & incerta: quapropter homo naturalis, de suo futuro, & ultimo statu minimè laborans, præsentem commoditatem, damno, & supplicio longè post infligendo, anteponit, & hoc modo persuasus, se Satanæ tradit. Ex his & consimilibus aliis occasionibus antegressis, multi homines eo adducuntur, ut apertum fœdus & pactum cum Dæmone ineant. Tacitum & occultum pactum inter maleficum hominem & Dæmonem intercedens, est, quo inter se mutuo conveniunt, & stipulantur, aut in jurata pactione aut conventione directis tantum verbis & colloquio mutuò concepta. Hujus generis duo existunt gradus. Primò, cum quis superstitiosis orandi formulis utitur, in quibus apertè opem Diaboli implorat, nulla solennium verborum vel fœderis antegressi mentione facta. Hanc esse certam pacti speciem planè constat: propterea, quod hic mutuus quidam licet indirectus & clandestinus consensus inter dictam personam & Dæmonem intercedit: quamvis non sit manifestum. Nam, cum quis libenter superstitiosas invocandi formulas usurpat, ut auxilium in tempore afflictionis & necessitatis inveniat, ibi tum ex illorum usu cor illius assentitur Satanæ, & rem affici summoperè desiderat. Quum igitur Dæmon ad harum formularum cognitionem pervenit, & rem rogatam perficere contendit, in hoc suum consensum præbet, adeò ut, licet nulla sint expressa pacti ullius verba extrinsecus utraque parte concepta, mutuus tamen consensionis concursus ad dictas res peragendas, stipulationem ratam firmamque efficiat. Nam juxta receptas æquitatis & rationis regulas mutuus partium consensus, ad pactum faciendum sufficit, quamvis nulla stata aut solemnis, verborum ratio vel formula ad rem aliis declarandam adhibeatur. Secundus gradus est, cum quis superstitiosis mediis utitur ad rem quampiam perficiendam, quæ vel ipsius conscientiâ judice, nullam in sese rem eam efficiendi vim habent, nisi specialis operatio Dæmonis accedat. Superstitiosa media ea omnia dico, quæ neque ex creationis ordine, nec ex singulari DEI ab eo tempore, constitutione & benedictione, ullam in sese virtutem continent, qua ea res, cujus gratia adhibentur, in effectum produci queat. Exempli gratia, carmen constans præscriptis verbis & syllabis, rudibus, barbaris & in cognitis, ad alicujus morbi aut doloris curationem adhibitum, est medium superstitiosum, propterea quod nullam in se curandi vim aut virtutem vel ex Dei dono in creatione, vel ex ulla alia speciali institutione, quam postea

vel

vel in illius verbo, vel aliunde acceperit, complectitur. Quum igitur ista sanandi & medendi via ab homine adhibetur, quam ipse probè novit nullam ejusmodi virtutem in se inclusam habere, ad illud opus explendum, ad quod usurpata est, occultum quoddam pactum cum Dæmone instituitur. Tertiò illis, qui peccatum confœderationis cum Diabolo peccatum dicunt esse in Spiritum S. Si scilicet ex plena agnitione veritatis, & tota voluntaria malitia fiat, & cum pertinacia & blasphemia ad ultimum finem vitæ persistat. Si autem ex semiplena fidei cognitione fiat, qualis in mulierculis, sagis, lamiis multisque Idiotis, quales plærique Magi sunt, aut ex melancholia, terrore, egestate, miseria, vindictæ cupiditate, ut sæpè solet ita appellari non mereri, etsi aliâs grave peccatum sit. Nam *primò* confœderatio cum Dæmone & peccatum in Spiritum S. diversissimas habent definitiones & formalitates. Confœderatio cum Dæmone est pactum aliquod Diaboli & hominis, ut scil. homo in quibusdam actibus juvetur à Diabolo, & sicut Christo obtulit Dæmon pacti conditionem *Matth. 4. v. 9.* dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me;* ita Diabolus Magis ait, si te mihi addixeris, ulciscar te, ditabo te &c. at peccatum in Spiritum S. non committitur alicujus utilitatis temporalis intuitu, non Ultionis, non Eminentiæ obtinendæ, unde etiam Theologi nostri negant Franciscum Spieram & Julianum Apostatam Magum, hoc genere peccati sese contaminasse, sed est peccatum, quod versatur circa Verbum DEI & appendices illius miraculosos, neque ex ignorantia committitur, sed plena scientia, non ex infirmitate; sed plenâ & malitiosâ voluntate, nec tantum dicit abnegationem veritatis agnitæ, sed & blasphemationem, oppugnationem, omnium salutis mediorum abjectionem. Quis verò de Magis vel Lamiis tantam cognitionem præsumat, quis inter Theologos illos confutet, quis plena gaudere notitia & oppugnatione illos arietare in articulos fidei dogmatisando dicat. *Secundò* Scriptura abnuit, quæ quotquot exempla producit peccantium in Spiritum S. non ex censu Magorum producit, sed ex genere illorum qui sese prædicationi Verbi malitiosè opposuerunt, videantur loca *Matth. 12. v. 30. 31. Marc. 3. v. 30. 31. Lucæ 12. v. 10. Ebræor. 6. v. 4, 5, 6. Hebræor. 10. v. 16. Tertiò* peccatum in Spiritum S. dicitur irremis-

ſibile, & quidem intrinſecè propter formam ſuam & attributorum formalium συνδρομὴν ſecundum Feurbornium, Meiſnerum & alios, & opponit Scriptura omnia alia peccata, peccatum quoque in Filium hominis huic peccato, quæ tamen actu non remittuntur, ergò irremiſſibile illud ita declarat, ut etiam potentiam remitendi negat. At quoties Sagæ & Lamiæ, item Magi convertuntur. Sanè de quadam accepimus ex inſigni Theologo, quod ſcil. aliquando ipſum adierit, faſſa ſit crimen & confœderationem cum Diabolo, lachrymis conteſtata quoque malum, quod perpetrarit, quæ Theologo ſubdente ſolatia ex Verbo DEI pacata conſcientia diſceſſerit, neque ulterius fatigata à Dæmone poſt aliquod tempus quoque ipſum in convivio adierit, abblandiens & commendans ipſius dexteritatem, poculo eidem conſecrato. Et quid dicemus de talibus ad Rogum damnatis, quæ ſeriæ & veræ pœnitentiæ ſigna oſtendunt, lachrymis deplorant abnegationem, deteſtantur omne commercium cum Sathanâ, Chriſto ſe denuò mancipant & inter ſupplicia in fide ipſius obdormiunt.

XXXV.

Ex dictis diſpaleſcit, quod grande peccatum Magia & omninò illicitum ſit Pactum inire cum Diabolo etiam ex intuitu utilitatis, notitiæ arcanorum, ſcientiæ morbos avertendi, acquiſitionis alicujus felicitatis, Dignitatis vel Eminentiæ cujusdam in hoc Mundo. Fundamenta poſuimus in Theol. Caſ. p. 919, 920. ſequentia: *primò* ex Scriptura *Levit. 19. verſ. 31. Non declinetis ad Magos, nec ab Hariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos. cap. 20. v. 6. Anima quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam de medio populi ſui. Deut. 18. v. 13. Omnia hæc abominatur Dominus, & propter ejusmodi ſcelera delebit eos in introitu ſuo. Secundò* ex Patribus, qui diſſuadent omnem communionem cum Dæmone, utpote cujus Beneficia, ut loquitur *Leo ſermon. 19.* de paſſione Domini, omnibus nocentiora vulneribus, quomodo itaque absque vulnere conſcientiæ vel poteſt dari opera Magiæ, vel Magi poſſunt conſuli. *Tertiò* ex ſana Ratione: quod enim ſtudium ad curioſitatem, vanitatem & Diaboli familiaritatem tendit, illud utique non eſt probandum, quod conſulit obnoxios Diabolo, vanitatis Magiſtros,

ſtros, impoſtores, imò ipſum Diabolum, illud nunquam permittendum, at ſtudium quærendi ex Magis ita laborat, ergo. Objiciunt quidem iſtiusmodi cultores ſuas rationes, quas dudum removit *Balduinus*, ſc. 1. *Utilitatem*, quam nonnulli exinde habent. *Hoc enim modo*, inquiunt, *diabolum fugare*, *morbos pellere*, *incantationes avertere, & à periculis multis immunes eſſe poſſumus*. Sed in genere ſciendum eſt, *non eſſe facienda mala*, *ut eveniant bona Rom. 3. v. 8. Auxilium noſtrum eſt à Domino, qui fecit cœlum & terram Pſalm. 121. v.* 2. media auxilii non ſint illicita, Diabolus cedit interdum cultoribus ſuis, ut magis ipſis noceat. Pellendis morbis medicina parata eſt à Deo, qui vult nos honorare Medicum, non adorare Diabolum. In quam ſententiam *Chryſoſtomus* ſcripſit, *martyres eſſe*, *qui ad ſanandos morbos ſagarum medicinâ uti, perſuadere ſibi non permittunt*. 2. *Voluptatem*, quam ex magicarum artium exercitio ſe habere putant, quales ſunt præſtigiatores, qui multa incredibilia facere videntur, plauſtrum fœno plenum deglutire, cotem ſecare, aquam ex cribro bibere, bellaria mira arte confecta apponere, perſonas jam pridem mortuas repræſentare, & ſimilia, quibus & ſe & alios oblectant: quorum aliqua mirâ celeritate peraguntur, aliqua verò non ſine opera Diaboli fiunt. Sed hæc non eſt liberalis & laude digna voluptas, quæ vel Diaboli miniſterio paratur, vel parari videtur. Omnibus enim operibus Satanæ abrenuntiavit homo pius, ſive utilitatem aliquam, ſive oblectationem tantùm afferant: ideò, qui talia opera exercet, vel iis oblectatur, adverſarius Chriſti, & miniſter Satanæ eſt: *qui* enim *non eſt mecum*, inquit Chriſtus, *adverſum me eſt*, *Luc. 11. v.23.* 3. Omnium peſſimi ſunt, qui rerum magicarum exercitiis ſe imitatores Chriſti eſſe putant. Sunt enim non Judæi tantùm, qui Chriſtum beneficio magiæ miracula ſuâ edidiſſe blaſphemant, quâ de re legatur *D. Lutherus in Schemhamphoras tom. 8. Jen. fol. 109. ſeqq. german.*

XXXVI.

Audiamus hîc *Franciſcum Suarez*, qui hæc habet: Alii dixerunt, nullam eſſe Magiam, quia nullum revera intercedit, vel intercedere poteſt pactum inter dæmones, & homines. Ita refert Petr. Binsfeld. Tract. de Confeſſ. Malef. Prælud. 6. illudque latè impugnat. Verumtamen non eſt etiam, quod in hoc

 immo-

immoremur, nam est sententia erronea. Aut enim negat posse hoc pactum intercedere, aut negat factum. Primum est contra omnem rationem & fidem: nam Matth. 4. legimus, Dæmonium obtulisse pactum Christo: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Cur ergo non poterit simile pactum offerre Mago, Faciam hoc vel illud si me colueris, vel quid simile? Item dæmoni non deest potestas loquendi cum homine, nec potestas ad faciendum multa, quæ homines mirentur, & affectent, & quibus decipiantur. Cur ergo non poterit tale pactum cum homine facere? Atque eisdem modis convincitur secundum, scilicet non posse negari, quin cum effectu sæpe hoc fiat. Nam hoc supponunt Scripturæ, & omnia humana jura, & Patres statim referendi. Item, ex supra dictis de Divinatione constat, ex appetitu cognoscendi futura, sæpe homines pacisci hoc modo cum dæmonibus, & è converso dæmones sese offerre, & immiscere ad decipiendos homines per falsas, & sacrilegas divinationes. Cur ergò dubitandum est, quin etiam in ordine ad miras, & apparentes operationes simili pacto utantur ad decipiendos homines, & ad extorquendum ab illis adorationem, & cultum? Præterea contraria sententia solum fundatur in hoc, quod putat, omnia, quæ de operibus Magorum narrantur, esse meras nugas, & fictiones hominum mentientium se hoc, vel illud efficere, cum revera nihil faciant, quod per industriam, & malitiam humanam fieri non possit. At hoc fundamentum est vanum & falsum & contra Scripturam, & infinita testimonia humana: ergo temere, & sine fundamento id dicitur. Assumptum constabit latius ex dicendis. Non defuere tamen, qui admittendo hos effectus dicerent non dæmoni, sed Deo esse tribuendos, vel sanctis Angelis. At hoc blasphemum est, cum in his nihil honestatis vel utilitatis reperiatur, & cum hæc Deus abominatur, ut ostendemus.

XXXVII.

Non autem tanta est confœderatio inter Diabolum & hominem, ut nullatenus possit irritari. Nam *primò* irritatur secundum quosdam ex parte Sathanæ. Si enim ille promissis non steterit, si tempus definitum in pacto non servaverit, si meris præstigiis egerit tanquam pater mendacii *Johan. 8. v. 44.* qualia exempla prostant apud Bodinum, Wierum Grosium, censent irritari illud pactum

ctum, cum omne pactum fidem exigat paciscentis. *Secundò* ex parte Hominis, qui faucibus illius eripitur, atque à Sathana ad verum Deum iterum convertitur, & quidem *primò* Verbi prædicatione, quod docet pactum hoc fuisse invalidum, hominem esse creaturam DEI, quam Christus sanguine suo redemerit, sibique acquisiverit, Spiritus S. in Baptismo fœderarit, quod solatia suggerit contra hoc pactum ostendendo, quod sicubi peccatum abundarit, superabundarit gratia *Rom.* 5. quod tentationes depellit, quod arma suggerit adversus malignum Clypeum inprimis fidei *Ephes.* 6. Sacramentorum administratione, si scil. e. gr. Magus ex gentili convertatur & accipiat Baptismum in sigillum, si ovicula aliqua errabunda redeat & detestetur Sathanæ technas atque denuò admittatur ad participationem Corporis & Sanguinis Dominici. Precum fervore, si scil. in publico cœtus aliquis precetur pro anima quadam à Diabolo obstricta, vel privatim pii, vel ipsa resipiscens & ex gratiâ divinâ evigilans seriis gemitibus Deum adeat. Pœnitentiæ exercitiis, si scil. conteratur ob fœdum illud peccatum commissum, si fide in Christum feratur, si opera præstet & fructus ferat pœnitentia dignos, corpus castiget, jejunia frequentet, sanctis & piis sese associet & ex illorum conversatione ducat colorem & calorem. Sanè hisce mediis sæpè Sathan fuit pulsus, pactum illud irritatum, Chirographum quod dederant extortum, unde etiam Godelmannus refert lib. 1. de Sagis: Lutherum aliquando Diabolum coegisse, ut Chirographum studiosi cujusdam, qui sese Diabolo obstrinxerat sub concione ad altare projiceret.

XXXVIII.

Non tantum autem dantur Efficientes quæ producunt, sed & quæ conservant & propagant, quales sunt Scholæ, Doctores & libri. Et quidem quod Scholas concernit, fuerunt olim in Hispania tales Toleti, Hispali & Salmanticæ ubi publicè docebantur magicæ inventiones, de quibus Vossius lib. de Origine Idololatriæ, Delrio, Tholosanus lib. 34. Syntag. cap. 21. in Italia ad lacum Nursinum & in spilæo Visigniano, ostendente hoc Martino Delrio lib. 2. q. 1. quod spectat Doctores, recensentur illi varii: Badudus Rex Britannorum, Thessali qui vicinos docebant, Ephesii & inter illos Apollonius Thyanæus, qui cum venisset ad tumulum Achillis, ob-

testatus est manes illius, ut sibi antiquam suam Imaginem demonstraret, juvene comparente, cum tumulus intremuisset, qui alios quoque docuit ita, teste Philostrato in ipsius vita; infaustus ille Faustus cum Wagnero Discipulo suo, si verum est extitisse illum, de quo aliqui dubitant: quod denique concernit, Scripta sunt illa commentitia vel vera. Inter commentitia referimus libros Adami, Abelis, Enochi, Abrahæ, Pauli, Cypriani, Honorii, Alberti M. Solomonis Claviculam & septem volumina, librum artis grimoriæ, qui Patrum nostrorum ætate circumferebantur, docens mortuorum Evocationes, de quo videndus Delrio pag. 99. lib. 2. Inter veros verò & Authorum suorum Testimonia, relicta Trithemii Steganographiam, Cornelium Agrippam de occulta Philosophia, Jovium, Thomam Eboracensem, Petrum de Apono, Julianum Chaldæum Philosophum 4. lib. de Dæmon Julianum filium Theurgiarum Authorem, Porphyrium, Palladem, Symbolum, Adelphium, Heylinum, Alexandrum, Philocomum, Demostratum, Zostrianum Nicotheum & alios,

XXXIX.

Efficienti respondet Effectus, qui vel spectantur *primò* erga Deum, & sic constat Magos elata manu Gloriam Dei oppugnare obedientiam ipsi debitam repudiare, Verbo & Sacramentis, Ministerio sacro & omnibus Salutis Remediis sese protervè opponere. Spectetur Bileam, qui conatus est maledicere populo Dei, qui consilium dedit Moabitis, ut noceret ipsi Num. 22. & cap. 25. Simon Magus qui gentem Samariæ obstupefecit, pavidam reddiderat, ut Ludovicus de Dieu vertit *Actor. 8. v. 9.* Elymas, qui obstitit Paulo & Barnabæ studens avertere Præprætorem à fide *Actor. 13. v. 8.* Apollonius Thyanæus qui Christo sese opposuit, cujus libros edidit Philostratus, Julianus Apostata, de quo Nazianzenus Oratione 1. in Julianum. Pontifices Romani, qui tanquam Antichristi etiam per Magiam sese Christo adversarios esse declararunt, partim directè, partim indirectè; Adrianus enim pestilentiâ in Urbe Roma exardescente admisit Demetrium, qui ferum Taurum Diis gentilium ad placandam eorum Iram mactavit, ita ut ab eâ inanis sacrificii prospera litatione mitescere morbus cæperit, teste Paulo Jovio. Vel spectantur erga homines, quod eorum saluti insidientur

dientur & vel animam vel corpus infeſtent, animam quidem ludificando, quaſi extra corpus adduceretur ad Conventus illorum reduceretur, corpora verò transferendo per aerem atq; ita quidem celerrimè, creaturis abutuntur. Prudenter itaque communis Schola Theologorum duplices effectus Magiæ; veros, & apparentes agnoſcit. Propter hos Tertullianus Magos appellat circulatores ac Sophiſtas. Ego illis tertiam ſpeciem adjungo, mixtorum effectuum ex veris & falſis, ſive apparentibus tantum. Ad præſtigiatorios refero, quos recenſui lib. 1. cap. 4. item illud, quod de Menippo adoleſcente & toto illo nuptiarum cum Lamia apparatu atque utenſilibus ſcriptum à Philoſtrato, quod fuit à nobis alibi commemoratum: & quod de Empuſa ſeu γέλω Nicephorus, eam ſæpe infantem Mauritium è cubili, velut mox devoraturam extuliſſe, nullo accepto incommodo. Secundò, quod de Paſete proditum, incantamentis quibusdam facere ſolitum, ut repentè convivium ſumptuoſum exhiberi videretur; rurſus, ubi licuiſſet, omnia evaneſcerent; ſolitum quoque res emere, & pretium numerare, verùm mox nummi clam à venditore ad emptorem rediſſe cernebantur: Tertiò talia pleraque quæ de Simone Mago legimus apud D. Clementem Romanum, eum ex aere novum hominem creaſſe; quibus volebat, inviſibilem factum; ſaxa, quaſi lutum, penetraſſe; ſtatuas animaſſe; in ignem poſitum non arſiſſe; duas, velut Janum facies habentem ſe oſtendiſſe; in ovem aut capram ſe immutaſſe; in aerem ſublatum volaſſe; aurum plurimum exhibuiſſe repentè; reges facere eosque dejicere potuiſſe; falci præcepiſſe, ut ipſa iret & meteret, eamque iviſſe & decuplo plus ceteris meſſuiſſe; eundem, cum eſſet aliquando Selene meretrix in turre quadam, & accurriſſet multitudo ingens ad eam videndam, turrimque circumcinxiſſet adſtantium corona; feciſſe ut illa per cunctas feneſtras turris illius omni ſimul populo proſpicere & procumbere videretur; denique quod pueri Incorrupti violenter necati animam adjuramentis evocaſſet, ejusque adjutorio talia patraret. Hæc Clemens. Addit nonnulla Anaſtaſius Nicenus, *Statuas* (inquit) *faciebat ambulare, & in igne volutatus non urebatur, & in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat: ſerpens fiebat, & in aliquas alias beſtias transformabatur: duas habebat facies, in aurum convertebatur, in conviviis*

ex-

exhibebat spectra omnis generis: vasa quæ erant in ædibus faciebat videri tanquam quæ sua sponte moverentur ad ministerium iis, qui portabant, non visi: efficiebat, ut multæ umbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas defunctorum. ab his desumpta, quæ in eandem sententiam refert Glycas Historicus. Quartò huc spectat illud Nicetæ Choniatæ de Mago, per quem factum, ut cuncta sua vasa remex frangeret. Quintò loco memoriæ occurrunt præstigiæ Ziitonius Bohemi: *hic artem suam ostentans, nunc sua, nunc aliena facie staturaque, item in purpura & serico ac confestim in lana ac panno sordido, regi se offerebat: ambulantique in terra, ipse tanquam in aqua adnavigabat: aliquoties equis rhedariis vectum, gallis gallinaceis ad epiredium suum alligatis, subsequebatur. Convivas præterea Regis variè ludebat: interdum manus illorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in ungulas equorum transformans. Et aliquoties fronti illorum cornua cervina latissima adjiciens, quoties videlicet è fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent. Atque ut ostenderet se pecuniam quoque pro usu suo facile conflare posse, triginta sues bene saginatos, ex manipulis fœni effingit, illosque pastum proximè Michaelis cujusdam pistoris locupletis extrudit, proponitque venales, quo pistor voluit precio: hoc tantum emptorem monens ne gregem novum ad flumen locum compellat. Qua ille monitione neglecta, cernit in flumine manipulos fluitare, suibus submersis. Ergo diu venditore quæsito, atque in taberna vinaria tandem reperto, in qua porrectis pedibus in scamno recudebat, dum stomachabundus altero pede correptum excitare vult, eum à corpore protinus cum coxendice avellit: clare Ziitone quiritante, & obtorto collo emptorem ad Judicem trahente. Quid faceret pistor, in manifesto deprehensus, ut sibi videbatur, facinore, nisi ut damnum damno adderet, atque de hac insuper injuria cum Ziitone decideret? Hactenus Dubravius lib. 23.* Denique jactatoria illa Magorum de quibusdam herbis, ut de verbenaca, de latace, de æthiopide, de chamaleonte apud Plinium & Gellium. Talia denique quæ (proh dolor) nimis creduli Principes quidam, aliàs pii, coram se fieri sinebant, res ferreas (sine magnete) argenteas pateras & similia magni ponderis super mensâ locata, sine funiculo, capillo, vel ullo instrumento, ab uno extremo ad aliud subsultantia, attraheret: chartam

chartam ab alio ex toto fasciculo clam extractam, in manu extrahentis manentem, nova inducta forma ter facere immutari: specula fabricari, in quibus quæ remotis admodum locis fiunt videantur: trium horarum spacio arbusculam veram spitamæ longitudine è mensa facere ut excrescat; ut arbores ibidem frondiferæ & fructiferæ subditò enascantur: certo lucernæ lumine accenso efficere, ut quotquot adsunt mulieres, vestibus se nudent, & quæ natura docet tegenda oculis objiciant, & sic nudæ tripudiare non desinant, quamdiu ardet in medio appensa lucerna certis insculpta characteribus, & leporino adipe plena, & alia hujusmodi, quæ novitii circulatores ex Baptistæ à Portâ scriptis & disciplina obtrudunt: quorum cum nec naturales, nec artificiosæ causæ idoneæ proferantur, præstigiis ascribi debent. Verorum effectuum exempla sunt secundum plerosque serpentum incantatio, de qua Propheta *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas: Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter:* item signa & prodigia pseudoprophetarum in Evangelio Divi Matthæi, & quæ suis locis docebo posse fieri, & facta fuisse. Sensus tum externos, tum internos præstringunt, formam externam assumunt, nunc humanam, nunc lupinam, nunc aliam &c. vel spectatur erga seipsos, dum scil. sibi divitias & honores pollicentur, & tamen iisdem destituuntur, & animarum salutem in dispendium adducunt *Apoc. 21. v. 8.* Judicia horrenda experiuntur & exitus tragicos, quales referuntur de Johanne Fausto & Christophoro Wagnero, de quo tamen aliqui dubitant.

XL.

Dubitamus tamen *primò* de Sylvestro secundo per ea, quæ refert Historia *Boxbornii*, quæ ita: Hæc de Othone hoc III. vulgo tradunt Scriptores, & ex iis quoq; postremus omnium Guthberlethus, cujus verba jam reddidimus. Qui & addit in Synchronismo, quem vocat, Othonis hujus temporum; *Romæ Pontifices fuerunt, Johannes XIV, aliis XV, Benedictus VII, Johannes XV, aliis XVI, Johannes XVI, aliis XVII, Gregorius V, Johannes XVII, aliis XVIII, & Sylvester II. Ex hisce maximè celebres sunt Gregorius V, & Sylvester II. Gregorius V, ante Bruno dictus, fuit Othonis III,*

M agna-

agnatus, & multum juvit constitutionem Electoralis dignitatis, ut summa Imperii majestas esset penes Germanos, ad evitandas in posterum Italicas seditiones. Sylvester II. natione fuit Gallus ac professione Monachus, primum Gilbertus appellatus. Ex Monacho factus est præceptor Othonis III. In Hispania magiam didicit à quodam Saraceno Philosopho, & inde in Galliam reversus magicis suis artibus per varios gradus tandem ipsum Pontificatum conscendit. Sciscitatus à diabolo magistro suo vitæ finem, responsum tulit, non se moriturum priusquam Hierosolymis missam celebraverit. Sed deceptus ambiguitate vocis quum in sacello quodam, quod Hierosolyma vocabatur, missam peregisset, in ardentem febrem delapsus se delusum à diabolo intellexit, & magiam fassus linguam & manus abscindi sibi jussit, truncum verò carro imponi & quo equi sponte ferrent sepeliri. Traxere equi truncum ad templum Johannis Lateranensis, ubi humatus est. Sed hæc accuratius sub examen vocanda sunt. Id enim hic agimus. Nam veritatis ac posterorum interest, ut tandem liquido constet, quæ de Sylvestro Papa, præceptore Othonis, & à discipulo ad Romanæ cathedræ fastigium promoto, tanquam mago, & scribuntur vulgo & creduntur, ut & illa forte quæ de illicitis ejusdem Othonis amoribus in Crescentii uxorem, vulgata à quibusdam sunt, nihil esse aliud quam mendacia, quæ vacuo, ut ille loquitur, folle illi spiravere, quibus, Romanorum Pontificum ambitioni pariter ac avaritiæ servientibus, nulli graviores hostes offerebantur, quam illi Principes, qui ex celebri illo Domini Christi præcepto, REDDITE DEO QUÆ SUNT DEI, ET CÆSARI, QUÆ SUNT CÆSARIS, præstandum utrumque à Romano Papa judicabant. Fuit haud dubiè inter hos Magnus hic Otho; & ideo læsi à calumniatoribus sunt ejus manes; ideo & Sylvestri Papæ, tantum quia Cathedræ impositus ab illo Othone. Fontem igitur hujus tam atrocis calumniæ tandem nos hic recludamus. Qualis quantusque hic Otho fuerit, & quam magno animo jus imperio, quod proximorum Pontificum Romanorum insatiabilis & avaritia pariter & ambitio usurpaverat, restituerit, apparet abundè ex celebri Decreto Electionis Sylvestri secundi Pontificis, qui Gerbertus ante acceptum Papatus illud fastigium appellabatur. Id cum in manus meas venerit, exhibere hic omnino necessarium existimavi; *In nomine Sanctæ & individuæ*

Tri-

Trinitatis. Otto servus Apostolorum, & secundum voluntatem Dei Salvatoris Romanorum Imperator Augustus. Romam caput mundi profitemur, Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum esse testamur, sed incuria, inscientia Pontificum suæ claritatis titulos obfuscasse. Nam non solum quæ extra urbem esse videbantur vendiderunt, & quibusdam colluviis à lare Sancti Petri alienaverunt, sed, quod absque dolore non dicimus, si quid in hac nostra urbe regia habuerunt, ut majori licentia evagarentur, omnibus, judicante pecunia, in commune dederunt, & Sanctum Petrum & Sanctum Paulum, ipsa quoque altaria spoliaverunt. Confusis verò Papaticis legibus, & jam abjecta Ecclesia Romana in tantum quidam Pontificum creverunt, ut maximam partem imperii nostri Apostolatui suo conjungerent, jam non quærentes quæ & quanta suis culpis perdiderunt, non curantes quanta ex voluntaria vanitate effuderunt, sed sua propria, utpote ab illis ipsis dilapidata, dimittentes, quasi culpam suam in imperium nostrum retorquentes, ad aliena, id est ad nostra, & nostri Imperii maximè migraverunt. Hæc enim sunt commenta ab illis ipsis inventa, quibus Joannes Diaconus cognomento Digitorum mutilus, præceptum aureis literis scripsit, sub titulo Magni Constantini, longi mendacii tempora finxit. Hæc sunt etiam commenta quibus dicunt quendam Carolum Sancto Petro nostra publica tribuisse: sed ad hæc respondemus ipsum Carolum nihil dare jure potuisse, utpote jam à Carolo meliore fugatum, jam imperio privatum, jam destitutum & annullatum. Ergo quod non habuit dedit, sic dedit, sic nimirum dare potuit, utpote qui malè acquisivit, & diu se possessurum non speravit. Spretis ergo commentitiis præceptis & imaginariis scriptis ex nostro conferimus. Sicut enim pro amore Sancti Petri Dominum Sylvestrum Magistrum nostrum Papam elegimus, & Deo volente ipsum serenissimum ordinavimus & creavimus, ita pro amore ipsius Domini Sylvestri Papæ, Sancto Petro de publico nostro dona conferimus, ut habeat Magister quod Principi nostro Petro à parte sui discipuli offerat. Octo igitur Comitatus pro amore magistri nostri Domini Sylvestri Papæ Sancto Petro offerimus & donamus, ut ad honorem Dei & Sancti Petri cum sua & nostra salute habeat & teneat, & ad incrementa sui Apostolatus, nostrique Imperii ordinet. Hos autem sibi ad ordinandum concedimus, Pisaurium, Fanum, Senogalliam, Anconam, Fossibrum, Gallihesi, & Ausimum, ut nullus unquam ei & Sancto Petro audeat aliquam inquieta-

tionem facere, aut eum aliquo ingenio fatigare. Quicunque verò præsumpserit, omnia quæ habet amittat, & Sanctus Petrus quæ sunt sua recipiat. Ut hoc autem in æternum ab omnibus conservetur, hoc præceptum manu nostra diu Deo adjutore confirmavimus, & nostro sigillo præcepimus insigniri, ut sibi suisque successoribus valeat. Sylvestrum hunc ab Othone Papam constitutum, miris modis abominandisque nominibus lacerant illi ac traducunt, qui posterioribus temporibus Pontificum Romanorum Vitas in literas miserunt. Papirii igitur Massonii, viri, qui veri fuit amantissimus, hac de re verba audiamus; Gerbertum, inquit, ex Monacho Floriacensi, quod est Monasterium ad Ligerim flumen non procul ab Aurelia celebri urbe Galliæ, quis unquam credidisset ad Remensem Episcopatum, mox ad Ravennatem, denique ad Romanum esse perventurum? Delectum ad dignitatem Episcopi Remorum, Arnulphi odio, & favore Hugonianæ gentis eum fuisse constat, etsi electionis verba aliter sonant, quæ hujusmodi sunt; *Semper quidem, dilectissimi fratres, judicia Dei justa sunt, sed interdum occulta. Ecce enim post dissolutionem beatæ memoriæ patris Adalberonis quemdam ex Regio semine prodeuntem nobis Ecclesiæque Remensi præfecimus, & clamore multitudinis impulsi, Scriptura dicente, Vox populi vox Dei, & Sanctorum Canonum institutis, desiderium ac vota cleri ac populi in electione Episcopi perquirentium, caligavit acies mentis nostræ, litteram incautè sequendo, concordem sententiam divinarum scripturarum parum investigando. Non erat quippe vox Domini, vox clamantis, Crucifige, crucifige. Ergo non omnis vox populi, vox Domini est: nec omnia cleri & populi vota & desideria in electione Episcopi perquirenda sunt: sed tantum simplicis & incorrupti, & spe quæstus minimè illecti. Sententia patrum id exponit: Non liceat, inquit, tibi bis electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promoveantur: sed judicium sit Episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est probent si in sermone & fide & in Episcopali vita edoctus est. Nos igitur Episcopi Remorum diœceseos secundum has constitutiones patrum favore & conniventia utriusque principis vestri, Domini videlicet Augusti, & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in Clero & populo elegimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum, ætate maturum, natura prudentem, docibilem, affabilem, misericordem. Nec præferimus illi vagam*

gam

gam adolescentiam, ambitionem se extollentem, omniaque temerè ministrantem, cujus sapientia & consilio Ecclesiastica ac civilia jura administrari non posse scimus. Cumque in unoquoque Episcopo sit hoc speculandum, maximè tamen in eo qui cæteris praest Metropolitano. Eligimus itaque hunc Gerbertum. Hujus vitam ac mores à puero novimus, studium in divinis ac humanis rebus experti sumus: hujus consiliis ac magisterio informari quærimus, ejus electionem subscribendo confirmamus, stabilimus, corroboramus communi omnium bonorum consultu. Verum quam Clerus sibi ipsi repugnet, assequemur ex verbis electionis Arnulfi quæ hujusmodi sunt; *Sancti & universali Ecclesiæ Catholicæ salutem dicunt filii Remorum Metropolis diœcesis. Patre nostro Adalberone sensus corporeos relinquente clarum lumen Pastoris amisimus, præda hostium facti sumus. Itaque dum molimur, conamur tanti viri resarcire ruinas, elapsa sunt Canonica tempora, violatæ sunt leges, quibus cavetur nullam sedem amplius triginta dierum spatio vacare licere, nuncque tandem pulsantibus divina lux apparuit, & quid sequeremur ostendit, depulso Antichristo & Simoniaca hæresi damnata. Nos qui dicimur Episcopi diœceseos Remorum Metropolis cum omni clero diversi ordinis, populo acclamante, orthodoxis Regibus nostris consentientibus, eligimus nobis in Præsulem virum pietate præstantem, fide insignem, constantia mirabilem, in consiliis providum, rebus gerendis aptum, in quo has virtutes quæ sic relucent in judicio, abesse non posse manifestum est. Arnulfum dicimus Regis Lotharii filium, quem eligimus, hic ortum, hic educatum, Simoniacæ hæresis expertem, à factione tyrannica remotum, sua cuique jura debita reddentem. Sint procul ab electione nostrâ dolus & fraus, nec putent eum ad se pertinere, ut filii Belial, filii pacis & concordiæ. Stabilem & solidam in perpetuum faciant confirmando, subscribendo.* Gerbertus igitur favore regiæ gentis, & Arnulfi, ut diximus, odio Episcopatum Remorum obtinuit, sed eo dejectus auctoritate Joannis Romani Pontificis, ad Majores Magistratus dignitatesque pervenit; ut verum sit illud antiqui scriptoris: *Sæpe eveniunt quæ sperare non audeas.* Quando enim & quomodo sperare poterat se adepturum Ravennatem Archiepiscopatum, mox summi Pontificis nomen & Episcopi Romani? Quas tamen dignitates favore Othonis tertii cujus doctor fuisset, obtinuit, ac dignus profecto fuit, si eruditionem & scien-

tiam æstimare libet, illo præmio virtutis. Nam præter Theologiæ & divinarum rerum cognitionem Mathematicas quoque artes & Philosophiæ arcana exactè didicerat. Sed plurimum miramur confictam de eo fabulam mortalium aures ita penetrasse, ut nunc quoque evelli ex plurium mentibus non possit. Ex Synodo Romæ habita, Rufo Magno, & Fausto Ameno viris clarissimis Coss. in qua erant Calius Symmachus, & Theodorus serenissimus Rex Gothorum, hæc verba reperio; Dum esset Synodus in Hierusalem, Basilica Sessoriani palatii, quem locum ignoratum esse Gerberto viro doctissimo turpe esset dicere. Ergo verisimile est Romanum Pontificem in loco sibi ignoto Sacra fecisse, & Hierusalem nescisse locum esse Romanum? & ignorasse esse Poëticum illud,

Ajo te AEcida Romanos vincere posse?

Itaque hæc fabula verisimilitudine caret, præsertim cum tumulus ejus ostendatur in Basilica Laterani, & elogium quod Sergius successor locandum curavit, quo Sylvestri memoria, resque ejus laudabiliter gestæ continentur.

Iste locus mundi, Sylvestri membra sepulti
Venturo Domino conferet ad sonitum;
Quem dederat mundo celebrem doctissima virgo,
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena sede,
Remensis populi Metropolim patriæ.
Inde Ravennatis meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen nobile, fitque potens.
Post annum Romam mutato nomine sumpsit,
Ut toto Pastor fieret orbe novus.
Cui nimium placuit sociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæsar tertius Otho sibi.
Tempus uterque comit clara virtute sophiæ,
Gaudet & omne seclum, frangitur omne reum.
Clavigeri instar erat cœlorum sede potitus
Terna suffectus cui vice Pastor erat.
Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit
Lustrali spatio sæcula morte suâ.

Ob-

Obriguit mundus discussa pace triumphus,
Ecclesiæ mutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate sacerdos
Successorque suis compsit amore sui.
Quisquis ad hunc tumulum devexa lumina vertis,
Omnipotens Domine, dic, miserere sui.

Ergo quis de Sylvestro dubitare audeat, & fidem tanto mendacio adhibere, cum legerit hunc locum Ditmari gravissimi optimique scriptoris, qui illis ipsis temporibus, quibus Gerbertus præerat sedi Romanæ, in Germania vivebat? *Superius*, inquit, *de universali Papa Brunone disputans, cum successorem ejus Gerbertum tantum nominarem, ut de eo aliquid latius scribam, non incongruum est. Erat is natus de occiduis regionibus, à puero arte liberali nutritus, ad Ultimum Remensem urbem ad regendum juste promotus: optime callebat astrorum cursus discernere, & contemplatores suos variæ artis notitia superare. Hic tandem à finibus suis expulsus, Othonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conversatus, in Magdaburg horologium fecit, illud rectè constituens, considerata per fistulam quadam stella nautarum duce.* Hæc quidem Ditmarus Histor. Lib. VI. Atque hujus fabulæ inventorem suspicor Bennonem Presbyterum Cardinalem. Is enim odio Hildebrandi multa quoque de prædecessoribus ejus fingit, quos ob Mathematicas disciplinas velut maleficos damnat, & hanc de Sylvestro fabulam narrat, Pontificatum ejus breviorem faciens quam fuerit. Quinquennio enim, ut Sergius testatur, Episcopatum gessit. Igitur de Sylvestro nihil aliud dicam, nisi quod legi codicem Epistolarum ejus ad Robertum Regem Francorum, Othonem tertium, & alios illius temporis præstantissimos viros, quæ aliquando erumpent in lucem: eruditæ enim & rerum verborumque elegantia instructæ sunt, ut nihil aliud quam legi & videri velint. Constitutiones quidem ejus neque à Gratiano citantur, neque ab ullo illius vel superiorum temporum scriptore præter unam, quam Ademarus Monachus sancti Martialis Lemovicensis recitat in hunc modum: *Vuido Vicecomes Lemovicensis capto Grimoaldo Episcopo pro Monasterio Brantbomiensi: quod ab eo exposcebat, in turre Lemovica eum captivum tenet. Sed dimissus juxta conditionem Vuidonis, Romam adiit, & Gerbertum Papam Sylvestrum nun-*

cupatum

cupatum interpellavit. Ibi Vuido evocatus est ad judicium coram Papa: causa ipso die Paschæ ventilata, à Papa Senatuque judicatum est, ut omnis qui Episcopatum captivaret, equorum indomitorum ad colla pedibus ligatus disrumperetur, & demum à feris laceraretur. Vuido autem Comes Episcopo Grimoaldo traditur ad custodiendum post diem tertium tradendus ad pœnam, sed inter se concordantes amici facti sunt, & ante diem condictum clam Roma egressi, reversi sunt ad propria. Hæc Massonius ille Papirius. Cæterum non tam quia Mathematicis Sylvester addictus fuit disciplinis, magum illum, commercioque Dæmonum usum fuisse, posteriores Pontificiorum annalium conditores tradidere, quam quia invito Clero Romano, auctoritate Othonis ad eum honoris apicem erat provectus, Cæsarumque jus, quod invaserant hactenus alii, immotum manere, & ereptum reddi, læsumque in integrum restitui tandem oportere, statuebat. Egregia in eam rem sunt ejus verba Epist. I. ad Othonem: NON DICATUR MAJESTATIS REUS, CUI PRO CÆSARE STARE SEMPER FUIT GLORIA, CONTRA CÆSAREM IGNOMINIA. Hæc vera caussa est hujus tam atrocis calumniæ, cui ergo posthac fidem haberi nolim ab iis etiam qui diversarum à sede Romana sunt partium. Mendacia enim nec tegunt, nec vulnerant. Consimilia leges apud Gabrielem Naudæum, quanquam in contrariam concedant sententiam Mornæus & ejus hyperaspistes Andreas Rivetus, nec non Hülsemannus, qui in contrarium adducit Martinum Polonum, Sigebertum, Antoninum, Contractum, Platinam, Cranzium, Fasciculum temporum, Gobelinum, Personam & Papistas alios. Dubitamus *secundò*, num Effecta magica tam latè sint extendenda, ut putemus eos Lunam de Cœlo, stellas ex æthere deducere, Mari & Ventis imperare, animas mortuorum revocare, facultatibus intellectus & voluntatis pro arbitrio abuti, de quibus prolixè Poëtæ, & ex illis Virgilius:

Carmina vel Cœlo possunt deducere Lunam:
Carminibus hisce socios mutavit Ulyssis:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Dubitamus *tertiò* an stabilem aliquam felicitatem, divitias, vel honores consequantur à patre mendacii, vel etiam aliis polliceri possint.

XLI.

XLI.

Illud controvertitur: An animæ Magorum, ſagarum, vel aliorum, qui ſeſe fœdere obſtringunt, vel ſpontè vel inviti extra Corpus à Sathana abripiantur, ad panegyres & loca diſſita ferantur, corpore interea domi relicto, vel alibi, ita ut diſtent anima & corpus. Sunt qui illud affirmant, atque *primò* Exempla producunt ex Auguſtino lib. 18. de Civitate Dei cap. 18. ubi ſcribit: Patrem Præſtantii reverſo ad ſe Spiritu in Equum commutatum affirmaſſe, qui commeatum in caſtra cum aliis ſumentis importarit, corpore interim domi relicto; ex Cardano, qui ipſe fatetur ſe cum luberet extra corpus abripi; ex Experientia, quæ teſtetur Infantes quoad animam abripi; nam dormire illos domi, in conſpectu parentum, & nihilominus referre poſtquam evigilarunt, quæ ſcil. acciderint interea in Conventibus Magorum, quomodo ſaltarint, quomodo commeſſationibus interfuerint, quomodo ederint, biberint, &c. Cum itaque corpore præſentes illis conventibus non fuerint, quod doceat *ἀυτοψία* parentum, qui præſentes dormire attendunt, animam abripi, ut illa interſit iſti panegyri, obſervet quæ fiant, atque umbras illas ſpectet & illorum opera. Imò Plutarchus Solonem quendam, Plinius Hermotinum Clazomenium, Herodotus Præconnenſium aliquem, Platonem, Eren, Armenium ita abreptos tradere, ut corpora eorum pro mortuis jacuerint. *Secundò* Authoritates adducunt ex Theologis noſtris. Balduinum, qui in Caſibus Conſcientiæ lib. 3. cap. 7. ita ſcribit: Diabolum interdum Cultorum ſuorum animas duntaxat exportare ab loca, ubi Magi ſua habent conventicula, corporibus interim ſine ſenſu & motu & ratione relictis ſecundo loco dicimus, unde ad ſe reverſi, mira narrant, quæ alibi viderint & egerint, quæ poſtea vera fuiſſe compertum eſt. Ex Politicis Johannem Bodinum, qui Exemplis ſagarum nîtitur, ex Poëtis Virgilium, apud quem ſaga introducitur, quæ ſe promittit ſolvere mentes. *Tertiò* Modi Deſcriptionem, de quo Olaus Magnus ita differens de Lappis: Si quis peregrinus cupiat de ſuorum conditione certi quid cognoſcere, præſtant, ut intra viginti quatuor horarum ſpatium reſciſcat, quid cum illis agatur, vel ſi trecentis milliaribus abſint: hoc modo. Incantator poſtquam uſitatis ceremoniis Deos ſuos compellavit, ſu-

N ſubitò

bitò collabitur & examinatur, quaſi extincto illo revera anima excedat à corpore. Neque enim aut Spiritus in eo reliquus eſſe aut reſtare cum vita ſenſus aliquis aut motus videtur, ſed ut adſint ſemper aliqui oportet, qui projectum & exanime corpus cuſtodiant, quod cum non fit, Dæmones illud abripiunt. Horis viginti quatuor elapſis, revertente Spiritu ſeu è profundo ſomno cum gemitu, expergiſcetur ex animo corpus, quaſi revocetur in vitam ex morte, qui concidit: poſtea ſic inſtitutus ad Interrogata reſpondet, & ut fidem faciat percontatori, recenſet aliquid, quod agnoſcat ille, ut certò ſciat in ædibus ſuis aut cognatorum fuiſſe.

XLII.

At aliter ſentiunt, quibus dextera ſalit mamilla. Nam *primò* Anima eſt Actus entelechialis Corporis, qui totum illud & minima illius pervadit, ſeſe immiſcet & perichoriſticè animat, ut cum corpore faciat unum quoddam per ſe, nec niſi interveniente morte ſeparatur ab illo, jam finge animam tolli, entelechiam corporis abſtrahi, conſequens erit citra morbum tolli animam ab aliquo & quidem ab omnibus membris & partibus, tam fidum ſocium, qui divellitur nonniſi morbo & morte abſtrahi & quidem in momento, quod incredibile videtur. *Secundò* deprehenditur iſtiusmodi Magos, Sagas & Infantes inprimis dormire, ſpirare & reſpirare, pulſus habere ſuos & cætera in ſomno vitalia Exercitia, quæ in reliquis occurrunt, at anima eſt actus viventis, pulſum non habent, niſi qui ſanguine animato gaudent, cætera vitalia exercitia non patrat, niſi in animali cui proprium eſt vigilare & dormire. *Tertiò* ſi anima diſcedit, vel abripitur extra corpus homo moritur, deſinitq; in cadaver, & ſi revertitur intratq; corpus iterum vivificatur & reſurgit. At hoc naturaliter aut præternaturaliter fieri nequit, cum anima redeat ad Deum, qui dedit illam in morte *Eccleſiaſtis cap. 12.* cum cadaver quoddam, ſive corpus humanum vivificare & reſuſcitare ſit Opus ſolius Dei Omnipotentis, & ſanè ſenſu conſtat calorem nativum, qui ſc. per totum corpus diffunditur non diſſipari, non extingui, ſed manere in corporibus iſtiusmodi, adeoque etiam animam, cum calor ille proximum ſit Organon animæ. Unde etiam *Biermannus:* Nunquam ego potui illorũ capere rationem, qui animos Magorum extra corpora abripi, & ad panegires

ſuas

ſuas ferri aſſeverant: illamque emigrationem nuncupant ἔκστασιν. Enimverò cujus animus expatiatus eſt, eritne corpus illud vivum an mortuum? Si vivum dicatur: ergo animatum eſt, quod anima vacat: Si mortuum, quid impedit mortuos reſurgere, quando & illorum anima egreſſa eſt? Nec eſt, quod occurras: in corporibus ἐκστατικοῖς ſupereſſe facultatem recipiendi animam reducem, quæ nulla ſit in cadaveribus. Quænam ea potentia eſt? Dicas calorem vitæ modiperatorem: nec ſanè dicere aliam poſſis. Eſt enim calor ultima diſpoſitio corporis ad animam; Idemque eſt vinculum animæ cum corpore. At non poteſt calor iſte, nec momentum perdurare, cum ſit ῥοώδης, niſi in momenta, veluti flammula regeneretur. Et quia ὁμοειδεῖ calore genitum oportet, cum ipſe ſit non ſolum animæ vector, ſed & miniſter, omninoque ita animæ addictus, ut nec hæc ſine illo corpori ineſſe, nec ipſe ſine anima ullo perfungi munere poſſit: à quo generandus eſt, calorem illum ab anima adjutum inſtructumque eſſe oportet. Quis autem talis erit in corpore, à quo anima abiit? Addo & hoc: non poſſe calorem, quem dixi foveri ſuſtentarique ſine pulſu & reſpiratione. Quid verò, abſente anima, ciebat iſta? Nec objeceris Apoplecticos & mulieres, quæ utero præfocantur, aliosque qui ſine reſpiratione vitam trahant? Quod ſi vita non deficit: Ergo nec ἐνέργεια vitæ: quin imò vita animalis eſt ipſa animæ ἐνέργεια, in pulſu & reſpiratione vigens. Ergo non poteſt anima integra ſecedere à corpore vivo incolumique. At ſi τὸν νοῦν ſolum evagari dicas, relicta anima ſentiente & vegetante, id quod volebas, minimè explicatum reddes, cauſam ἀναισθησίας in corpore, præſente anima ſentiente. Quin nec alterum quod intendebas, ratione conſtitues, notationem locorum, perſonarum, plurimarumque ſingularium & materiatarum conditionum, quas referunt ex profectione ſua Magi: quas mens à materia ſejuncta non intelligit. Denique ſi menti comitem itineris adjungas ſentientem animam, hæc quomodo ſine ſubjecto corpore, cujus eſt actus, ſubſiſtet? Quomodo ſine organis appoſitis operabitur? Præterea autem dic, quæſo, ſi anima ſit uſpiam à corpore profecta: ſi corpus in integro reſtet domi: unum ne an duo erunt ὑφιστάμενα? Quid ni duo ſint, quando utrumque per ſe ſubſiſtit? Quomodo autem eſſentialiter uniri & coaleſcere

ſcere poſſunt, quæ per ſe ſubſiſtentia actuque diviſa, nullam ſui mutationem ſubeunt? Actus certè actui non unitur, nec ſubſiſtentiæ ſubſiſtentia. Pulchrè tamen contrà venis: Animam hominis immortalem eſſe, & propterea ſeparabilem: itemque animam à corpore liberè ſubſiſtentem operantemque eſſe immortalem. Vera, inquam, hæc ſunt ad animam, non ad animatum adducta. Subſiſtere poteſt anima hominis ſine corpore animato, non poteſt autem animatum corpus eſſe ſine anima. Vis ergo dicam, quid ſit ἔκστασις? Eſt Ariſtoteli lib. de Divinat. per ſomnium, ſenſuum externorum ad interna converſio talis, ut nec paſſio corporea motusque externus percipiatur, & virtus imaginatrix ab operis domeſticis feriata, concipiat & tractet peregrina & ſublimiora quam pro captu ſenſuum. Eſt verò Medicis vehemens animi perturbatio, qualis in Mania. Autor eſt Galenus 3. in 3. Epid. & 1. prorhet. 6. Item Theophraſtus lib. 9. de hiſtoria Plant. cap. 13. Negat porrò Bodinus, poſſe ſoporiferis medicamentis, tam profundum induci ſtertorem, quem ignis cuti admotus non excutiat. Negat? Atqui item mox affirmat eam narcoticorum vim, quæ ſomno devinctos nec triduum dimittat. An ergo triduani hi, dum ſenſus ſepulti ſunt, evigilaverint? an dolores ſenſerint? Nec miraberis, optime, ſi ἐκστατικοὶ, quos vocas, indicta ſtatutaque hora reſtituantur. Nihilo in certiori argumento eſt abitioni animæ, quam fingis: quam ſomno, pharmacorum natura provocato, ſomniorumque ludibriis à Dæmone conformato productoque denique ab ipſo fabulæ actore, cum libitum eſſet, abrupto & finito. Equidem demiror Seplaſiarium Jureconſultum, de forma & uſu unguenti ſoporiferi diſſerentem. Pinguia, inquit, ſunt calida. Ergò unguentum illud non infert ſoporem. At non accidentalis ſeu unctuoſa forma, ſed ſubſtantialis, quæ in temperamento conſidet, è baſi confectionis nata: hæc, inquam, ſomnum generat. Adduntur autem pinguia, ut inungi, inunctumque tenacius inhærere & agere poſſit. Nec verum eſt, vulgo quod putatur, quæ ad ſomnum ſtuporemque cogunt, frigida eſſe omnia. Indicant hæc opium, crocus, ſtirax, vinum, cicuta, coriander, quæ calida cum ſint vaporoſa & indigeſta plus minusve humiditate ſpiritus ligant. De uſu verò unguenti quærit, cur dorſo, brachiis, cruribus potius,

quam

quam fronti illinatur. Quid verò? si toti corpori, nonne etiam fronti? Et eò quidem corpori universo, ut stuporem nervis inducat eum, qui nec verbera nec inustiones moretur. Quanquam quid prohibet opinari, accuratam istam delibutionem (ut alia) fuco fieri? Nam & sine unguentis visi sunt Magi aliique scelerati, certorum fiducia verborum, acerbissima tormenta indolenter sustinuisse ἀνοδύνῳ quodam animi, sed παρὰ φύσιν, quo spiritus ligarentur, & ne ad partes excruciatas confluant, coercerentur, à Diabolo obstupefacti.

XLIII.

Audiamus de hoc Argumento Vallesium, qui quærit, annon ipsæ per se animæ exili aliquo corpore constent, ita differentem: Sanctus Faustus, primùm quidem Lirinensis Abbas, deinde Regiensis Episcopus, quem cùm priori edit. *Sanctum à nonnullis impudenter*, ut ait Baronius, miratus esset *inscribi*, de eodem postea rescripsit: *Maneant igitur Fausto integra jura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præjudicium: neque privato judicio novitati liceat convellere antiquitatem, tametsi de Scriptis ejus immotæ maneant sententiæ Patrum.* Arbitratur autem Sanctum aut resipuisse prius quàm diem suum clauderet, aut certè obiisse, quàm damnatos ab Ecclesia errores suos esse resciret. Hic ille, inquam, Faustus, qui vitæ quidem suæ studium Ecclesiæ probare potuit, scripta non potuit: cùm in alios, tùm in hunc errorem graviter impegit, ut crederet, præter unum Deum nihil incorporeum, aut carens prorsus materia dari. *Licet enim*, inquit, *pronuntiemus nonnullas esse spirituales naturas, ut sunt angeli, archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certè aër iste subtilis: tamen incorporeæ nullatenus existimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus quo subsistant, licet multò & incomparabiliter tenuiora, quàm nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam dicentes: Et* corpora cœlestia & corpora terrestria. *Quibus profectò pro manifesto colligitur, nihil esse incorporeum, nisi Deum solum.*] At verò deinceps quibus potissimùm rationibus suam sententiam confirmet, paucis ita complexus est. *Si demonstraverimus eam quantitate determinari, locôve concludi, consequenter eum etiam corpore contineri, nec ipse jam dubites.* Urget deinde exemplo Lazari. *Nonne*, inquit, *ejus anima, manente vita, in-*

tra corpus fuit, recedente autem vita, de habitaculo corporis exulavit, & iterum intra exanime refusa corpus, illuc unde se absentaverat, evocata remeavit? Quomodo ergo non est localis, quam caro continet, vita conjungit, mors separat? Et rursum: *Dic, quaeso si locales non sunt, quomodo peccatores à coetibus consortiisque justorum, vastum illud chaos tristi interjectione discriminat, ut neque hinc illo possint accedere, neque inde hoc transmeare? Jam illud manifestissimum est, quod quantitate circumscribantur, quae spatiis continentur. Si agnovisti animam localem, concede corpoream.* Subinde etiam locales esse Angelos ex eo colligit, quod Scriptura teste, Patriarchae Jacob in Bethel ascendentes descendentesque apparuerint. Qui utique si locales non essent, & ubique essent, & adesse atque discedere ascensu descensuque non possent. Privatim etiam de S. Gabriele praedicat, cùm ad B. Virginem accessisset, locum tantum in quo eam convenit occupasse. Nec major de apostatis difficultas: *quorum princeps*, inquit, *si corpus non habuit, in illa dejectione quid cecidit? Quid illi negas corporalem naturam, cujus negare non audes ruinam?* Argumentatur etiam postea ne quidem ignium vim cruciatumque, quo torqueri feruntur, perferre posse, si angelicae humanaeque mentes à corpore secernantur. *Alioqui Satanas*, ait, *si secum aliquid corporale de illa coelesti arce non detulit, alienum, ut video, corpus ad tormenta portavit. Denique corpus est*, inquit, *quod inficitur, quod maculatur, quodcunque ex accedenti adjectione vitiatur. Hinc ergo dudum primogenitus angelorum, nunc princeps factus est tenebrarum.* Ad extremum etiam illis occurrit, quae videbantur objici posse; mentes humanas ocyore cursu quàm corporis conditio ferat, remotissimas peragrare provincias, & inferos atque adeò coelum ipsum invadere. Neque enim haec reipsa fieri docet, sed cogitatione duntaxat assequi, & tanquam in animae speculo, sive memoria, depicta contemplari. *An putas*, inquit, *quicunque Petri Paulive facta refricat, & eorum sibi vultus intueri videtur, eundem statim Paradisi sedes beatas, in quibus nunc habitant, penetrare?* An qui Epulonis aestum sitimque ac flammas speculatur, ad teterrima loca, in quibus nunc cruciatur miser, ex templo adire? Haec omnia proculdubio secum intra pectoris arcana per varias similitudines fingit, quas nullo negotio memoria suppeditat. Sin verò anima ut pri-

primùm Alexandriam vel Hierosolymam cogitavit, illic revera præsens interfuit, referat nobis situs locorum, vultus hominum, ritus actusque populorum. *Ecce*, inquit, *per hæc præsentis temporis momenta vos cogita, & animo reminiscente vos video: Et omnibus modis quid geratis, & utrum quieti, an lectioni vel orationi vacetis, ignoro. Sed hoc ideo venit, quia ad vos cordis affecta, non ipsa substantiæ meæ veritate provenio.* Hæc ferè sunt rationes, quibus Faustus olim fretus corporeas animas asserere ausus est: Illud ad extremum addens tanquam coronidis loco, *Unus ergo Deus incorporeus, quia incomprehensibilis, & ubique diffusus. Ex nullius enim facturæ corpore materiale sumpsit exordium.* Quas rationes tribus contra autorem libris editis confutavit S. Mamertus Viennensis Episcopus, & contrariam sententiam validissimis argumentis vallavit ac stabilivit. Quæ omnia perinde, ut explicuit copiosè referre cùm alienum videri possit ab interpretis officio, summatim colligam, eundem autorem sequutus, qui libri 3. cap. 16. summam eorum se confecisse professus est, quæ toto opere sparserat, & summis ingenii viribus accuratè probaverat. Primum igitur, inquit, Deus incorporeus est, imago autem Dei est humanus animus, quoniam *ad similitudinem & imaginem Dei factus est homo.* Enimverò imago incorporei corpus esse non potest. Igitur quia imago Dei est humanus animus, incorporeus est animanus humanus. 2. Omne illocale incorporeum quoque est, porro ita corporis anima est, & in corpore vivente tam vivit pars minima corporis, quàm totum corpus. Tantum ergo vitæ in parte corporis est, quantum in toto corpore, & vita hæc anima est. Nec locale est, quod tam magnum est in toto quam in aliquo, & tam magnum in parvo quàm in magno, non igitur localis est animus. Et quicquid illocale est, corporeum non est, igitur anima corpus non est. 3. Item ratiocinatur anima rationalis, & substantialiter inest animæ ratiocinari, & ratio incorporalis atque illocalis est. Igitur incorporalis est anima. 4. Item voluntas animæ substantiæ ejus est, & si tota vult anima, tota voluntas est, & voluntas corpus non est. Igitur anima non est corpus. 5. Item memoria illocalis quædam capacitas est, quæ nec multitudine recordabilium distenditur, nec paucitate tenuatur, & incorporaliter etiam corporalium reminiscitur.

tur. Et cum meminit animus, totus meminit, & totus memoria eſt qui meminit totus, & memoria corpus non eſt, Non igitur corpus eſt animus. 6. Item corpus in parte ſui tactum ibi ſentit, ubi tangitur, animus autem per non totum corpus, hoc eſt, per partem corporis totus ſentit. Hujusmodi verò ſenſus illocalis eſt, & omne illocale incorporeum eſt, incorporea ergo eſt omnis anima. 7. Item corpus nec appropinquat Deo, nec recedit à Deo. Animus autem & proximat & longinquat illocaliter. Igitur animus corpus non eſt. 8. Item corpus movetur per locum, animus autem per eundem non movetur. Animus igitur non eſt corpus. 9. Item longitudo, latitudo, & altitudo in corpore ſunt, & quicquid hiſce caret, corpus non eſt. Hiſce autem caret animus, corpus igitur non eſt. 10. Dextrum, ſiniſtum, ſurſum, deorſum, anterius & poſterius in omni ſunt corpore, in nulla autem ſunt anima. Incorporea igitur omnis eſt anima. Denique, En quousque, inquit, ex omni ſcil. diſputationum noſtrarum parte contraximus, quæ iſtîc quàm breviſſimè recapitulavimus, quoniam quicquid toto opere moliti ſumus, niſi præmiſſis diſputationibus, fieri probabile non quivit.] Hæc omnia S. Mamertus. quæ tribus libris ingenioſiſſimè, uberrimèque perſequutus eſt: quos ſicut Philoſophiæ candidatis utiles fore non dubito, ita nec deſpero, ſi quibus illi deſint, ex hoc brevi argumentorum elencho percipere poſſe, quàm verè ſapienterque humanas mentes à materia ſecreverit. Pauca tamen ſunt, de quibus lector admonendus mihi viſus eſt. Primum eſt, quod cùm duplici ratione res in loco ſtatui poſſint, aliàs quidem definitivè, ita ut extra eundem nihil earum eſſe intelligatur: aliàs circumſcriptivè, ſic ut ipſæ locum occupent, quod eæ ſolùm præſtare poſſunt quæ mole conſtant, cùm prior is modus ne ab incorporeis quidem abhorreat: Fauſtus ejus diſcriminis nullam rationem habuerit, ſed de poſteriori tantùm in illo ſuo libello diſputet; unde poſtremò factum ſit, quod cùm ea, quæ paſſim animis in Scripturis tribuuntur, & ad primum genus ſpectant, poſteriori aſcribat, abſurda plurima colligat, quæ putet Scripturarum autoritate niti. Quem proinde errantem dum S. Mamertus acrius inſequitur, ipſe quoque nullo delectu habito, omnem prorſus locum abdixit, negans habere animas quicquam cum loco commune,

ne, atque adeò, ut ait, illocales esse. quod ut verum sit, de circumscriptione loci duntaxat accipiendum est. Secundo loco illud quoque animadvertendum est, quod cùm adversarius inde potissimùm animas loco circumscribi asserat, quod illæ certos intra cancellos spatiorum cohibitæ, non ubique passim vagentur, aut reliquum orbem impleant; Mamertus contrà, ex eo potissimum loci legibus solutas conficiat, quod intra sphæram, ut ajunt, activitatis suæ nullum certum responsum ad loci partem aliquam privatim habeant, nec partitè distinctèque centrum, aream, atque adeò peripheriam occupent: sed in singulis partibus totæ sint, nec amplius quicquam in totam loci circumferentiam diffundatur, quàm pars minima quæque coërceat. Quantum enim, ut docet Aristoteles in Physicis auscultationibus, in omnibus quanti partibus inesse totum non potest. Unde sequitur, ut quandoquidem anima in quacunque parte corporis, quod est quantum, tota residet, esse in loco nullatenus videri possit. Ipsam porrò totam animam in qualibet corporis sui parte versari probat S. Thomas 1. part. quæst. 76. art. 8. Tertio loco S. Mamertus intellectum ac voluntatem, quas dicere vires animæ solemus, cum ipsa anima re atque essentia conjungit. De quibus Scaliger, cùm subtilissimus haberi vellet: nam ibidem tertiò ad marginem notat: Scoti sententiam sequutus, quam docuit in 2. distinct. 16. scripsit Exercit. 307. num. 15. Dicimus, non esse accidentia, neque absoluta, neque relativa: neque realiter, ut loquuntur vulgò, differre à se invicem: neque utrumvis ab essentia animæ. Decet enim animam propter suam dignitatem fungi suis officiis: suasque exercere potestates, absque ullius accidentis aut inhærentis, vel præsidio, vel adminiculo: sed sine ullo medio statim per essentiam suam. Quæ essentia sine reali potestatum disjunctione, est principium sibi ipsi αὐταρκές: id est, quod sit satis sibi, ad producendas affectiones suas: easque non solùm simplices, ac uniformes, sed etiam compositas, sed etiam diversas, sed etiam oppositas, propter suam simplicitatem, atque divinitatem: ita tamen, ut seriatim una post aliam educantur. Intellectus autem ac voluntas etsi sunt una res, tamen distinguuntur ratione. Sunt enim affectus animæ proprii, non accidentales, sed una res cum ipsa: Sicut, Unum, Bonum, Verum sunt affectus i-

psius entis: una sanè res, atque eadem cum ipso ente. Sed & ab eo, & inter se distinguuntur per definitionem, ad hunc sanè modum. Quia in prima natura statuitur ipsum ens. Quæ natura quodammodo seipsam profert, atque efficit, ut sit, Unum, Bonum, Verum. Quæ est alia formalitas ab illa prima formalitate. Quia alia est apprehensio entis, ut est ens: alia, ut est unum. Hoc enim ex illo sequitur, atque ex eo nascitur, sed non extra ipsum. Una enim res est. Sic una res, anima, intellectus, voluntas. Anima tamen essentiam dicit. Intellectus ea est ipsa essentia ut apprehendit. Voluntas est idem, quod illa essentia intelligens, atque extendens sese ad illam rem cognitam potiundam. Sic videmus ejusdem rei diversas esse notiones: quas barbarè quidem barbaris, sed non inscitè, apud doctos formalitates appellabamus. Hactenus Scaliger, Scoti sibi subtilitates ascribens suppresso nomine: quæ tamen plerisque viris doctissimis atque inprimis S. Thomæ probari minimè potuerunt. Sed quandoquidem Scotus Orthodoxus est, & in religiosissima familia nobilis scholæ princeps, nequaquam ejus doctrinæ fidem quam complexus est, & à SS. Patribus hausit, aversamur; quin potius eodem fautore arbitramur ex ea necessariò sequi, quod pluribus ante eum seculis S. Mamertus argumentatus est, animam propterea neque localem neque corpoream esse. Reliquas Doctorum opiniones, quæ S. viri mentem interpretari possint, vide apud Paulum Nazarium tom. 3. Comment. in 1. part. S. Thomæ, quæst. 53. art. 3. Tametsi verò intellectus & anima reali inter se discrimine separentur, quandoquidem tamen mens & voluntas ex principiis ejusdem essentiæ fluunt, dubium esse non potest, quin anima ipsa materiæ expers haberi debeat. Manifestum est enim, inquit S. Thomas 1. part. quæst. 75. art. 5. *Quod omne quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis. Sic autem cognoscitur unumquodque, sicut forma ejus est in cognoscente. Anima autem ejus intellectiva cognoscit rem aliquam in sua natura absolutè, puta lapidem, in quantum est lapis absolutè. Est igitur forma lapidis absolutè, secundum* propriam rationem formalem in anima intellectiva. Anima igitur intellectiva est forma absoluta. Si enim anima intellectiva esset composita ex materia & forma, formæ rerum reciperentur in ea, ut individuales.

les. Et ſic non cognoſceret niſi ſingulare, ſicut accidit in potentiis ſenſitivis, quæ recipiunt formas rerum in organo corporali. Materia enim eſt principium individuationis formarum. Relinquitur ergò, quod anima intellectiva, & omnis intellectualis ſubſtantia, cognoſcens formas abſolutè, caret compoſitione formæ & materiæ. Hactenus S. Thomas. At rurſum idem alio argumento confirmat, quod anima ſcilicet ſit actus & forma corporis. Neque enim veriſimile eſt animam prorſus eſſe nihil, quod Pherecrates & Dicæarchus apud Ciceronem dum corpori tribuunt omnia, asſerere auſi ſunt, cùm plures ejus motus obſervemus, qui non videantur poſſe corporis viribus aſcribi. Sed neque accidens eſt, ſive ἀνυπόστατον quippiam. Nihil enim, inquit S. Thomas, poteſt per ſe operari, niſi quod per ſe ſubſiſtit: non enim eſt operari niſi entis in actu. Atqui mens habet operationem per ſe, cui non communicat corpus. Unde ſequitur, ut ſit aliquid incorporeum & ſubſiſtens. Non eſt ergo, quod nonnullis veterum placuiſſe video, ἁρμονία elementorum, ſeu numerus harmonicus, non κρᾶσις ſeu temperamentum cerebri vel cordis, de quatuor corporibus coagmentatum crama. Non quod Aſclepiades Medicus commentus eſt, συγγυμνασία αἰσθήσεων, id eſt exercitium quinque ſenſuum ſibi conſonum; non denique accidens quædam intelligentia & ſenſus interiores: qui δυνάμεις ſunt, vel ἐνέργειαι: ſed ſubſtantia, ὑφισάμενον οὐσία, quæ his omnibus vitam impertit. Non tamen illa σωματική, ἔνυλος, ἢ ὑλώδης ut quibusdam viſum, hoc eſt materia & corpore conſtans, ſed verè ἄυλος ἢ ἀσώματος ab omni fece corporis materiaque remota. Nam Stoici quidem animam πνεῦμα θερμὸν, πῦρ φυσικὸν eſſe dixerunt, naturalem quendam ignem, habitumque igneum Hippocrati potius viſa eſt σῶμα αὐγοειδὲς ἢ αἰθερῶδες corpus æthereum, ſeu ſpiritus tenuis diſperſus per omne corpus animantis. Heraclito ἀναθυμίασις, hoc eſt evaporatio, qui etiam docuit animam eſſe ſcintillam naturæ ſtellaris; vel, ut loquitur Macrobius, ſtellaris eſſentiæ. Sed neque incorporeas dicimus animas, quo pacto illi eſſe cenſuerunt, qui eas emphaſes & εἴδωλα nominarunt. Eſt autem ἔμφασις velut imago quæ relucet è ſpeculo. Hi namque, ut autor eſt Pſellus de Dæmonibus, ſolent corpora quidem craſſiora, corpora nominare; corpora verò tenuiora,

ra, & quæ aſpectum tactumque effugiunt, incorporea frequenter cognominant. Et hoc ſenſu dæmones Angelos, Animasque volunt eſſe corporis. At verò nos ſic animas à materia ſecernimus, ut nihil in illis corporeæ fecis reſidere concedamus. Quippe de ratione animæ eſt, inquit S. Thomas, *quod ſit forma alicujus corporis. Aut igitur eſt forma ſecundum ſe totam, aut ſecundum aliquam partem ſui. Si ſecundum ſe totam, Impoſſibile eſt, quod pars ejus ſit materia;* materia enim potentia eſt, forma actus, cui potentia repugnat. Si autem ſit forma ſecundum aliquam partem ſui, illam partem dicemus eſſe animam: & illam materiam, cujus primò eſt actus, dicemus eſſe primum animatum. Et rurſum ejusdem quæſt. art. 1. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quod eſſe principium vitæ vel vivens, non convenit corpori ex hoc quod eſt corpus, alioquin omne* corpus eſſet vivens aut principium vitæ. Convenit igitur alicui corpori, quod ſit vivens, vel etiam principium vitæ, per hoc quod eſt tale corpus. Quod autem eſt actu tale, habet hoc ab aliquo principio, quod dicitur actus ejus. Anima igitur, quæ eſt primum principium vitæ, non eſt corpus, ſed corporis actus, ſicut calor qui eſt principium calefactionis, non eſt corpus, ſed quidam corporis actus. Hactenus S. Thomas. Quod autem intellectus & voluntas ab ipſa anima re atque eſſentia ſecerni debeant, paucis ad hunc modum concludit idem Doctor Angelicus 1. part. quæſt. 79. art. 1. *Tunc enim ſolùm*, inquit, *immediatum principium operationis eſt ipſa eſſentia rei operantis, quando ipſa operatio eſt ejus eſſe. Sicut enim potentia ſe habet ad operationem, ut ad ſuum actum, ita ſe habet eſſentia ad eſſe. In ſolo Deo autem idem eſt intelligere, quod ſuum eſſe. Unde in ſolo Deo intellectus eſt ejus eſſentia: in aliis autem creaturis intellectualibus, intellectus eſt quædam potentia intelligentis.* Oportet ſiquidem, ut idem habet quæſt. 54. art. 3. quod *ſecundum diverſitatem actuum, ſit diverſitas potentiarum.*

XLIV.

Ex Theologis noſtris de hâc materiâ audiamus B. Thummium, qui ita ſcribit: Res quidem eſt controverſa, & diſſenſionis plena inter eos, qui hæc Sagarum tractant portenta: *reverâne* ad illos, de quibus conſentiens ac conſpirans omnium eſt oratio, conventus avolent, ac præſentes iis adſint, an verò *in quiete* tantùm, ubi

Exer-

Exercent vanas nocturna in somnia mentes,
adesse sibi videantur. Et habet ea concertatio in utrumque partem *Exempla* ac *Rationes*, quibus contrariæ sententiæ probabiliter defenduntur, plurimas. Qui *nullam veram & realem profectionem* admittunt, experientiam & αὐτοψίαν opponunt; quod videl. *multæ Sagarum domi, in eodem cum marito cubili, manifestè pernoctari visæ sint, quæ tamen postero mane recensuerint, ac confidenter multa ad ejusmodi conventus pertinentia dixerint, quibus se superiore nocte interfuisse affirmârint.* Alias etiam *inter dormiendum vehementius commoveri, quasi, cum ingenti aliquo dolore conflictarentur, notatas fuisse, ab iis, qui ejus rei cognoscendi studio, totas noctes, juxta profundè soporatas assederunt:* alias etiam in *sedili*, vel alia quapiam *re equitare*, uti qui viam admotis calcaribus accelerant: Cæterùm *domo non efferre pedem*, & experrectas lassitudinem, tanquam longam ivissent viam, præ se ferre, multaque miranda, quæ fecisse videbantur, narrare observatas esse. Ex quibus colligunt, *omnia ista, quæ de Sagarum ad conventus nocturnos delatione dicuntur, vana esse, & mera somniorum, à Dæmone immissorum ludibria.* Qui verò *veritatem rei* defensum eunt, sequentibus nituntur fulcimentis. 1. *Diserto Evangelii elogio*, quod facti *possibilitatem* & *veritatem* confirmat, quando Christum ipsum à *Satana per aëra assumptum, & super pinnaculo Templi statutum, ac in excelsi montis cacumen deductum fuisse consignavit*, Matth. 4. ℣. 5. & 8. 2. *Exemplis* beatorum Angelorum, qui pios de *loco in locum* per aëra transmisisse passim leguntur. Dan. 14. *Angelus Domini Abacuc Prophetam, comâ capitis apprehensum, ex Judæa in Babylonem (revera) transtulit, &, postquam prophetico prandio Daniel erat refectus, in eundem locum restituit.* Actor. 8. ℣. 39. *Angelus Philippum ex itinere rapuit, ut inventus sit in Azoto.* Nec malè à bonis Angelis ad malos procedit argumentum, ut quidam volunt, asserentes, *bonorum hac in re longè majorem vim ac robur esse, quàm Dæmonum;* Non enim est, cur dicamus, *motu locali, naturaliter Angelum bonum plùs quàm malum esse;* Cùm communis Theologorum Schola concedat, *retinuisse* Diabolos, quæ *naturæ dotes* erant, amisisse, quæ *gratiæ* erant. 3. *Exemplo porcorum Gergesenorum*, quos Dæmonum multitudo in mare præcipites egit. 4. *Experientia & historiis prophanis.* Auditi enim

ſunt, qui *eodem cum ſtrigibus unguento perfricti, ac delibuti, momento ad ejusmodi Synagogas unà cum iis ſe translatos conſtanti ſermone affirmârunt;* Unde tamen *redeuntibus, multorum dierum iter emetiendum eſſet.* Quin & hoc rei fidem conciliat, quod nonnunquam conventu, per *auxiliare-nomen* JESU inclamatum, diſſoluto, repertæ *menſæ, ſuppellex*, quæ uſui fuerat, agnita; *perſonæ* ad conventus euntes ac redeuntes à mente ſanis hominibus *conſpectæ:* interdum etiam *nudæ* vel in *camino*, vel in *campo deprehenſæ*, & ex turbine *decidentes;* aut *vulneratæ*, & *membris mutilatæ. Hiſtoriis* id etiam planum evadit. Nam *Simonem magum coram Petro, alarum Dæmoniacarum remigio, in aërem ſublatum, volitare viſum*, nonnulli ex antiquitate referunt. Et in Colloquiis D. Lutheri habetur, *Johannem quendam Teutonicum, Sacerdotem Halberſtadienſem, Anno Dominico 1217. Magiâ clarum & famoſum, à Satanâ, medio intempeſtæ noctis ſilentio, in tria diſtincta loca (ut puta Halberſtadium, Moguntiam & Coloniam Agrippinam) per aërem deductum eſſe, in quibus ternas Miſſas, in Feſto Nativitatis legi ſolitas, celebravit.* Harum opinionum *utramque*, ſalvâ veritate, defendi poſſe judicamus; *nonnunquam Sagas αὐτοπροσώπως, præſenti & vigilanti corpore in ejusmodi conventibus ſe ſiſtere; ſæpe etiam arctiori ſomno domi detentos, cùm abſint, videri ſibi adeſſe:* quæ vana imaginatio vigilantibus poſtmodùm veritatis opinionem inſitam relinquant, quaſi jam non fuerit id ſomnium, ſed potius certa quædam & indubitata corporis actio. Poteſt namque Diabolus ſe in *hominum mentes* inſinuare, & *quas vult, notiones*, ſinente Deo, in iis imprimere, ac quaſi conſignare, ſicuti Cardanus lib. 18. de ſubtil. affirmat, *Lamias inter dormiendum putare, ſe varias ac longinquas Regiones peragrare, atque in iis Reges, theatra, choreas, viridaria, fontes, vivaria, aliasque res amœniſſimas videre: imò & venuſtiſſimos adoleſcentes, propter quos dormiant, & quibusdam unâ ſe oblectent.*

XLV.

Sed habent quod oggániant Adverſarii *primò* tales abreptos fateri ſeſe abripi & ſentire illud, atq; confiteri tum publicè tum privatim, ut ex Exemplis ſupra adductis conſtat. *Secundò* ad condictam horam reverti, quod non ſit in poteſtate illorum, qui dormiunt vel etiam narcoticis ſoporantur, imò referre, quid viderint, & quidem

dem diſtinctè, quod non poſſint illi qui ſomno opprimuntur. *Tertiò* non tantùm reverſos Epulas, choreas & geſta hominum etiam locis diſtantium referre, ſed & literas, cultellos, annulos referre; ex quibus conſtare poſſit animam illorum ibidem fuiſſe, quod maximè urget Bodinus. Verum Exempla illa non convincunt: nam illud quod ex Auguſtino producitur de Præſtantii patre non ſuffragatur Bodino lib. 8. qq. cum alibi contrarium doceat expreſsè lib. ſcil. 18. de Civitate Dei & libro de Spiritu & Anima. Secundò Cardanus ſuſpectiſſimus eſt Magiæ, cum Pater ipſius Facius per triginta annos Spiritum habuerit familiarem, & proinde mendaciſſimus, utpote mancipium Sathanæ, conſtatque ex ejus Scriptis, ſæpiſſimè de ſeipſo perorare & jactare, quæ vera non ſunt nec eſſe poſſunt, adeoque ita ſimplicioribus illudere. *Tertiò* quæ ex Experientia adducuntur facile ſolvuntur: nam infantes iſti dormiunt, non moriuntur, & longè credibilius eſt Diabolum exhibere illorum phantaſiæ iſtiusmodi ſpecies, quam animam abripi & eo loci deferri, quo putant ſeſe fuiſſe, de Magis verò conſtat, quod in ecſtaſin aliquando abripiantur, ſenſus illorum ad interiora revocentur, atque corpus quaſi examine compareat, quo in caſu anima videtur diſceſſiſſe, quæ non diſceſſit, ſed intra fuit revocata, imò Diabolum μυελοτεχνίτην eſſe perſuaſiſſimum eſt Chriſtianis, qui cum rem præſtare nequeat, ſpecie illudit, vel diabolicam Opinionem ſtabilire geſtit, quemadmodum ex militis cujusdam dormientis ore egreſſam & iterum ingreſſam muſtelam albam & per gladium rivo impoſitum iterato commeantem oſtendit per ludibrium, ut ſcil. hunc Errorem de Animarum Migratione mentibus imprimeret. Præterea quod Authoritates concernit, non obſtant illæ nobis, nam pauci ſunt illi, qui hanc ſententiam fovent, ſi conferas cum multitudine quæ contrariam ſequitur. *Secundò* Balduinus noſter apertè hunc Diaboli raptum dicit vocari ecſtaticum, ſeu ſomnum melancholicum, quo vires animæ ita ſepultæ ſint, ut videatur homo mortuus, non itaque in rei veritate mortuus. *Tertiò* Bodinus ut in multis erroneus, imò ſecundum quosdam Atheus, ita nullo pollet apud nos Authoritatis robore. Denique quæ Olaus refert, quidem veritatem facti teſtantur aliis ipſi conſpirantibus, inprimis *D. Schæfero* in Tractatu de Lappis: verum non verita-

tem

tem Egreſſus animæ & Reditus in Corpus nobis exhibent: dicit enim videri tantum non ſupereſſe Spiritum, dicit ſemper adeſſe debere aliquos, qui corpus exanime cuſtodiant, ne Diabolus illud abripiat, aſt qui poteſt abripere animam & in tam diſſita loca transferre, quî non poſſit corpus quoque ignobiliorem partem abripere, dicit revertente Spiritu ſeu è profundo ſomno cum gemitu expergiſci exanime corpus, quaſi revocetur in vitam ex morte, qui conciderat. At ubi profundus ſomnus, non abeſt anima, ubi expergiſcitur corpus, non revocatur ad vitam, ſed ſenſus ſopiti redeunt, ubi eſt quaſi revocatio in vitam, ibi non eſt reſuſcitatio in vitam, quæ autem referunt iſtiusmodi homines non habent ex præſentia locorum illorum, in quibus fuiſſe finguntur, ſed ex repræſentatione Diaboli,qui talia illis interea objicit. Confeſſio autem quibus diſſentientes nituntur eſt Confeſſio hominum corruptæ mentis & judicii, eſt Confeſſio expoſitorum Sathanæ ludibriis,eſt Confeſſio nondum firmato judicio pollentium, quapropter non ut Evangelium quoddam recipienda, ſed ulteriori diſquiſitioni reſervanda. Si nulli Melancholico, deliro, vel maniaco creditur aliquid, etſi jurato,cur hîc tam faciles nos exhibeamus, ut credamus, quæ confitentur Magi, Veneficæ, vel Infantes. *Secundò* abrepti illi ad condictam horam revertuntur, ſed non ſemper, nec omnes. Sanè pueri qui iſtiusmodi deluduntur,nullam aſſignant horam,nullum definitum tempus, præterea ſi Magi determinant articulum temporis, eſt illa determinatio à Sathana, qui tamdiu illos detinet in Ecſtaſi, quam diu vult. Denique narcotica etiam temperari poſſunt, ut ad certum tempus operentur, poſt quod evigilantes iterum ſenſuum ſuarum habeant exercitia vegeta, nec refert quod referunt; referunt enim non tam illa, quibus præſens fuit anima, quam ea quæ objecta fuerunt à Diabolo, tanquam præſentia. *Tertiò*, ſi referunt abrepti hæc vel illa obſervata: Anima non fuit à corpore ſeparata, cum illa tota ſit immaterialis, in objectis conſimilibus ſpiritualibus ſcil. occupetur,nec ſentiat aut patiatur, quæ illis referunt: quomodo enim illa epulari, ſaltare, aut ſimilia poteſt, quæ organis ad hæc opera deſtituitur, præſtigiæ itaque ſunt Diaboli & dementationes, vel Phantaſiæ opera, quibus afficitur à Diabolo, cui imprimuntur in ſomno iſtiusmodi ſpecies, quemadmodum aliâs quo-

que

que venator defessa thoro dum membra reponit, mens tamen ad sylvas & sua lustra redit, concedamus denique referre abreptos literas, annulos, cultellos & id genus alia, non poterunt hoc, si anima tantum abeat à corpore, & se sistat istiusmodi conventibus, quî enim Spiritus immaterialis separatus à corpore hæc prehendere, absque manibus tenere, absque organo referre, absque instrumentis ad hoc necessariis potest? præterea annon Diabolus annulos, cultros, literas, & quæ sunt cætera celerrimè supponere potest, oculos spectantium fascinare, ne aliundè adferri sentiant, mago expergefacto tradere, qui quasi ipse attulerit, ostendat adstantibus, cum tamen totum hoc operante Sathana factum sit, quoties videmus illos qui saccularias artes exercent, Hokos pokos ludunt, mira præstare & aliquid intervenire magici credere, cum tamen omnia celeritate peragantur.

XLVI.

De Corporibus quoque movetur quæstio. Num itaque si animæ non abripiantur corpora tamen Magorum, Sagarum & puerorum, qui Sacramentum dederunt Diabolo, transvehantur & per aërem celerrimè deferantur vel ad Magorum & Lamiarum Conventus, vel ad alium quendam locum pro lubitu Sathanæ. Hic iterum dividuntur Doctores: quibusdam existimantibus meras esse illusiones & phantasias Sathanæ, quibusdam verò censentibus realiter transferri & translocari istiusmodi devotos. Priori sententiæ accedunt ex Hispanis Fr. Samuel & Author fortalitii fidei, Martinus de Arles Canonista, ex Italis Johann Baptista à Porta, ex Gallis Duarenus, Ærodius & Michaël Montanus, ex Anglis, Johannes Salisburiensis, ex Germanis, B. Lutherus, Melanchton: Godelmannus posteriori, Bodinus lib. 2. Dæmonol. cap. 4. Paracelsus in Philosophia magna & occulta, Scribonius in Physiologia, Danæus, Franciscus, Joel, Cigogna, ex Patribus verò Clemens, Arnobius, Hegesippus, Cyrillus, Maximus, Taurinensis, Epiphanius, Gregorius. Tandem quidam mediam viam ingrediuntur & quandoque realem, quandoque phantasticam esse dicunt illam exportationem, in qua sententia sunt Remigius, Wierus, Alstedius, Boissardus, Delrio, Malleus Maleficarum, Turrecremata, Bazinus, Jacobus Rex Angliæ, Tannerus,

Binsfeldius, Scultetus, Lercheimer, Thyræus, Hildebrandus & alii. Nos censemus ultimæ huic & saniori sententiæ esse assurgendum, idque ex sequentibus fundamentis, primò, quia non est impossibile Corpus aliquod abripi & transferri per aërem, cum Scriptura istiusmodi Exempla suppeditet. Sanè Christus omnium hominum sanctissimus à Diabolo fuit abreptus & in pinnam Templi Hierosolymitani deductus atque iterum in montem excelsum ubi ipsi ostensa sunt regna Mundi *Matth. 4. v. 5. & 8. Marc. 2. Lucæ 4.* Spiritus quidam Philippum Apostolum in Desertum detulit, de quo *Actor. 8. v. 39, 40.* Si autem Diabolo tantum licuit in Christum, si Spiritui tantum fuit concessum in Philippum, quî non Diabolus possit transvehere Sagas, Magos & istiusmodi homines furfuris ad loca alia, ut qui illi devoti & obnoxii. *Secundò* potest utique Sathan Corpus quoddam localiter movere, potest cum illo aërem pervium transire, potest certum terminum figere, ubi velit illud ipsum corpus existere, vel collocare, omnia illa contradictionem non involvunt, omnia illa potestatem angelicam non superant & excedunt. *Tertiò* Exemplorum Multitudo est in promptu, & quidem illorum, qui alibi fuerunt inventi exportati, vel inter transportandum dejecti atque realiter in corpore afflicti, imò inventi fuerunt Scyphi argentei, crateres, cultri variaque suppellex illo ipso in loco, in quo convivia agitarunt post discessum, & sæpius contigit, ut quis forte fortuna inter ambulandum in istiusmodi Conventus incideret aut dissiparet illos. Nullo itaque colore aut prætextu negari potest illud strigiportium, illa realis & localis exportatio.

XLVII.

Habent tamen Dissentientes quod prætendant. Nam *primò* obtendunt, si translatio illa esset realis, exitium præsentissimum fore corporibus deportatis, nam tam celeriter quandoque deferri, ut impossibile sit corpus non dissipari, non resolvi, non suffocari, cum aliâs si corpus quoddam animantis ex loco alto decidat sæpè in media vita suffocetur, & dubium esse, num Sathan tanquam Spiritus incorporeus molem corporis ita movere possit. *Secundò* si attendamus loca, per quæ ferantur, impossibile quoque videri corpora pertransire illa, aut admittendam esse penetrationem dimensionum

ſionum quæ naturaliter impoſſibilis; per rimas enim anguſtiſſimas firmos carcere feneſtras, clauſas januas, ſpecie felium, murium locuſtarum perduci, quod maximè urſit Illuſtriſſima quædam perſona in Colloquio mecum de hac re habito. *Tertiò* dicunt realem illam non eſſe translationem vel ex eo poſſe conſtare, quod cibi in illorum Conviviis ad quæ deferuntur non ſint reales, non ſatient, non famem expleant, inani vento deludant, ut verè poſſis illa dicere Heliogabalæas cœnas, ex ebore & aliis, ex quibus præſentes laxis lactibus diſceſſerunt, imò omnia, ſi ſolum exaudiatur nomen JESU in iſtis Conventibus evaneſcant, atque ſic ludibrium demonſtrent, addunt Jus Canonicum phantaſticè hæc fieri docere ex Concilio ancyrano Cauſa 26. cap. 12. Epiſcopi q. 5. & ſtultos atque hebetes dicere, qui hæc quæ ſolo Spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitrentur, ac talia credentem fidem perdidiſſe uſſerit.

XLVIII.

Nos exiſtimamus hæc tanti non eſſe, ut nos à recepta ſententia dimoveant. Nam *primò* Motus ille non obeſt Corpori moto, ſi enim Aves in aëre poſſunt moveri celerrimè citra ſui Noxam, quidni Diabolus corpus humanum citra diſſipationem poſſit ferre ad loca conventus: ſanè celeritas Motus non ſuperat poteſtatem Diaboli, nec interimit corpus ad motum aptum, & ſi aliâs corpus quoddam vivens ex alto decidens ſuffocatur, hoc eſt ex eo, quia aër intercipitur, quam interceptionem in Lamiis & Magis Diabolus avertere poteſt. *Secundò* inſtantia firmiſſima peti poteſt ex corpore Chriſti translato à Dæmone; ſi enim illud potuit movere Sathan, quî non poſſit incorporeus corpoream molem promovere, ſi corpus Chriſti aſſumptum & translatum, non fuit diſſipatum, quidni & alibi hanc diſſipationem potuerit prohibere, ſi denique Diabolus in forma aſſumpta comitatur Sagas quî dici poteſt Spiritum incorporeum non poſſe movere molem corpoream. Solet enim Diabolus ſeſe jungere illis in forma nunc hirci, nunc canis, nunc felis & ſimilium. *Tertiò* Diabolus eſt mille artifex & poteſt, quæ quandoque nos Intellectus noſtri Imbecillitate attingere non valemus, quidni ergò ſi Exempla proſtant potius illis inhærendum, quam negandum, quod in Theſauro technarum habet

reconditum ille artifex. *Secundò* certum eſt, poſſe alicui dubium videri, quomodo hæc contingant, ſed ſi res ſit vera, ſi Exemplis ſit firmata, fruſtraneos ex ignorantia Modi ad negationem rei procedere. *Secundò*, ſicut ſpecies illæ filium, murium & locuſtarum, in quibus perduci ſe Sagæ fatentur, ſunt præſtigioſæ, ita quoque anguſtiæ illæ per quas tranſire dicuntur, quandoque præſtigioſæ eſſe poſſunt, miſcenturque putamina baccis, falsa veris in iſtiusmodi artibus, judicio opus ergo eſt, ut probè diſcernas. *Tertiò* præſtigiator ille vel feneſtras & januas aperit latentes, ut ſcil. putent ſeſe tranſire, cum tamen non penetrent, ſed per apertum oſtium intrent, vel fiſſuras & rimas dilatare, dirumpere, vel alio aliquo modo laxare poteſt, & poſtea iterum compingere, vel modo quodam hactenus incognito nobis, viam parare ſuis devotis. *Tertiò* cibi qui apponuntur in iſtiusmodi Conviviis, non ſunt ſemper præſtigioſi; nam ut cætera, quæ his accidunt, non omnia ſunt mendacia, ſed quædam vera e. g. pocula, veſtes, plumæ, quas ſecum domum deferunt, uti vinum quod bibunt, non ſemper eſt fictitium, ſed quandoque verum cum cellas ſubeant & ex illis detrahant, ita quoque cibi, qui apponuntur non ſunt ſemper præſtigiæ, ſed quandoque ſolidi. *Secundò*, ſi corvi & quidem ex Achabi aula detulerunt cibos Eliæ, quidni poſſit Diabolus ex inſtructis conclavibus & penuariis etiam ſuam decerpere partem, apportare illam, & ſuos ſaginare iisdem cibis, qui cedere debuiſſent alicui diviti Epuloni, vel ſunt ex repotiis ipſius. *Tertiò*, ſi nomen JESU inclametur ceſſaſſe omnia quod objicitur, hoc ipſum factum eſt non per umbrarum Evaneſcentiam & ſpecierum ſublationem, ſed per celerrimam aſportationem, oculorum faſcinationem, imò quandoque quorundam relictionem, cum ſcilicet illi, qui tales Conventus adeunt & forte fortuna illis ſe immiſcent, vel ex vigilibus vel ex viatoribus quandoque pocula, quæ relicta fuerunt, apportarint Magiſtratui, vel ſibi ſervarint. Quod autem Jus Canonicum ſpectat, illud, nos non obligat, notum eſt, quanti id fecerit B. Lutherus, quanti æſtiment ipſi Pontificii, quod ſi fidem perdat, omnes illi ex Pontificiis fidem perdiderunt, qui exportationem illam crediderunt, & adhuc defendunt, nec Concilium ex quo ſua petit, fuit æcumenicum, neque dicit, quod illi volunt, ſed tantùm

ex-

exportationes iſtas non Numini alicui vel Dianæ tribuendas eſſe definit, neque eſt res fidei, ut qui in hâc materiâ non ſeſe ſubmittat, confeſtim fidei naufragium feciſſe dicendus ſit.

XLIX.

Conſpirant Theologi, qui ita: Locus, ubi conventus ſuos inſtituere ſolent Magi, german. dicitur der Brockſsberg vel Brockelsberg & Hewberg/ ut alii eum nominant, vel etiam in ditione Ultrajectina conventus inſtituunt ſuos, in qua unus ex præcipuis Magorum congregationibus locus eſt, ut tradit Delrius *l.2.q.16.* An autem corpora Magorum ad nocturna iſta Comitia transportare poſſit, de hoc jam quæritur. Duas autem ad hanc quæſtionem invenimus reſponſiones. Quidam omnem illam Sagarum aut aliorum hominum translationem de loco in locum ad *illuſiones phantaſticas & Diabolicas* referunt, quam ſententiam amplectuntur B. Joh. Sperlingius *Inſtit. Phyſ. q. IX. p. 380.* & cum eo Gœdelmannus *de Lamiis l. 2. c. 4.* Joh. Baptiſta Porta *l. 2. Mag. Natural. c. 26.* Martinus de Arles, Phil. Camerarius, Marcus Antonius Zimara in *Tract. de Magia c. 15.* quem de ſuo auxit Cæſar Longinus, qui ibidem pro ſua opinione citat B. Lutherum, Melanchthonem, Vairum *l. 2. de faſcin. c. 3.* alioſque. Alii autem ut Bodinus, quem ſequitur Philipp. Theophr. Bombaſtus ab Hohenheim/ vulgò *Paracelſus* nominatus, *homo contradicendi, & nova obſcuraque dogmata cudendi ſtudio deditiſſimus*, *Scholis Medicis ac Philoſophicis ut & Theologicis* (omnibus enim ſeſe oppoſuit) *notiſſimus in Phil. occult.* Joachimus Camerarius, Raphaël la Torre *Tract. 2. Diſp. V.* Tanner. *q. 3. p. 59.* & Scholaſtici *ad Part. I. q. CX. a. 3. & 3. q. 41. a. 4. totum hoc & ſemper realiter fieri contendunt.* Nos utramque ſententiam amplectimur & priorem ſtatuminamus verbis Auguſtini, qui hac de re ita diſſerit: *Homines malarum rerum cupidi, occulto quodam judicio divino traduntur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus atque decipientibus eos prævaricatoribus Angelis, quibus iſta pars mundi infima ſecundum pulcherrimum ordinem rerum, divinæ providentiæ lege ſubjecta eſt.* Poſteriorem verò firmamus ſequentibus rationibus, quia nullum ex parte agentis, nempe Diaboli, eſt impedimentum, cum ſit ſpiritus *fortis & robuſtiſſimus Luc. XI, 21. Eph. II, 2.* nec etiam datur impedimentum ex parte patientis,

tientis, nempe Sagarum, nihil enim obstat, quo minus transportari possint. quia plurima exempla Sagarum in loca remotissima celerrimè exportaturum id demonstrant, non ignota his, qui Sagarum confessionibus crebrius interfuerunt. Adeatur Remigius *l. 1. de Dæmon. c. 14. p. 90. seq. & c. 17. p. 117.* & Bodinus *l. 2. de Dæmon. cap. 4. p. 200.* quia sæpius in locis istis conviviorum Magicorum varia suppellex inventa fuit, de quo vid. Gœdelmann *l. 2. de Lamiis c. 4.* Huc accedit, quod boni Angeli hoc possint efficere, ut ex *Act. VIII, 39.* clarè patet, ubi Philippus dubio procul adminiculo boni Angeli raptus, & aliò transportatus fuit. Sic *Dan. IV.* legitur, Angelum ex Judæa Prophetam Habacuc per aërem traduxisse, ut pulmentô eum cibaret. Nec est, ut quis excipiat: *Disparem esse Angelorum bonorum & malorum potentiam.* Tanta enim Angelis malis inest potentia, ut non dubitemus asseverare, eorum vim atque potentiam nudè consideratam sufficientem esse ad evertendum per motum localem totum hoc universum. Si igitur hoc possunt efficere, multò magis corpora quæque gravissima de loco in locum transportare. Qui igitur hanc potentiam Diabolo denegant, minus videntur Diabolicæ potentiæ gnari. Cur autem Diabolus mancipia sua in loca illa remotiora transferat, & junctim convenire urgeat, causas recenset B. Balduinus *de C. C. l. 3. c. 5. p. 738. sequentes.* ut fœdus cum Diabolo redintegrent, ut à Diabolo denuò nocendi potestatem accipiant: Nam Satan ante eorum discessum horribili voce intonat: *Ulciscimini vos, aut mortem appetetis.* ut malefactorum suorum rationes Diabolo reddant. ut scelerati parentes Diabolo liberos suos impiè offerant. ut denique istis in conventibus testentur, quantâ alacritate Diabolo serviant. Et tantum de hoc Zetemate, an Diabolus Magorum corpora ad nocturna Comitia transportare possit. Sequitur nunc, an etiam animæ Sagarum vi Diabolicâ abripi, & ad Panegyres suas ferri possint? Hæc quæstio priori difficilior videtur. Bodinus *l. 2. Dæmon.* hanc animarum corporibus aliis in locis relictis & sopitis abreptionem admittit. Verùm hanc sententiam esse falsam sequenti probamus requenti ratiocinio: *Quicquid infinitam potentiam requirit, id nulli creaturæ est tribuendum. Atqui illa animarum abreptio & reductio in corpora infinitam repuirit potentiam. E. Diabolo,*

utpote

utpote creaturæ, non est tribuenda. Minor probatur: Si enim Diabolus animam abripere, & ad loca dissita transportare, & vicissim cum corpore domi relicto mortuo redunire posset, utique etiam hominem à mortuis resuscitare posset, quod factu impossibile, dictu nefas. Hoc enim infinitam requirit potentiam, & est opus solius Creatoris omnipotentissimi. Hinc rectè B. Balduinus in *C. C. l. 3. c. 3. Cas. 4.* ita disserit: *Obsessio Dæmonum est pœna corporis, in quod Deus Diabolo interdum magnam promittit potestatem, in animas autem hominum sibi soli absolutum reservat imperium.* Deinde nos negativam defensuri ita argumentamur: *Corpus Magi, cujus animas exspatiatus, & abreptus dicitur*, aut erit *vivum*, aut *mortuum*. Si *vivum*. E. *animatum.* At hoc non, cum nihil possit esse animatum sine anima, quippe quod contradictionem involvit. Si *mortuum*. E. *poterunt mortui vi Dæmonum resuscitari.* Contingunt igitur hæc lamiarum itinera vel per *Ecstasin*, vel per *somnium Diabolicum*, non per *animæ à corpore solutæ transvectionem.* Ecstasin autem illam efficere facilè potest Pseudotheus vi narcoticorum, vel certè in somno tales objicere imagines, quibus deceptæ aniculæ Jovem jurarent lapidem se interfuisse, cum tamen loco nunquam fuerint motæ. Nec obstat 1. *quòd Magi ipsi fateantur, se animabus extra corpus abripi, corporibus domi relictis.* Resp. Confessio Magorum nihil probat, est enim corrupti animi & judicii. Probat nihil aliud, quàm somniâsse vel vidisse se aliquid, quâ autem ratione an animi extra corpus abreptione, an corporis ipsius exportatione, non probat. Quin pervertit sensus suorum ita Diabolus, ut abreptos se fuisse deinde glorientur. Nec obstat 2. Quòd interdum *Magi reversi literas, cultellumve eorum, qui longissimè absunt, secum reportant, corpore ante oculos multorum jacente immoto.* E. anima revera exspatiatur, Resp. Nihilominus. Diabolus enim ipse sub nomine Magi ea efficit omnia & quo efficiat commodius, oculos adstantium obfascinat, Magisque cultellos subreptos, quos ostendunt, tradit, ut adstantes revera ea à Magis fieri putent, quæ Diabolus astu oculorum aciem antevertente, efficiat, corpore interim sopito ante oculos multorum relictô.

L.

Adstipulantur Jurisconsulti, quorum sunt sequentia: Uti olim

olim DEUS populo ſuo Hieroſolymis Synagogas erexit, ut in iis ignarus legis divinæ populus erudiretur, voluntatemque Dei placitam ex verbô in iis prædicato hauriret: Ita & Diabolus, in omnibus omninò ſuis actionibus ſimiam Dei agens, gregi ſuo acherontico conventus & ſynagogas, quas ſatanica ſabbata vocant, indicit. In quibus ſacris ſuos initiatur, in fide privatim datâ, huc illucque nutante, (ſi fides eſt nominanda) confirmat publicè, deteriorem veri Dei abnegationem majoremque ſui cultum ab ipſis flagitat, artes & vias compendioſiſſimas nocendi rudioribus fideliter monſtrat. Quos autem ſatis conſtantes expertus eſt, & in arte ſuâ quosdam progreſſus feciſſe novit, eos easve examinat, ut ex iis reſciſcat, quàm rectè & diligenter munus intoxicandi mandatum impleverint, & quos necaverint, eas, ſi probè officiô defunctas, animadvertit, laudat, præmiis ad majora audenda invitat, ſi quas ſegnes & remiſſas in opere offenderit, eas verbis diris objurgat, minis ac verberibus inſequitur. Atque de hiſce Conventibus & Synagogis Lamiarum nullus Autorum, quos quidem evolvi, imò nec ipſe Lamiarum Patronus, ne dubiolum quidem movit. Quin & Remigius, qui ſedecim annos cauſis Criminalibus in Lotharingia præfuit, ac non minus octogintos hujus criminis reos homines capite damnavit, teſtatur, eos omnes unô ore maximam hujuscemodi conventuum frequentiam, prædicaſſe. Adeò, ut tutò affirmari liceat, conventus à Diabolô certò inſtitui. Quos vel ipſe tanquam præſes collegii, vel per dæmonem, qui ad cujuslibet ſagæ cuſtodiam conſtitutus eſt (quem blandis cognomentis (ut Martinelli, Magiſteruli aut alius) pro lubitu Satanæ honorare coguntur ſagæ) vel per alios Magos aut ſagas, per unum aut duos dies, antequam fiat congregatio, denunciat & indicit. Cum ipſe per ſe evocat, aut ſuis humanâ formâ *Martinellus* apparet, aut ſaltim eâ, quâ dignoſci à ſagis poteſt. Adeò, ut nonnunquam eveniat, ut in eôdem hominum cœtu, ſolus ſortiarius vel ſaga Satanam præſentem agnoſcat, cæteri non poſſint, quanquam hominem cernant aliquem, ſed ater an albus ſit, neſciunt, *Danæus de ſort.* Per alios fit denunciatio, quando per ſuos diſcipulos aut alias ſagas vicinas evocat, locumque ſemper ad tempus certum in denunciatione ipſis præ-

præfigit ac designat. Ritè sic vocatis lamiis, quod si quædam justam causam impedimenti, quò minus conventui interesse valeat, prætexat, ea ipsa auditur, dummodò sit causa vera & excusabilis, quæ legitimè excusare posset. Alioquin si fingeret habere causam saga, quæ nulla esset, morasque necteret, quò minus non accedat, non deferebatur invita, sed remanebat in domo suâ, nihilominus pro pœnâ sui mendacii fortiter cruciabatur à dæmone, ut in mente & corpore maximis & continuis doloribus ac ægritudine intrinsecâ adeò miserabiliter vexaretur, ut die noctuque nihil penitus quietis haberet. sed semper tribularetur, & omnia, quæ ipsa intereà ageret, evanescerent & perirent in fieri. Et his malis non evadebat lamia prius, quàm peccatum suum confiteretur, & promitteret etiam mediante jurejurando, quod imposterum non recusatura sit accedere. *Paul. Gbirl. de sortil. Q. 7. n. 28. in fin.* Loci, in quibus solent à dæmone cœtus & conventicula malefica instituì, plerumque sunt sylvestres, occulti, subterranei & ab hominum conversatione remoti. Indicuntur sæpies in locis longè dissitis, peregrinis, caducis castellis & desertis, nonnunquàm in compitis. Sic in monte Atlante plerumque fieri conventus, tradunt *Mela lib. 3. cap. 44. & Plin. lib. 5. c. 1. In Hollandia Magus nomine Johannes de Vaulx Stabuleti decollatus anno 1603. fatebatur ex præcipuis locis generalium congregationum esse unum in ditione Ultrajectina, & eò se non semel Stabuletô delatum.* In Germaniâ locus hujus conventus sagarum esse creditus Mons Bructerorum. Nec improbabile forsan est, quoniam ille mons in mediâ Germaniâ situs est, & Geographis umbilicus Germaniæ dicitur; Atque insuper in mediâ aëris regione constitutus, & juxta suprà recensita loca valdè nemorosus & ab omni hominum conversatione & prætеritione remotus esse dicitur. De quo & Joh. Georg. Godelm. *L. 2. de Lamiis c. 4. n. 2.* Pervulgata fama est, inquit, lamias totius Germaniæ certis unguentis illitas noctu Calend. Maji in montem Bructerorum vulgò Blocksberg oder Hewberg bajulari. Quin famam & hanc, ne quis figmentum putet, experientia & vera sagarum complurium confessio judicialis comitatur, cui indicio est Respons. Lips. Quæstori Ostraviensi Mens. Jul. anno 1613. datum, ubi saga in confessione montem hunc ludis dicatum prodidit

dit in verb. Sie wäre nur zwey mahl auff dem Blocksberge gewesen/ und auff einer Ofen-Krücken zur Feuer-Mäuren oben nauß und nirgend an ins Teuffels Namen hinaus gefahren. Vorgedachte Böttigerin ihre Nachbarin / hätte sie mit einer Salbe geschmieret/ darauff sie beide in einem Augenblick auffm Blocksberge gewesen/ daselbst sie Kuchen gebacken und Bier getruncken/ aber keinen Wein / auch getantzet/ und wären die Spielleute Sackpfeiffer und Trummelschläger/ wenn sie dahin kämen/ verblieben sie ohne gefähr ein paar Stunden beysamen/ und hätte allezeit eine junge Braut den Vorreyen/ dazu sich ihrer so viel und von hundert Meilen Weges her auffm Blocksberg finden thäten/ so man nicht alle zehlen könte ꝛc. Et ad eundem Quæstorem in aliô casu Mens. Sept. anno 1613. ib. Wie sie denn auch ferner bekannt und außgesaget/ daß sie mit der gerechtfertigten Täschin und Kuntzen Ortheien auff dem Blockesberge gewesen ꝛc. Tempus horum conventuum dum examinamus, deprehendimus cum Danæo, in tempore instituendorum nihil certi constitutique habere Satanam; nec enim fieri hebdomadatim, menstruatim, vel etiam annuatim; Sed quando quotiesque illi Magistro visum fuerit. Communiter tamen bis vel ter in anno institui ex plurimarum confessionibus creditur, de quo fidem facit Resp. Lips. Kalten-Sontheimb an Valentin Gumperten Centgraffen mens. Jan. Anno 1613. ubi saga confessa est hæc: Zehen Wochen nach solchen Verlöbnis/ hätte sie ihr Buhle auff einer kurtzen Gabel/ so in ihrem Hause hinter dem Backofen gestanden/ zum Tantze geführet/ welches nachmahls deß Jahrs dreymahl geschehen/ an Walpurgis/ Johannis und Jacobi/ zweene Pfeiffer so ihr unbekant/ hätten mit Schalmeyen auffgespielet/ und sie für dem Tantze Mahlzeit gehalten ꝛc. Tempus tamen nocturnum ac intempestæ noctis tenebras hisce conventiculis consecrari ac deputari à Diabolo certum est, (quamvis nonnulli dicant, etiam fieri interdiu & meridie conventus) idque ob geminam rationem, quarum unam suppeditant nobis Theologi hanc: Quia nempe dæmon post fœdum casum è Paradiso effectus fuit obscurus ac tenebricosus, *S. Thomas in tract. 44. Q. 16. art. 1. & 6. in Tit. de dæmonibus.* Hinc lucem fugit, tenebras vespertilionis in modum amat, & omnia

mnia opera, quæ ipse peragit, claræ luci exponere subterfugit, sed in obscuro tenebricoso loco & tempore tractat, eò maximè quia opera ipsa sunt peccata, quæ communiter dicuntur nigra, & opposita luci veritatis, virtutis & justitiæ, juxta commune verivervium, qui malè agit odit lucem, *c. perniciosam 18. Q. 2.* Alteram reddunt nobis JCti hanc: Quia, si die ac clarâ luce conventiculos & cœtus subdîtorum suorum cogeret & agitaret, conspici possent ab aliis, faciliusque fisco aperirentur maleficia, ob quæ devenirent ad notitiam curiæ ac justitiæ publicæ, cui hôc modô incautè suas fideles capturæ ac ultimi supplicii periculo exponeret Diabolus. Quare ne tàm facilè detegantur & impediantur, eorum opera, sacrificia multâ de nocte celebranda curat in locis ut dictum, diffitis & obscuris, ne ea à quôquam ullum ferant incommodum. Evocatæ hoc modo & tempore Lamiæ, conventus planè contra morem iter longinquum ingredientium, qui se totis viribus ad illud componunt, ab ollâ sibi & aliis vestibus prospiciunt, adeunt. Lamiæ enim corpus suum, quod tamen tegi Deus jussit, voluntariè vestibus spoliant, & nudæ plerumque (nam & vestibus quoque indutas levibus visitasse conventus, compertum est) conventicula accedunt, idque turpi dæmonis fraude illud fieri certum est, ut eò facilius libidinis incendivum crearet, qui illis persuadet, eas non posse conventiculis interesse, nisi nudum corpus unguento, ex corpusculis infantum ante baptismum necatorum præparato illinant, idque propterea solùm illis persuadet, ut ad quam plurimas infantum insontium cædes eas alliciat; Ac ne fortè, una ab aliis, unguentum, quod primâ vice saltim procedit, sæpius mutuò accipiat, necessarium esse dicit, ut ipsæmet sibi illud ex infanticidio comparent. Adeò miseris prorsus imaginatur, vim translativam per occultam qualitatem huic unguento inesse, quod tamen reverâ nihil confert ad delationem, aut si certè aliquid confert, eatenus id efficit, quatenus per ea sensus corporis consepulti jacent. Et posset eas Dæmon transferre sine unguenti usu, quod & sæpius effecit: Sed unguento mavult uti, idque tum ob causam memoratam, tum etiam, quia timidiores sunt quædam sagæ, quàm ut audeant, vel quia tenuiores ac delicatiores sunt ad horribilem illum Satanæ contactum in corpore assumto tolerandum, tunc unguentorum

inunctione sensum obstupefacit membrorum. Unguento verò per se nullam vim translativam inesse (quanquam Paracelsus hoc velit) vel inde patet, quod etiam, si qui statutô conventus tempore ex curiositate quâdam cupientes conventui interesse, se unguentô illinant, & reverà per aërem eò devehantur, (Deo id ad puniendam incredulam curiositatem tam temerariæ audaciæ permittente) tamen si quis fide firmus, charitate armatus ad fraudes Dæmonis revincendas dissipandasque ad fidei veræ confirmationem eo se unguento inungeret, (ut rectè Binsfeld.) nulla sequeretur translatio, quia hîc omne pactum cum Dæmone cessat, neque id Deus esset permissurus. Et propterea, quando extra conventus tempora sese inungerent sagæ, non avolarent, nec auferrentur, eò quod illud pactæ non fuerunt. Sciunt hoc, & ideò non inunguntur, nisi auditô conventus signô. Unctionis ritu peractô, abiturientes, ne fortè à maritis in lectis desiderentur, vel per incantationem somnum, aurem nimirum vellicando dextrâ manu prius prædictô unguine illitâ, conciliant maritis, ex quô non facilè possunt excitari: Vel Dæmones personas quasdam dormientibus adumbrant, quas si contingeret expergisci, suas uxores esse putarent, ut annotavit & exemplô probavit, *Remig. L. 2. c. 12.* Vel intereà alius Dæmon in formâ succubi ad latus maritorum adjungitur, qui loco uxoris est, qui si opus fuerit omnia conjugis absentis officia in thorô conjugali subeat. Ad quæ Diabolus se promptissimum exhibet, seque ita accommodare scit, ut etiam sapientissimum quemque fallere possit, *Paul. Ghirland. de sortil. q. 7.* Et ita sine omni remorâ insidentes baculo, furcæ, scopis aut arundini vel tauro, equo, sui, hirco aut cani, *quorum omnium exempla prodidit literis Remig. L. 1, c. 14.* devehuntur à Dæmone ad loca destinata.

L I.

Hanc sententiam quoq; probant Patres Orthodoxi, veteres ac recentiores Theologi, Jurisperiti, Inquisitores hæreticæ pravitatis, & Medici, Sagæque ipsæ tàm intra, quàm extra torturas, ac denique Experientia ipsa innumeris exemplis confirmata. Auctores citant *Delrius lib. 2. Disquisit. Magic. q. 16.* & *Torreblanca lib. 2. q. 36.* qui in eadem sunt sententia. Inter Patres sunt *D. Gregor.*

D. Epi-

D. Epiphan. D. August. Inter Theologos *D. Thomas, Jo. Major, Albert. Cajet. Tostat. Victoria, Annar. Guilh. Parisiens. Alphonsus à Castro, Toletus, Suarez de Relig. lib. 2. cap. 16.* Inter Juristas *Turrecr. Simanca, Navar. Medices, Farinac. Dambauder. Nicolaus Remig.* Inter Inquisitores, *Spreng. Jaquer. Nider. Bern. Comensis, Cuman. Pegna.* Inter Medicos *Ronsæus, Cæsalp.* Omitto multos alios Scriptores à Delrio citatos. Lamiæ ipsæ tam in equuleis, quàm spontaneâ confessione, jurejurando has translationes veras esse fatentur, & se ad conventus corporaliter deferri à Dæmone affirmant, noto sibi unguento inunctas, vel etiam sine inunctione, insidentes aliquando scopis, arundini, baculo, furcæ, colo, hirco, cani, vel alii animali elementato, à Dæmone tamen sublevato, & per aërem acto, ut testantur *Remigius lib. 1. Dæmon. cap. 74. Grilland.* de Sortileg. *q. 4. Binsfeld. in Confess. malef. membr. 1. concl. 12.* & alii.

LII.

Non tamen sumus tam rigidi, ut velimus adstipulari illis, qui nihil præstigiarum hic intercurrere opinantur. Hoc enim esset evidenti veritati obluctari, nam sive consideremus ipsos Magos & Lamias, sive modum quo solent procurari istiusmodi transvectiones sive ipsum Diabolum Authorem illius, causas sat habemus credendi, quandoque & quidem sæpius illas transportationes esse præstigiatorias. Si spectemus Magos & Lamias deprehenduntur sæpe somno profundo corripi, cum putant sese ad convivia & Conventus illos abduci, de quo videri potest Godelmannus lib. 2. cap. 4. si spectemus modum fit ille per adhibitionem unguentorum, quæ illis subministrat Diabolus, vel illæ ipsæ coquunt, quæ cum constent ex Mandragora, papavere, hyoschamo cicuta, patet esse soporifera & inducere somnum sæpè profundum cibi quoque, quos esitant, sunt apium sæpè, allia, fabæ phaseoli, quæ omnia somnum & somnia excitant tanquam cibi flatulenti & phantasmatum fœcundi. Si denique spectemus Authorem illius strigiportii est ille Diabolus, qui homines seducit, sensibus illudit, mille artibus novit uti & homines fascinare, ut credant, quod fictum, ut assentiantur illi, quod evanidum.

LIII.

Quanquam itaque à Bodino & cæteris opponatur huic sententiæ, quod istiusmodi unguenta ex oleis constent, quæ calida & facilè inflammabilia, cum somnum inducant frigida, quæ sistunt Spiritus, quod Lamiæ illæ soleant sese perungere istiusmodi Mediis non in capite, fronte, aut Nucha, ex quâ inunctione somnus instet, sed toto corpore & nunc hac, nunc illa parte illius, quod denique non videatur cur Diabolus inunctionem illam procuret, si nihil operetur præter somnum, & non aliud quid etiam adhibeat: tamen jam ante respondimus, non omne oleum esse calidum, dantur enim olea quoque frigidioris Naturæ, & sanè oleum utut inflammabile, potius est naturæ aëreæ quàm ingneæ, & quamvis ignem concipiat tamen ad tactum frigidum, imò non sese inungunt oleo simpliciter tali, sed in mixtura cum ingredientibus narcoticis, neque enim inunctio qualiscunque somnum conciliat, ut planum est, nec omnia soporifera sunt frigida, sanè sunt quamplures qui ubi liberi patris flore liberalius sese respergunt, in somnum incidunt & dantur calida, quæ illum promovent, quemadmodum hoc observari potest in æstate, ubi de die proniores sumus in somnum, quam hyeme, ex aëre calido circumstante, præterea si totum corpus inungatur, etiam capiti cedet aliqua particula; præterea præstigiæ sunt, quibus ludit Sathanas, & vult ut corpus inungant veneficæ, ut scil. vim transvectivam isti unguento tribuant, quæ tamen non est in eo. Denique ex arbitrio & voluntate Diaboli pendet, quod istiusmodi unctionem à Sagis adhiberi vult, vel quia tanquam simia DEI, inunctiones in V. T. à DEO institutas adumbrare & æmulanter exprimere studet, ut sibi venerationem conciliet, vel quia vult adstringere hoc modo & medio ad sui obsequium Lamias, vel denique quia superstitionibus dementare vult vetulas, & vim quandam mirabilem istiusmodi pinguedini & unguento inesse persuadere cupit.

LIV.

Differit de istiusmodi Unguentis & Oleis *Danæus*, & ita censet: Primum ne tibi persuadeas Satanam præcipere omnibus Sortiariis, ut iis unguentis utantur. Id enim quibusdam tantum imperat, quos videt aut ad audendum timidiores, aut delicatiores

ad

ad tolerandum formidabilem illum ſuum attactum, quales fœminæ vel etiam viri quidam. Itaque ſtupefacit eorum ſenſus iis medicamentis, quibus ungi præcipiuntur, ne dum feruntur ſentiant dolorem, vel horreant ipſius manus & raptum ſuum. Nec enim unguenta iſta aut olea hujusmodi quicquam ad motum aut iter peragendum poſſunt vel pertinent ulla ex parte: ſed adhiberi tamen jubentur, vel ut ea ratione eos detineat avocetque à cogitatione contactus ſui: vel ſi certè proſunt, eatenus id faciunt, quatenus per ea ſenſus corporis conſepulti jacent. Itaque Satan ipſe interim eos aſportat. Quamquam & aliud quoque ſtudet in eo Satan, nimirum ut ſacroſancta eccleſiæ Sacramenra à Deo inſtituta adumbret & perfidè imitetur, quò magis miſeri illi Sortiarii & velint & aſſueſcant ipſi confidere & eum admirari, & tantæ poteſtatis ergò venerari, cùm tamen revera ipſe ille ſit, qui eos portat & ſubcollatos bajulat, quò ſunt transferendi. Atqui, Theophile, alius qui volet talem ſibi famulum quærat, ego certè recuſo & toto pectore averſor. Et ego ipſe, Antoni. Sed jam eſtne tibi perſuaſum quod dixi? Penè quidem. Tertiæ modò objectioni & animi mei dubitationi reſponde. Ecquæ verò illa eſt? Non videntur mihi Sortiarii poſſe intoxicare quenquam niſi adhibito & injecto ab ipſis veneno. Incantationibus enim, figuris, verbis, conſecrationibus, devotionibus, aut characteribus meris & ſolis, niſi aſpergatur quoque venenum, eos lædere poſſe, non ſit mihi veriſimile. Si igitur Satan illis porrexit venenum, aut miſcere docuit illud quod adhibent, quin facilè illi jam intoxicare queant, non dubito. Quin etiam eorum maleficiorum ſit Satan artifex periſſimus non nego. Rerum enim creatarum vires & naturas apprimè novit. Id quod etiam Auguſtinus lib. 3. de Divinat. Dæmonum teſtatur. Sed quòd iisdem nullo veneno, pulvere, radice adhibita lædere aut intoxicare quenquam poſſint, non poſſum in animum inducere meum. Nec enim verba, numeri, figuræ, verborum certa forma, certisque precationum & præſcriptis formulis demurmurationes, item characteres ad invenenandos homines ſunt inſtituti, ſed ad alios & diſſimiles planè uſus, quemadmodum pater Irenæus lib. 2. cap. 40. & 43. apertiſſimè demonſtrat. Nec ille tantùm vir Chriſtianus, ſed etiam tam vanam quorundam

dam ſententiam alicubi irridet Ariſtoteles autor ethnicus, nedum ut eam nos Chriſtiani homines comprobemus. Præterea illud ex certiſſimis Phyſicæ ſcientiæ regulis definitur, Nullam omninò actionem ſine medio interveniente, & extremis rei patientis applicato fieri poſſe. Exempli cauſſa, Cùm me impellis, manus tua me attingit: cùm ab igne calefio, ignis primùm aërem calefacit, aër autem me. Id quod nullo modo intervenit, cùm per verba aut characteres, aut figuras, aut verborum certas formulas intoxicatio fieri dicitur.

LV.

Si verò exportantur partim realiter, partim phantaſticè, quid cenſendum de illarum Relationibus diſquiritur. Et quidem ſicut transportationes ſunt partim veræ & reales, ita quoque repræſentationes quandoque ſunt veræ, ita quidem, ut non tantùm realitet adſint res quædam, ſed & perſonæ, quas Diabolus quandoque velare ſolet, nè agnoſcantur, partim fictitiæ, ut putent ſeſe videre, quos tamen non vident, ſed ſomniant ſeſe vidiſſe, imò quandoque in reali præſentia apud conventus non omne quod repræſentatur à Dæmone, confeſtim pro vero & reali eſt habendum, ſive ſint res ſive perſonæ, idque probatur *primò* Authoritate Scripturæ. Deſideravit Saul videre Samuelem, ſolicitavit pythoniſſam endoream, ut eum reproduceret, ſtitit illa Samuelem, ſed non verum, ſed umbram illius, ita ut Saul putarit videre ſe Samuelem, cum tamen non niſi imaginem illius viderit *1. Sam. 28. v. 14. Secundò* Rationis ſolidæ fundamento. Si enim Diabolus ſive Sathanas transfigurare ſe poteſt in Angelum Lucis 2. *Cor. 11. v. 14.* quidni poſſit apparere ſub hujus vel illius ſpecie, quidni poſſet ſeſe transformare in imaginem hominis, quidni poſſet repræſentare nunc hunc illum. *Tertiò* ex Hiſtoria. Quodam enim die præmiſſa præ ſe & circumjectus ipſe Luce purpureâ, quo facilius claritate adſumpti fulgoris illuderet, veſte etiam regiâ indutus, diademate ex gemmis, auroque redimitus, calceis auro illitis, ſereno ore, læta facie, ut nihil minus quam Diabolus putaretur oranti Martino in cellula adſtitit. Cumque ipſe primo aſpectu ejus fuiſſet hebetatus, diu multumque ſilentium ambo tenuerunt. Tunc prior Diabolus agnoſce inquit Martino, quem cernis, Ego Chriſtus ſum:

ſum: deſcenſurus in terram, prius me tibi manifeſtare volui. Ad hæc cum Martinus taceret, nec quicquam Reſponſi referret, iterare auſus eſt Diabolus profeſſionis audaciam: Martine quid dubitas credere, cum videas? Chriſtus ego ſum. Tum ille revelante ſibi Spiritu, ut intelligeret Diabolum eſſe, non Deum. Non ſe inquit JESUS Dominus purpuratum & Diademate venientem venturum eſſe prædicit. Ego Chriſtum, niſi in eo habitu, formaque qua paſſus eſt, niſi crucis ſtigmata proferentem, veniſſe non credam. Ad hanc ille vocem ſtatim ut fumus evanuit, & cellulam tanto fætore complevit, ut indubia indicia relinqueret, Diabolum ſe fuiſſe. Hoc ita geſtum, ut ſupra retulimus, ex ipſius Martini ore cognovi, nè quis forte exiſtimet fabuloſum. Simili fraude apparuit Pachomio, unde in vita ejus legitur: Introivit ad eum Diabolus habitu ſimulato & ex adverſo conſiſtens: Ave, inquit Pachomi, Ego ſum Chriſtus & venio ad te, fidelem Amicum meum. Si autem ut Sulpitius Severus refert ſub Chriſti habitu Diabolus apparuit, quî non poſſit ſub aliâ aliquâ Imagine figurare ſeſe, atque in Conventu, vel extra Conventum Sagarum ſeſe ſiſtere larvatum.

LVI.

Sunt quidem aliqui, qui cum Pontificiis & Voſſio in Epiſtolis cenſent Virum Samuelem apparuiſſe, non larvam, non Umbram illius. De quo ita: Videlicet iis lubentiùs me aggrego, qui poſteriorem ſequuntur. Ac primò eo moveor, quod Scriptura ſemper nominat Samuelem, aliter nuſpiam. At à proprietate vocum non eſt recedendū, ubi ratio non compellit. Non diffiteor, veriſimilia quædam pro tralatitiâ ſignificatione adferri. Sed nec minùs mihi veriſimilia videntur, quæ alii reſpondent. Longè verò alia eſt ratio ejus, quòd Diabolus dicitur ſerpens: cùm apertum ſit, ſerpentem loqui non poſſe, niſi alieno ſpiritu movente: ac præterea ſemper de eo Eccleſiæ convenerit, invidiâ Diaboli peccatum eſſe ingreſſum in mundum, & (ut Chriſtus ipſe ait Joh. VIII, 24.) Diabolum fuiſſe homicidam ab initio, h.e. à mundi origine: ut mittam, quòd propterea in Apocalypſi *draconis magni* nomine non alius, quàm Diabolus, poſſit intelligi. Num paris aliquo, vel ſupparis momenti poſſunt adferri, cur per Samuelem, Samuelis imaginem κατὰ μεταφορὰν ſignari credamus? Quid quòd in Samuele ſolum foret metaphora: in ſerpente

etiam metonymia concurrat, cùm in ſerpente vero delituerit diabolus; non item (quod ipſi agnoſcent) in vero Samuele. Ut omninò maximum inter eas locutiones diſcrimen ſit apertum. Præterea plurimùm commoveor auctoritate Sirachidæ: non quaſi in canone ſit Hebræo, quod aliter eſt; ſed quia magna ejus ſemper auctoritas fuerit tum inter Judæos Helleniſtas, tunc inter Chriſtianos. Quam eo minus detractum illi ire debemus, quòd iis vixerit temporibus, quibus de communi Hebræorum ſententia maximè potuit conſtare. Siquidem liber is Hebraicè ſcriptus à Siracho, Græcè autem redditus ab Jeſu Sirachi illius nepote. Ac nepos quidem claruit temporibus Ptolemæi Evergetæ, qui Philadelpho ſucceſſit. Sirach autem tempore Ptolemæi Lagidæ, qui unus ex Alexandri M. ducibus fuit. Sanè paullò ante tempora Alexandri M. Prophetæ deſierunt. Nam Malachias, ac Nehemias, æquales fuere: at meminit Nehemias, tum Sannaballati, qui extremis Darii Codomanni temporibus Samariæ præfectus fuit, & templum in Sarizim conſtruxit: tum etiam Jaddi, ſive Jadduæ, qui, mortuo aliquanto ante Nehemia, Alexandro M. obviam proceſſit; ut ex Joſepho ſcimus. Jadduæ in Pontificatu Maximo ſucceſſit filius Onias; nempe eo tempore, quo Seleucus Nicator, unus ducum Alexandri M. diadema in Syria adſumpſit. Hunc excepit Simon, cognomento Juſtus: illum filius Eleazarus, qui extremis claruit Ptolomæi Lagidæ, ac primis filii ejus Ptolomæi Philadelphi temporibus. Atque hic Eleazar eſt, à quo miſſi dicuntur LXX. ad Scripturas Græcè transferendas. Eo tempore etiam Sirach vixit: imò ut à quibusdam traditum, & ipſe è numero erat LXX. Interpretum. Uti verò, deſinentibus Prophetis, cœpit Synagoga magna; ita deſiit eadem in Onia, Jaddi filio: ut cum Syrach claruerit ſub Eleazaro, Oniæ nepote, Jaddi pro nepote, ſatis clarum videatur, quantillo tempore idem abfuerit à Synagoga magna, imò ipſis Prophetarum temporibus. Iccircò non poſſum aliud in animum inducere, quàm optimè Siracho conſtitiſſe, quæ de Samuele illo opinio fuerit Hebræorum, imò & Synagogæ magnæ, atque adeò ipſorum Prophetarum. Addam his & aliud argumentum, quod ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus longè plures Samuelem illum verum putarint. Nam, ut prætercam Joſephum in

VI. An-

vi. Antiquit. cap. xv. nec repetam, quæ de Justino antea dixi; est hæc sententia Basilii Epist. 80. quæ ad Eustatium medicum; Ambrosii item in caput primum Lucæ; & Hieronymi in c. vi. Jesaiæ. Imò & Augustinus, utcumque fluctuet, non modò in memorato superiùs opere ad Simplicanum; sed etiam ad Dulcitium lib. 8. quæst. 6. postea tamen fuisse Samuelem verum statuit; ut liquet ex libro de cura pro mortuis c. 8. Hactenus ille: Sunt, qui censent ex viribus Naturæ nullius Innocentis naturam & indolem posse repræsentare, nam quâ vi Sagas sistunt, eâdem quoque censent repræsentare posse innocentes, verum an ex permissione divina hoc possit valdè dubitant. Sunt denique, qui vix possibile esse ajunt, ut Diabolus in assumta forma vel per umbras in panegyricis illis Conventibus vel etiam extra illos præsentare possit, & rationibus confirmare satagunt, idq; ex sequentibus, quia *primò* singulari DEI circa innocentes providentiæ & curæ id non sit consentaneum, quâ in adjutorio & protectione Altissimi esse dicuntur, ut timores nocturnos non paveant, quia *secundò* maximè innocentibus injurium est. Prodentur enim à Magis quæstionibus subjectis, & ante cæteros nominabuntur, cum maximo improbos odio Sagæ & Magi flagrent. *Tertiò*, quia non permittit Deus Dæmoni sub innocentum forma, furta, adulteria, latrocinia committere, ut in suspicionem, & vitæ discrimen ipsos conjiciat, quod libentissimè faceret. Non ergò & in cœtibus illos repræsentari permittet, ut in similem suspicionem inducantur. *Quartò*, quod aliás perpetuo timori pii subjecti esse cogentur, ne sistantur & in suspicionem Magiæ ac torturas deveniant, quod securitati & fiduciæ eorum in DEUM adversum est. *Quintò*, quia proborum Consensus & propria Sagarum Confessio, quandoque id probat, non adesse ipsis Innocentes.

LVII.

Antonius van Dale peculiarem amplectitur sententiam & sequentia prodit: Fatemur fuisse, & sub Veteri & sub N. Testamento, & esse adhuc malignos spiritus; eosque per Christum ejusque Apostolos è corporibus obsessorum ejectos. Non propterea tamen concedimus artes illas, per mulierem eam in Endor patratas in gratiam Saulis ulla vi præternaturali fuisse effectas: aut Diabolum aut ejus prætensas præstigias hîc locum ullum habuisse. Ne-

que indigebat mulier illa ullis præternaturalibus Dæmonum præstigiis: uti quæ absque illarum ope commodissimè patrare potuerit, quæ patravit. Etenim primò, Saulus Rex, licet antea exegerat magos, hariolos cæterosque ejusdem generis homines; tamen in ea erat opinione, uti patet ipso facto, animas demortuorum per incantatores posse evocari. Quod cum perciperet illa mulier, optimam fallendi occasionem nacta est: quoniam nemo facilius fallitur quàm qui superstitiosis opinionibus præoccupatus præstigiatores consulit. Secundò, noverat optimè Regem ob staturam quæ tam non vulgaris ipsi fuit, *ut ab humero suo & supra procerior fuerit omni populo*. Nemo nempe tam longa ac procera statura erat in toto Israële. Quod, ut omnibus notum erat, ita & eos quoque qui nunquam ipsum viderant, in notitiam personæ ejus adducere poterat. Adde secundo, quod & non procul habitaret. Tertiò, & eo tempore Reges valdè familiares cum subditis fuisse, seseque quotidie conspiciendos populo præbuisse. Imò legimus cap. 11. lib. 1. Sam. Saulum jam in Regem præsente populo electum adhuc inter pecora versasse; eorumque curam ne quidem eo abjecisse. Denique quartò, adde eum & ex eo, quod Samuelem voluerit evocari, facilè agnosci potuisse à muliere: aut saltem id multum adjumenti ejus agnitioni attulisse. Quintò, tragœdia hæc acta fuit per solam hanc mulierem, ut quidem videbatur: sed non tam præsente Saulo, ut videre potuerit, quid rerum ageretur; sed auditu tantum perceperit quæ mulier hæc ipsum audire volebat. Hinc est quod Saulus interrogat, quid ipsa videat: cui respondet ipsa, se videre אלוהים *Deos*. Quod Kimchi exponit אדם גדול *hominem magnum recta adscendentem statura:* exponi quoque potest *hominem magnum* (in singulari significatione, propter relativum singulare quod sequitur,) quum vocetur hîc Samuel אלוהים in plurali, honoris gratia, eo nomine quo Exodi 22. v. 28. nominantur per hæc verba, *Diis non maledices*, homines magni, judices, vel Principes populi, Magistratus, Prophetæ; ut clarum fit ex Exod. 21. 6. 22. 8, 9. 28. 1. Sam. 21. 25. unde & clarè patet, ipsum Saulum pro singulari persona aliqua, non pluribus personis accepisse. Rogat enim, *qualis ejus facies?* illa pergens describit unicam personam. Quia verò jam noverat Saulum, ac sciebat, quem

quem ille videre petierat, facilè potuit effingere habitum ac formam Samuelis, qui erat tam notus toti Israëli. Sed ut fraus occultetur, nescit quasi, hunc ab inferis citatum esse Samuelem: ideoque solum describit ipsum tali modo, quo credat Saulus revera Samuelem, aut ejus animam evocatam, adesse; licet ipse eum præsens non videret. At quam facilè hîc potuit intercedente pariete aliove interstitio, vox aliqua edi, atque fingi, ut ferè, aut aliquo modo, similis esset Samuelis voci, ab aliquo quam Saulus sic videre non poterat: qui instructus à muliere ea Saulo prædiceret, quæ cunctis hominibus sanæ mentis ferè jam ob oculos & mentem versabantur. Præsertim cum & ipse Saulus tanta cum consternatione, imò & rerum suarum desperatione, aperiret quo in statu, ac quibus summis periculis, versaretur. Novetat, nam nota erant omnibus, jam diu antea, illa quæ fictitius ille Samuel Saulo responderat. Nempe Deum elegisse Davidem, &c. ob inobedientiam jussorum DEI in Saulo circa delendos Amalekitas. Ipsum præterea semper Davidem hunc persecutum, licet generum existentem (ex quibus nemini ferè obscurum esse poterat, quare eum ita persequeretur.) Qui David nunc perfugerat, ad hostes suos Philistæos, quique sine dubio nil omitteret (ut ipse anxiè metuebat) quo instigare Achas Regem posset contra Regem Israëlis: ut ita Regnum ejus ipse occuparet, &c. Sic ut inde facillimè intelligere potuerit exitum Sauli filiorumque ipsius instare: quod jam brevi futurum מחר exprimit, atque minatur; seu potius prædicit. Exprimit, dico, per vocem *Machaar.* Quod & diem crastinum (frequentius) & tempus aliud indefinitè futurum, significat: uti patet ex Josuæ cap. 4. v. 6. Deuter. 6. v. 20. Ne quod esset falsum prædixisse videretur, si non tàm citò hæc contingerent. Licet tamen eventus fraudem adjuvaverit, ac crastino die vitæ finem & Saulo & Sauli filiis imposuerit. Nec mirari aliquis debet, quod voculâ *Cras* usus suppositititius ille Samuel audacter fuerit quum absque dubio ex omnibus circumstantiis (ut in tali casu fit) scire potuerit (saltem conjicere) non ulterius pugnam dilatum iri. Cum rarò admodum tanti exercitus tam prope accedentes diu absque mutuo conflictu permanere possint: omnique vi ac conatu Philistæi, quippe longè superiores, id quærerent. Ex quibus, atque aliis,

quæ huc adduci possent, satis clarè, meo judicio, constat; neque opus fuisse hîc ullis Diaboli præstigiis, neque omninò locum habuisse; Sed meras subfuisse fraudes humanas, neque aliquid præter- aut super-naturale hîc patratum. At dices fortè, 2. libro Regum (vel, ut alii appellant ac numerant, 4) cap. 1. de Oraculo Baalsebub Dei in Ekron narratur, quod ad illud Achazias miserit ad inquirendum de morbo suo. Sed neque istius Oraculi ulla descriptio est; neque aliàs patet ibi aliud quid locum habuisse præter fraudes humanas: licet ipse Achazias aliique in eâ essent opinione, à Deo isto divina dari responsa.

LVIII.

Præclusit huic Opinioni Vossius, quam amplexus quondam R. SalomonBen-Cophni: qui cõtendit, Nebulonem delituisse sub terris; à quo juxta ac muliere Pythonissa, omnis hæc adornaretur scena. Atq; in hanc etiam opinionem dilapsus fuit Reginaldus Scotus; qui & ipse id necesse habuit dicere, cùm omnem negarit νεκυομαντείαν, meramq; hominum esse imposturam judicârit. Sed ea sententia è diametro Scripturis repugnat: præcipuè verbis Mosaicis Deut. 18. v. 11. ubi disertim prohibentur, qui mortuos consulerent. Præterea tota huic opinioni adversatur historia, quæ est 1. Sam. 28. Quod ut planius fiat, eam paullùm diducam. Repurgârat Israëlem Saul à necyomantis: quod ab eo Samuelis, vel Abimelechi monitu, actum fuisse, per est verisimile. Sed quis ignorat, non omnia ad præfectorum aures pertingere: subinde etiam ab iis in edictis regiis conniveri? Saul igitur, non ignarus edicti sui, nihilominus inquiri necyomanten jussit. Cognoscit de fœmina in Endor, civitate in sorte Isachar, sed à Manasse possessâ. Minùs mirandum de muliere hac relicta: quando sexus ille latere solet domi: & ab Hieronymo, aliove, in Traditionibus Hebraicis proditum est, fabulari Hebræos, eo parcitum fuisse huic mulieri, quòd mater foret Abneris, qui ex cognatione esset Saulis. Noctu igitur ad mulierem itum, atque ab ea postulatum, ut Samuelem suscitaret. Ex qua petitione constat, τοὺς ἑβδομήκοντα satis ἀκύρως hanc mulierem vocare ἐγγαστρίμυθον, sive *ventriloquam:* cum ea fuerit in necyomantis. In Hebræo est DOMINA OB, sive OPH: à quo est Græcum ὄφις, ac fortasse Φοῖβος. Nam antiquus draco coli gaudebat in eo

eo animante, quo primis parentibus illusit. Unde & Pythoni nomen à PETHEN, quod serpentem significat. Post pauca utrimque verba, accinxit se mulier ad parendum. Rogata à Saule, quid videret, respondit, ELOHIM, h. e. Divum, sive Judicem quempiam. Nam Hebræa vox in plurativo numero etiam personæ singulæ significationem habet. Cùm pleniùs Saul edoceri vellet, addidit de illius Divi, sive Judicis ætate, ac habitu; esse senem grandævum, & sacerdotali pallio amictum: modò Samuel sacerdos fuit, ut veterum aliqui tradiderunt: vel potiùs pallio Judicis; quando Samuel non fuit ex genere Aaron, sed consobrini ejus Core, unde fiebant non Sacerdotes, sed Levitæ: ut quod eum sacrificâsse legimus 1. Samuel. 16. v. 2. id planè fuerit extraordinarium; sicuti & cùm idem ab Elia factum scribitur 1. sive 3. Reg. cap. 18. Ubi verò hæc audivit Saul, ex Pythonissa, plenè est edoctus, esse Samuelem; eoque honorem illi habuit, non divinum quidem, sed convenientem Prophetæ, & quidem ad meliores jam sedes translato. Hæc qui attenderit mecum, facilè videbit, quàm putidum sit putare, per Samuelem hîc intelligi oportere nebulonem sub terra delitescentem, qui illuserit simplicitati Regis. Scilicet is Rex, nec in pueritia, nec postea, ne quidem ad regnũ evectus, imò ne tum quidem, cùm monitu prophetico, vel sacerdotali, juxta Mosis mandatum ex terra Israëlitica exscinderet, quicquid necyomantarum reperiret; cognitum habuit, quid esset mortuos consulere; temerèque putabat, spiritum exciri, cùm totum negotium perficeretur, histrioniâ alicujus impostoris. Sin scivit hoc ipsum, quid stultius, quàm deserto exercitu, mutato schemate, cum duobus solùm comitibus, de nocte tantum itineris emetiri, ut de sua, suorumque, ac regni totius salute, eum consuleret, quem non ignoraret, nihil eorum facere quæ promitteret; sed totum esse è fraudibus, & nequitiis, consutum? Num etiam homini hujuscemodi honorem, tanquam Prophetæ, humanis jam exempto, exhibuisset? Num usque adeò fidem habuisset, ut audito eo incideret in animi deliquium, ac vix adigi posset ad cibum capiendum? Nunc in hoc etiam cogitationem intendamus, quòd nullius mortalis tanta est ingenii solertia, ut accuratè adeò posset prædicere, cùm universè de imminente exercitus clade; tum particulatim de cæde Saulis, tri-

umque

umque filiorum. Quam ad rem revelatione divinâ vel saltem alicujus spiritus, omnino opus fuit. Nec interim defugiam memorare, quid pro se adferant qui meram fuisse hominum fraudem arbitrantur. Ajunt, isthoc colligi vel ex eo posse, quòd Pythonissa fingat se Saulem non novisse: nec enim credibile videri, fuisse hominem in Israële, qui haud nosset Regem; præsertim qui Israëlitas cunctos excederet staturâ. Verùm observari animo debet, habitâsse eam mulierculam in Endor, regem in Giboa; qui locus xx. & amplius horarum spatio, distaret ab Endor: ut in fœmina non sit mirandum, si nunquam viderit Regem. Et potuit, cum Saul ad regnum eveheretur, fuisse grandæva, ac parùm sollicita de regis facie, imò publicis cunctis; dum esset, quo ipsa rumen expleret. Sed enim viderit aliquando Regem: num propterea, alto adeò animo insederint vultus lineamenta, ut non alium crederet, qui (partim ne exercitui de Regis absentia constaret, partim etiam, ne si à muliere agnosceretur, ea detrectaret morem gerere Regi, à quo νεκυομαντείαν sciret gravi sub pœna interdictam) habitum solitum, in minimè Regium commutasset, ac præterea cum duobus solùm comitibus, noctu adveniret, eo quidem tempore, quo nemo propter prælium postridie futurum, Regem castris, in locum adeò dissitum excessurum putâsset? At inquiunt, unde igitur postmodò didicit, ipsum esse Regem? Nec enim verisimile est, ejusce rei indicium illi factum à Regiis comitibus. Non hoc dixero: sed promam quid sentiant Hebræi. Ajunt, eos, qui in νεκυομαντείᾳ suscitantur, inversâ corporis figurâ solitos adscendere: at Samuelem apparuisse recta: hoc cùm sciret non suæ virtuti deberi, sed divinæ; sic collegisse, haud alium esse, quàm Regem, quem Deus tanto honore dignaretur. Alia etiam adferunt, quæ idem firment. Mihi sat est, quòd disparem rerum faciem videret, inter apparitiones solitas, & præsentem: præsertim si verus Samuel fuit, de quo despiciam postea, cum ostendam, verum Samuelem vi magica suscitari minimè potuisse. Largum enim discrimen inter larvatum dæmonem, & verum Samuelem quem sisteret Deus. Et dum ista geruntur, potuit mulier secum cogitare, nullius æquè interesse, ut Samuelem consuleret, quàm Regis, & olim illi familiaris, & tàm difficili tempore consilio imprimis ejus in-

indigentis. Et si viderat eum antea, credibile est, magis & magis attendere cœpisse ad staturam, ac vultum Regis, utcumque habitum mutâsset. Quibus mens est longè alia, non possunt in animum inducere, ulla esse spiritibus commercia cum homine. Ac sæpius mihi cum talibus sermo fuit. Sed deprehendi eos, vel admodum negligenter legisse Sacras literas, vel, utcumque dissimularent, scripturarum auctoritatem parvi facere. Toto animo tales abominor: nec tamen continuò id aperio; sed hoc ago, ut leniter, & leviter eos castigem: imò interdum, si una mensæ assideamus, manum arripiam; cyathum item, quo propinem; & addo, hoc à me fieri; quo à sermone lutulento os purgent. Tum amicè jubeo, ut vel in præsentia, vel seorsum postea, ne graventur adferre, quæ eos moveant, ut in dubium vocent, quæ Scripturis continentur. Eorum argumentis non iracundè occurrere soleo; sed penè quasi mihi cum parente, aut fratre negotium esset. Longum foret omnem historiam hanc pertexere. De iis ergo potiùs loquar quibus sacrosancta est Scripturarum fides. Quid hi dicent de Magis Pharaonis? num tanta existimant ab iis patrari potuisse, absque ope spirituum? Et cùm Actor. 16. v. 17. 18. legimus de ancilla habente spiritum Pythonis: Paulum verò ex ea spiritum, per quem solita esset divinare, verbo ejecisse; nempe ne cum spiritu JESUM prædicante colludere videretur: solumne hominum fuisse imposturam, nec ullas Satanæ artes concurrisse, existimandum? Mitto ex scripturis tot alia. Ad illud venio, quod omnium gentium, temporumque historia evincit, hominum, & maligni spiritus commercia, eaque multiplicia. Scio, innumera vulgò referri, vel fabulosa prorsus, vel solum profecta à fraude humana. Sed enim à viris etiam, tùm doctis, tum perspicacibus, tum gravibus, ac probis, & plurimis retrò seculis allata sunt, & hodie memorantur innumera, ubi non possit non cum opera humana concurrisse illusio, aut vis diabolica: supplente videlicet spiritu maligno, quod hominis exsuperet potestatem.

LIX.

Errant itidem, quotquot animam Saulis reproductam asserunt, ut probant Theologi: Nam à quo tam anima Samuelis, quam ad unam omnes creaturæ, tum *esse* suum *novum*, cum *porrò esse*, habent, ab eo unicè, non verò à quoquam alio, Pythonissâ, aut Diabolo, & resuscitari

tari possunt. Utrumque enim illud: & *esse novum*, & *porrò esse* includit. Includit *novum esse*; Quia in *Resurrectione* est à non esse ad esse aliquod transitio: & *porrò esse*; nam in *Resurrectione* est ꝶ *novi esse* continuatio. Nec enim esse potest momentanea. Sed à solo DEO tàm *esse* suum *novum*, quàm *porrò esse*, creaturas omnes; adeoque homines habere, loca ad vivum depingunt & ad oculum demonstrant sequentia *Genes. 1. v. 1. 26. Exod. 20. v. 11. & 31. v. 17. 2. Reg. 19. v. 15. 2. Chron. 2. v. 12. Neh. 9. v. 6. Job. 12. v. 9. cap. 35. v. 10. Eccl. 12. 3. vel; 1. Esai. 8. & 19. & 104. Matth. 6. v. 26. Actor. 2. vers. 23. cap. 4. vers. 27. 28. cap. 17. v. 25. 28. Rom. 1. v. 25. Eph. 1. v. 11. 1. Petr. 4. v. 19.* Si Pythonissa Prophetæ operata sit resuscitationem; aut ut *Primariò agens* ac principalis; aut ut *Adjuvans* & *agens* secundariò, id effectum dedit *Cons.* huic superædificatur fundamento. Quia omne agens, vel Primariò & principaliter, vel secundariò; adeoque dependenter operatur: neque tertium dari potest: Prius dici nequit; Nam ejus est primariò resuscitationem operari & in animas agere, à quo animæ τὸ dependere habent. At ab eo tantùm, qui eas; *ex statu nihilitatis*, in statum *possibilitatis*, inde in *futuritionis*, denique in statum *existentiæ realis* seu præsentiæ traduxit. Quod solius Dei est. *Gen. 2. v. 7. Num. 16. v. 22. Psalm. 33, 15. Eccl. 12. v. 7. aut Jun. Tr. v. 9. Esai 57. vers. 16. Jun. Tr. v. 20. Zach. 12. v. 1. Hebr. 12. v. 9. 1. Petr. 4. 19.* Ex albo posterioris expungitur. Quia efficiens omnis adjuvans, principali est Subordinata. Si sic; aut Deo; aut Diabolo talis fuerit. Deo non; ubi enim sodes unquam, acri sanè judicio, sacrum codicem volventi & revolventi, Deum, in suscitandâ animâ aliquâ, operâ Diaboli, ut est incantatio Pythonissæ, usum, cuiquam oblatum est. Deinde Pythonissas non Deo, sed Diabolo uti magistro, certo certius est. Super est ergò ut Diabolo subordinatam dicant. Diabolo subordinata, effectum dare non poterat: ut cui nedum anima glorificata, sed ne hic quidem in terris, infirmitatibus subjecta, subjecta sit. *Deut. 33. v. 3. Luc. 16. v. 26. Joh. 10. v. 28.* Et quid magis impium esset, ut cum Tertulliano loquar, *lib. de Anima cap. 57.* quam si diceremus Dæmones incantamentis curiosarum in animas potestatem habere, in quas quoad homines in peccaminoso corpore vixêre, potestatem nullam habuêre; quod

suo

ſuo fuſiùs oſtendetur loco. Excipiunt Pontificii, inter quos *Nicolaus de Lyra* & *Cornel. à Lapide*, atque *Bellarminus* non ultimum obtinent locum, & dicunt 1. *Non ſuſcitavit Pythoniſſam Samuelem, ſed illum Deus apparere fecit. Ipſa vocavit Dæmonem, ſed prohibitus fuit. Lyran. 1. Reg. 28. Bell. lib. 2. de purg. cap. 6. Reſp.* Gratis id quod Scriptura non docet, ſtatuitur. 2. At ad unum omnes veteres, tam qui veram Samuelis animam putârunt, quam qui negârunt, in hoc tertio convenerunt, quod quicquid fuit, factum ejus mulieris artibus. Beda lib. 5. Allegoricæ expoſ. 1. Sam. 7. *Ceremoniæ legales id ipſum nunc fruſtra celebratæ ſignificant, quod olim DEO jubente monſtrabant, quomodo Samuel mortuus, ſed impia arte ſuſcitatus, ipſum de regni mutatione, quod & vivus antea prædicebat.* Theod. quæſt. 62. *Nonnulli dicunt ventriloquam verè retuliſſe Samuelem, nonnulli autem hoc refellerunt.* Juſtin. Martyr, contra Typh. *animum Samuelis jubente Saule fuiſſe evocatam, per ſagam ventriloquam.* Hieron. *in cap. 7. Eſaiæ. Samuel per incantationes viſus ſuſcitari.* Vid. *Joſeph. de Antiq. Gregor. Nyſſ. ad Theodoſ.* II. Dicunt; *Deum incantationes Pythoniſſæ longas & moroſas præveniſſe, ne earum vi Samuel ſuſcitatus videretur.* R. 1. Falſum eſt perſonatum illum Samuelem antequam vocaretur veniſſe; nam Pythonicis evocatum incantationibus, *1. Sam. 28. v. 11. 12. 13.* proponunt. II. Si Samuel prævenit Pythoniſſæ incantationes debuit, vel ſoli Sauli apparere, vel ambobus. At ſoli eum Pythoniſſæ apparuiſſe, ſacer textus proponit. Quid enim alàs, opus erat, Pythoniſſam interrogare, quid vidisſet, aut quânam formâ eſſet, ſi ſuis ipſe Samuelem uſurparet oculis. Hoc ipſum *Lyranus* agnovit; cum dicit. *Quia licet Saul audiret verba Samuelis, non tamen eum vidit, nec alii comites Saulis, ſed ſola Pythoniſſa.* Equidem verum eſt. Nam ſi comites Saulis vidiſſent, & reſponſa talia audiviſſent & intellexiſſent, utique Sauli, prælium retractaret, ne omnia amitterent, authores fuiſſent. At id non legitur. 3. Contrariam planè verſus exhibet. 15. *Quare commoviſti me, evocando me.* Commovit eum evocando. Ergò reſuſcitatio perſonati illius Samuelis ſequitur, ut effectum ſuam cauſam, operam Saulis & Pythoniſſæ. 4. Si adventu ſuo Samuel effectum incantationis pervenerit, & à ſummo ſuſcitatus ſit numine, nihilominùs de reſuſcitatione ſui queratur, notam infidelitatis ſibimet

 inurit,

inurit, non præſtans ſe Deo obſequioſiſſimum. Excipit *C. à Lapide* dicitque eum inquietatum; *quia commotus fuit & iratus indignitate modi, quo Saul eum per magiam ſuſcitare conabatur. Reſp.* 1. Quam facile id à *Cornelio à Lapide* dicitur, & non probatur, tam facilè à nobis rejicitur. 2. At expreſſa commotionis forma deponitur, cum dicitur: *evocando:* evocare autem eſt actus transiens. 5. Ad poſtulatum Saulis & Pythoniſſæ ſuſcitutus eſt: Ergò ſequitur incantationes. Pergit porrò *Corn. à Lapide*, & inquit; *Ad poſtulatum Saulis eſſe ſuſcitatum, ſed non ad Pythoniſſæ: Poſtulatio enim non cauſa, ſed occaſio fuit, Cur Deus ſuſcitavit Samuelem.* R. Si ſic eſt: qui fit, quod primùm Pythoniſſæ, & non Sauli apparuerit, & viſus ſit: mutuaque cum ea verba habuerit, vide. *Dionyſ. Carthuſ. in 1. Reg. 28.* Saulem adeſſe ex revelatione ſuſcitati Pythoniſſam ſciviſſe, dicentem. II. Quia Deus media omnia, tùm ordinaria, cùm extraordinaria à Saule amoverat. Non ergò credendum eſt, per Prophetam reſponſum dediſſe. *1.Sam. 28. v. 6.* Propoſitionem confirmat; *Conſuluit Saul Jehovam, ſed non reſpondebat ei Jehova, neque per ſomnia, nec per Urim, nec per Prophetas.* Conſequentia per ſe clara. Frivola eſt exceptio, *non reſpondiſſe* ſcilicet *antequam Samuel reſuſcitaretur; verùm ipſo reſuſcitato* reſpondit. Quia à Scriptura diſſentit, ut quæ, animam beatam legatione functam, non proponat. Si Samuel evocatus à Pythoniſſa veniſſet, tum aut ſpontè & voluntariè veniſſet, aut magicis coactus incantationibus. Nec tertium dari poteſt. Quia omne agens vel per ſe agit, vel per Accidens. Non eſt, quod prius admittamus. I. Quia ſic actu Dæmoni conſenſiſſet in malo, atque artem magicam confirmaſſet: quod eſt inconveniens, cum eſſet in parte ſanctorum. *Grat. Cauſ. 26. quæſt. 5. Nec mir. Theodor. Quæſt. 62. Anaſt. Quæſt. 37.* II. Samuel, dum adhuc in numero eſſet vivorum à Pythoniſſâ vocatus, eam nequaquam acceſſiſſet. Quomodo igitur poſt mortem, in album beatorum receptum acceſſiſſe, fœtidam mulierculam, crederemus? Neque *poſterius* dici poteſt. Nullam enim in ſanctos demortuos, dæmones habent poteſtatem: quod utique fuiſſet ſi ipſum à requie ſuâ excitare potuiſſet. Lubeat hic in Auguſtini opinionem, ad Simplicianum in hæc verba ſcribentis inquirere: *Inquiris* (inquit) *utrum potuerit malignus ſpiritus excitare animam juſti,*

& tan-

& tanquam de abditis mortuorum receptaculis vocare, ut videretur, & loqueretur cum Saul. Nonne magis mirandum sit, quod Sathanas ipsum dominum assumpsit & constituit super pinnaculum templi: Item *quod si illud in Evangelio nos non conturbat, ideo quod Dominus voluit, & permisit nulla diminutione suæ potestatis & divinitatis id fieri: sicut ab ipsis Judæis, quanquam perversis, atque immundis, & facta Diaboli facientibus, & teneri se & vinciri, & illudi, & crucifigi atque interfiei passus est. Non est absurdum credere ex aliquâ dispensatione divinâ, quæ Pythonissam illam & Saulem latebat, Spiritus Prophetæ Sancti se ostenderet aspectibus regis, divinâ eum sententiù percussurus.* Resp. Hæc opinio est beati Augustini, cui tamen virum bonum non acquievisse subsequentia ejus, ad eundem virum prænominatum, habita ostendunt verba: *Quanquam hoc in loco potest esse alius facilior intellectas, ut non verè spiritum Samuelis excitatum à requie credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem Diaboli machinationibus factam.* Hæc vera & genuina sententia. Unde illud prius stare non posse ex ipsomet Augustino probo, dicente: *Nisi fortè quis dixerit faciliorem Diabolo fuisse licentiam ad Dominum vivum, unde voluit assumendum, & ubi voluit constituendum, quàm ad Samuelis defuncti spiritum, è suis sedibus excitandum.* Hoc unum; *Alterum* est: illa, officium Christi mediatorium spectabant, quæ necessariò nostro loco, & nostro bono peragenda erant. Debuit ergò tentari, tentatoremque superare, debuit affligi, captivari, pati, mori: & ea vincta & captiva ducere. Alias enim quomodo Prophetiæ verificatæ fuissent, quomodo omnis veritas impleta? Hoc verò nedum aliquid singularis habuisset, imò prorsus à Scriptura alienum est. Nam Deus mortuos non esse consulendos publicâ lege prohibuit: & quod majus; eos ut mendaces cavere jussit. *Levit. 19. v. 31. Deut. 18. v. 11.* Quomodo itaque voluntatem per mortuum, ipse vivo patefecisset? *Tertium* est. Deus Sathanæ, ut per carmina & incantationes, Christum in ea loca, quæ *Matth. 4.* commemorantur, perduceret, non permisit: sed Christus tentatus à Sathanâ suâ sponte, non fascinatus in illa profectus est. Quod inevocato hoc Samuele cernere est. Excipit *Lyranus* ad argumenta. Argumento à simili ducto volens expungere. *Balam magus & Ariolus quater quæsivit responsum, in domo suâ bis, & bis cum*

Balach, & tunc secundum omnes Doctores Catholicos, dæmon prohibitus fuit, virtute divinâ, dare responsum, & Angelus bonus dedit ei responsum, suæ voluntati contrarium; nec Deus ipse hoc vel Angelus bonus mago, vel magicæ arti favebat, sed magis, magicæ artis effectum impediebat. Resp. 1. Dispar ratio, responsi per Angelum dati, & per mortuum; illud enim lege expressâ non prohibitum est, sed exemplis potiùs confirmatum; hoc verò quàm seriò prohibitum. 2. Balam Magum & Ariolum, atque incantatorem maleficum (ut communis patrum fert calculus, *August. in quæst. ex novo Testam. quæst. 39. & serm. 103. de tempore, Origen. hom. 13. in num. & lib. 1. contra Celsum. Basil. hom. de human. Christi gener.* fuisse, ut cujus totum studium in hoc positum fuerit, quâ ratione, ex verborum incantamentis Israëlem incantaret & cladem aut calamitatem aliquam adferret, & Prophetam appellari ex hypothesi tantùm aliorum, ita opinantium, inficias non imus. Sed hinc nihil aliud sequi, quam quod Deus, ex abundanti suâ bonitate nonnunquam etiam inepta organa reddit apta, manifestum est. quod lubentes largimur. Sic etiam Saul inter Prophetas *1. Sam. 10. v. 10. cap. 19. v. 24.* Sed quod beatas animas cœlo evocare valeant, constanter negamus. Circa genuinam Resuscitationis materiam tenendum. Omnem suscitationem, congruæ & adæquatæ materiæ, expertem, ex albo resuscitationis esse expungendam, & ad extremos corvos ablegandam: ubi enim competens rei materia tollitur ibi ipsammet tolli necesse est. At hîc loci, dum corpus per mortem concidens genuina resuscitationis sit materia; nec ea resuscitata dicatur, competentem rei materiam tolli manifestum est. Itaque & ipsammet. *Assumptum*, luculenta tùm *artificialia*, cùm *inartificialia* comprobant Argumenta. *Inartificialia* 1. Symbolum Apostolicum; Carnis, non verò animæ resuscitationem credendam proponit. 2. In Resuscitationis exemplis, cùm Dei virtus; sive per Prophetas, sive per Christum, sive per Apostolos, in corpora animas repræsentavit, solidâ & contrectabili & satiatâ veritate præjudicatum est, hanc esse formam veritatis, ut omnis mortuorum resurrectio corporalis judicanda sit. *Artificialia;* quia concidentis est resurgere, & in pristinum statum ac conditionem erigi. *Rom. 8. vers. 11.* Confer quoque *Esa. 26. v. 19. Ezech. 37. v. 3. 4. & seq.* Anima

verò

verò cùm nec moriatur, nec dormiat; sed spiritualis sit substantia atque invisibilis, quæ in æternum vivit ac permanet, tàm extra, quàm intra corpus, erectione non indiget. Hinc rectè *Chrysostomus in cap. 8. Matthæi* dixerit: *Non potest anima à corpore separata in his regionibus errare.* Atqui *Corpus non esse suscitatum* adversus *Paulum Burgensem* sic evinco. 1. Quia posteà quàm verba facere ad Saulem absolveret, confestim disparuit: quod corpori repugnat. 2. Quia cadaver per se res stupida & bruta est, atque mortua, nec potuisset, quicquam respondere, nisi ipsum Diabolus induisset. At Diabolus ipsa & sine cadavere peragere potuit. Ipsi enim licentia, formam & figuram ejus accepisse 2. *Corinth. 11. v. 14.* non defuit. 3. Si cadaver fuisset, tùm & Saul videre potuisset. At non vidisse, supra probatum est. Excipit *Corn. à Lapide*, dicens; *Animam Samuelis in corpore aëreo assumpto, quale assumunt Angeli, dum hominibus apparent, apparuisse.* Sic & Suaresius lib. 2. de Superstitione cap. 8. *Resp.* si intelligant Angelos malos, qui ficta sæpenumerò & phantastica induunt corpora, quibus se hominibus conspiciendos exhibent non digladiamur, sed lubentes admittimus; si bonos pernegamus; vera enim Angeli boni induêre corpora humana, ut quæ tangi & videri poterant *Gen. 18. v. 2. 3. 4. cap. 19. v. 1. 2. 4. 10. 16.* Hic autem larvatus Samuel verum corpus non habuit humanum; quia Sauli visus non est. Resuscitatio hæc, quoad formam considerata, non nisi ipsa est *ἀνομία.* Ergò est phantastica, & non vera resurrectio: & sic resurgens quoque erit tantum larvatus. Formatum enim formæ est, & debet esse proportionatum. Antecedens, sive Actum spectes Saulis, sive Pythonissæ, manifestum est. Equidem cùm Philistæi contra Saul congregarentur, Saul consilii capessendi gratiâ Deum adit: atque dum nullo eum Deus dignaretur oraculo & responso, & quorsum evasuræ sint res suæ, planè dubius esset, per præcipitia in vorticosum impiarum cogitationum labyrinthum delatus, desperat, & Pythonissam consulit. Pythonissam verò Diabolo usam Magistro in confesso est. Consequentiâ nihil evidentius. Non enim credendum est, quod Spiritus Sanctus per Mosen præceperit veritatem à mortuis non quærendam *Lev. 19. v. 31. Deuter. 18. v. 10. 11.* & posteà Sauli permiserit, ut ex Samuele resuscitato discat, quid sit futurum.

II. Quod

II. Quod genuinâ resuscitationis destituitur formâ, extra omnem dubitationis aleam est, illud, tale non esse. Sed larvatam hanc resuscitationem resuscitationis veræ, verâ & genuinâ formâ destitui, nullus non videt. *Propositio* firmo & indubitato Philosophorum axiomate nititur: *Omne esse est à forma* seu. *Forma dat esse rei.* Constituit enim rem in certo entis genere, & ab aliis distinguit. Ut in probandâ *Assumptione* nostrâ, perspicuè omnia & ordinatè procedant, resuscitationem in suos modos distribuere: distributam, ut natura feret paucis enodare, ab hâcque materiâ removere, consultum duxi. Communis Scholasticorum cum ferat Calculus, *verbalia in io* tam *activè*, quam *Passivè* sumi; erit & resuscitatio alia; *activa:* alia *Passiva.* Item, cùm omne Agens, vi & virtute suæ causalitatis, vel *primariò* influat in effectum producendum, vel *secundariò*, erit *Activa* Resuscitatio, alia, *Principalis*, alia *Adjuvans* & *Ministra.* Unde talis exurgit Syllogismus: Quicquid ad hos, ut genuinos resuscitationis modos se reduci non patitur meritò ex albo resuscitationis expungendum est, Larvata verò hæc Resurrectio extra hos modos vagatur. Ergo. *Propositio*, ubi in dubium non vocetur, non est quod probetur. *Assumptum* κατ' ἄρσιν succinctè quà par est demonstrare studebo. Activæ Principalis formam non habet. Ea enim verbo tantum imperativo: *esto* vel *fiat* perficitur, quod nulli præterquam Deo factu possibile. Nec *Adjuvantis*; Quia ea imploratione auxilii divini, per extraordinarios Dei ministros in nomine Dei, ex fide, & per fidem, peragebatur. Incantationes autem quid sint, cujus auspiciis, & à quibus exerceantur, si accuratè considerentur, apparet resuscitationem nullatenùs operari. Nec passivæ; ea enim est vivificatio, quâ animâ ad corpus redeunte, homo mortuus reviviscit. Quod hic deest. Quia solùm animam à corpore per mortem disjunctam extra conjunctionem iteratam apparuisse ponunt. Quia nec Dei gloriam, nec ædificationem aut consolationem Ecclesiæ, respicit. Nec denique *Samueli* foret salutaris: imò contraria omnia fierent & contingerent. Ergò. Scio adversarios hujus argumenti Antecedens constanter negaturos esse, sed facilè convincentur. Quod sic demonstro: *non gloriam Dei;* Quia sic, vis verbi Dei enervatur credendo aliquid, contra expressum Dei interdictum, seu verbum *Lev. 19. vers. 31.*

Deut.

Deut. 18. v. 10. 11. 12. Quia incantationum finis eſt profanatio nominis Dei. E. Nam eo, Diabolus, fine, iis utitur ut (quantumquidem in ſe eſt) gloriam Dei obſcuret, & apud ignaros & incredulos homunciones, aliquam ſibi conciliet authoritatem. Cùm igitur omnis ea incantatio verſetur in ignominia DEI quomodo animam Samuelis beatam, cœlo evocare valuit? *Nec fidelium ædificationem;* mortuos enim non eſſe conſulendos expreſſa lege ſancitum eſt. *Eſa. 8. v. 19. 20. Nec denique conſolationem;* Quis enim quicquam fideles conſolationis ex eo capere poſſe credat; ſi certo eis conſtet, vel ad murmura Diabolica, ut ſunt incantationes Pytoniſſarum beatorum cœlo à jacto mundi fundamento fidelibus parato deturbationem pati. Nam ſic animarum beatorum, ut & Samuelis, ludificatio, per carmina & incantationes, contingeret. Excipiunt quidam; maximè Pontificii, in quantum in convincendo Saule, Dei ſpectatur gloria, glorioſum Deo fuiſſe. Inter quos *A Lapide; Stitit Samuelem, qui eum puniret, tum ob alia crimina, tum ob hoc magiæ, denunciatione cladis ſecuturæ. Reſp.* 1. De tali voluntate DEI nihil conſtat. 2. Quid iſthoc amabò, niſi ridiculum figmentum, auſim dicere, ut pauxillum, vel prorſus nihil differat à cavillis. Unde enim Deum in convincendo & puniendo infideli quoque, legatione beatæ animæ, & quidem Magicis ſubjectæ incantationibus, unquam uſum fuiſſe conſtat? Hærebis in luto; neque quantum quantum in hoc extendendo labores, rem acu tanges; verum operam & oleum perdes. Quia Deus non vult, beatis animabus quemquam erudiri; Moſen enim & Prophetas audiendos proponit *Luc. 16. v. 29. Habent Moſen & Prophetas; audiant illos.* 3. Nonne jam ſæpiùs præcepti divini neglectu, ſatis ſuperque convictus erat; Diverſum quisquis ſacris literis intentus obſervabit *1. Sam. 13. v. 13.* Item: *15. v. 24, 25.* Quid ulteriori convictione opus erat? 4. Quid denique eò confugiendum eſt, & arundineo quaſi fundamento innitendum: Cùm Deus jam, ſuum bonum Spiritum, à Saule, abſtulerat, & eum Diabolo gubernandum tradiderat, quem etiam tanquam inſtrumentum deſignaverat, ad ejus interitum & perniciem; ut ex Scripturis liquet. *1. Sam. 16. v. 14.* aut juxta *Junium Tremellium v. 15. Nam Spiritus Jehovæ receſſerat à Saule, turbabatque eum ſpiritus malus à Jehova.* I. Quia

vel omnem argumentationem, ab effectu proprio ad causam, tollit: vel, si non; in inexplicabilem labyrinthum inducit. Ergò ut sententia spuria repudianda est. Antecedens si admittatur, ut debet, ab effecto proprio ad causam, procedere, sic probo: Cui Actus soli debitus Deo tribuitur, vero veri Dei nomine veniat, necessum est. *Joh. 5. v. 20, 21. Rom. 4. v. 17. 2. Cor. 1. v. 9. Hebr. 11. v. 19.* Ac Pythonissæ, (si absurda hæc sententia detur,) Actus soli Deo debitus, tribuetur. Unde, ut absurdam ita blasphemam sequi conclusionem palam est. Ergò vero, veri Dei nomine venire potest. Propositio ab effecto proprio, ad causam petita est. Assumptio manifesta. Quia Resuscitatio est Actus soli Deo debitus, exuperans vires omnium creaturarum *Psalm. 72. v. 18. Benedictus sit Jehova Deus; Deus Israelis, qui facit mirabilia solus. Obj. Excipit aliquis.* Atqui etiam futura prædicere, solius Dei est prærogativa, ejusque gloriæ pars aliqua; nonnunquam tamen Diabolum futura prædixisse certò constat. Quid igitur sentiendum de iis erit? Resp. Futura duobus considerantur modis, vel absolutè & simpliciter in se; vel relatè ad signa & causas suas: Item; vel certò & infallibiliter; vel probabiliter tantùm & conjecturaliter, infallibilem, directam & immediatam rerum futurarum scientiam solus DEUS habet, probabilem, & conjecturalem, etiam Sathanas. *Ludovicus Lavaterus de spect. part. 2. cap. 7. revolvatur.* Hinc est, quod vaticinia ejus semper sint amphibola, & perplexa, ne manifesti convincatur mendacii: Et si quid certò prædicat, id, DEO quoquomodo revelanti, tribuendum est. Nec ullus exceptioni superest locus, Pythonissam hoc in negotio instrumentalem Causam statuenti. Si quidem hæc Pythonissæ, Samuelem suscitandi, vis seu potestas; aut erat imperiosa seu imperativa; aut precaria seu impetrativa. Nec tertium adferri potest. *Prius* dici nequit. Quia sic, non instrumentalis, sed principalis esset dicenda. Quod Deo proprium. *Posterius* negatur. Nam non ut, Diabolicas Deus exaudiret incantationes, verum ita eas aversatur, ut è terrâ tollendas & eliminandas præcepto sanxerit *Levit. 20. v. 27. Deut. 18. v. 11. 12.* & æternæ condemnationi reservaverit. *Obj.* Excipit non nemo: Sæpe Deum id quod aversatur, ut Israëlitarum murmurantium, & impii Achabi orantis, exempla

ex-

exhibent, remunerari. Resp. I. *In genere.* Hoc non quæritur, nec quicquam contrariæ assertioni patrocinatur; Nulla enim iis, sive murmuribus, sive precibus, quibus Deum movere poterant vires inerant? At hic de inesse, & ejus intensione disputatur. 2. Illa erant bona exrerna & temporalia ex superabundanti Dei bonitate largita: Hoc verò majus, imò inauditum, cum Mosen & Prophetas habuerint. In *specie.* Quod ad Israelitas murmurantes attinet. Non inficiamur Deum interdum osores suos exaudire: quanquam alius sit modus eos exaudiendi; alius timentes Dei. Deus timentes sui in amore, & misericordiâ suâ, voti compotes dimittit; osores verò in furore & excandescentiâ, ut Israelitas hos in deserto murmurantes & carnes requirentes, coturnices inter eos depluens, exaudit. *Num. 11. v. 18.* At quis dixerit incantationes Diabolicas, sive ex furore & irâ Dei sive ex misericordiâ exaudiri? Quod ad factum Achabi: Duobus consideratur modis: Vel *formaliter*, vel *materialiter* & *objectivè*. Quamvis formaliter, cum fide cum cognitione secundum illud *Apostoli Rom. 14. v. 23.* dicentis, *omne id esse peccatum*, *quod non est ex fide:* ejusdemque idem ad *Hebr. 11. v. 6. nullum fidei expertem Deo acceptum*, testantis, destitutæ, malæ fuerint; Nihilominus *materialiter*, hoc est, factum ipsum, bonum, quod si fidelis præstitisset, seu ex fide verâ protulisset, preces fuissent, tam *materialiter* quàm *formaliter* bonæ. E diametro si nostros ad incantationes transferemus oculos, rationem adinveniemus disparem, & quidem toto Cœlo; ut quæ tam materialiter, dum id quod vetitum, quam *formaliter*, cum non ex fide, sed artibus quibusdam vetitis, à complicibus Diaboli, exercitæ, malæ fuerint. Deinde; preces Achabi ex superabundanti misericordiâ suâ & bonitate Deus exaudivit: quod de incantationibus dici nequit. II. Si Pythonico, anima Samuelis fuit, vel potuit suscitari, murmure, murmura Pythonica cœlos esse penetrativa, sequetur. Quod tamen non minùs blasphemum, quàm absurdum est. Propositio quàm clarissima. Causa enim vi & virtute suæ causalitatis effectum influere debet. Assumptum luculentissimè hinc patet: Quia solæ fidelium, preces, ad Deum, ut dilectissimum in Christo patrem, fusæ, cœlos penetrant. Non ergò Pythonissæ murmura. Antecedens in expressis Apostoli verbis efficaces fidelium preces

ces, prædicantis, sita est. *Jacob.* 5. *v.* 16. Consequentia ex contrariis vera est. Nam Contrariorum contraria consequentia, Relatorum Relata, Adversorum Adversa, Contradicentium Contradicenta, Privantium Privantia. Si verus, & non tantùm larvatus Samuel fuisset, vehementer sanè Regem coarguisset, & corripuisset, eo nomine, quod contra expressum Dei mandatum *Levit.* 19. *v.* 31. *Ne vos convertite ad Pythones, & ariolos ne consulitote, polluendo vos eis: ego sum Jehova Deus vester:* atque eam doctrinam, quàm ei in vitâ divinitùs tradiderat, suppetiàs à Lamiis & veneficiis impetraret. Eo enim Pacto, quod desperabundus Pythonissam consuluerit, reus erat idololatriæ. At nota vafriciem Diaboli, unum tantùm peccatum exprobrat, quod commiserat, in Amalechitas. Alia æquè gravia, quæ, Samuele adhuc vivente, patraverat, dissimulat. Non ita dicit *Sacerdotes Nobenses gladio tuo interemisti, Davidem innocentem profligasti, injussu Dei sacrificasti: nunc desperatis rebus, relicto Deo ad magam mulierem & idololatricam confugisti,* ejusque suppetias implorastî: Ut egregiè discurrit *p. m. Petrus Martyr in Comment.* 1. *Sam.* 28. Ergò non est probabile verum illum Dei Prophetam fuisse: verùm Diabolum, arte suâ & peritiâ, personam & imaginem Samuelis effingentem & efformantem. Quæ anima, terra evocata est, vera, Samuelis veri, anima dicenda non est. Ratio est promptu. Quia unde, dum quis abest, evocetur fieri nequit. At veram veri Samuelis animam terrâ abfuisse, quis in controversiam ausit vocare? cum ut omnium verè beatarum animarum; Sic Samuelis regnum Dei (teste Scriptura) sit sedes. *Joh.* 5. *v.* 24. *Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transibit à morte in vitam.* Atqui larvatus hic Samuel terrâ ascendisse dicitur, ut 1. *Sam.* 28. *versus decimus tertius* habet: *Deos vidi* (inquit pythonissa) *ascendentes è terra.* E. Ad hoc, Alphonsus Tostatus in comment. 1. Reg. 28. quæst. 30. respondet: *Anima Samuelis, in corpore assumpto de aëre, videbatur exire de visceribus terræ, quasi ibi maneret.* Resp. Responsum sanè ludicrum; ut, quod meminisse, refutasse est. Quid enim necesse erat, de viseribus terræ eam exire, videri? Quia nulla incantatio extenditur super sanctos, eorumque animas *Num.* 23. *v.* 27. *Nam*

non

non eſt incantatio contra Jacobum, neque divinatio contra Iſraëlem. Deut. 33. v. 3. Etiam valdè diligis populos, omneis ſanctos bujus babes in manu tuâ. Graphicè hoc depingitur *Luc. 16. verſ. 26. Et ad hæc omnia, inter nos & vos, biatus ingens conſtitutus eſt, ut ii qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque iſthinc huc tranſire.* At Samuel ex albo erat ſanctorum. *Hebr. 11. v. 32. 33.* expreſsè enim ſanctis Dei viris annumeratur. *Et quid præterea loquor? Deficiet enim me tempus narrantem de Gedeone, de Baraco, & Samſone, & Jephte, & Samuele ac Prophetis: qui per fidem debellarunt regna operam dederunt juſtitiæ.* Non igitur vera, Samuelis veri, erat anima, ſed ſpectrum Diabolicum effingens perſonam Samuelis. I. Omnis anima vera, qualis & Samuelis veri, inviſibilis eſt. At larva hæc erat viſibilis *1. Sam. 28. v. 12. Videns mulier Samuelem v. 13. Dixit ei Rex: quid vidiſti?* Reſpondit mulier: *Deos vidi.* Salvator noſter, cum ſuis ſe conſpiciendum præberet diſcipulis, viſu ſui territos, ſpectrumque videre imaginantes hoc confirmat argumento, *Luc. 24. v. 39. Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere:* Hinc eſt, quoties Angeli in veteri fœdere, divinâ functi legatione, ſe noſtris conſpiciendos exhiberent majoribus, vera aſſumpſere corpora. Ubi ergò anima, oculis corporeis conſpici non poſſit, niſi ſuo modo ab eis, qui in eâdem cum ipſis ſunt conſtituti categoriâ, ſequitur ſolius impoſtoris ſtratagema fuiſſe; qui ſenſibus, cumprimis autem oculis variis illudit præſtigiis, ut ſupra oſtenſum eſt. II. Quid commune habet veſtitus cum animâ, quid denique ſenectus *1. Sam. 28. v. 14. Vir ſenex aſcendit, qui eſt amictus pallio.* III. Nec fuit mera maleficæ, impoſtura, aliquem virum vel mulierem ſubornantis, qui Samuelis vocem & habitum effingeret. Non enim Saulis, filiorum ejus, atque totius Iſraëlitici exercitûs cladem & ruinam imò tempus ipſum demonſtrare & prædicere ſciviſſet. Nam futura contingentia homines latent. ſed de hoc in antecedentibus.

LX.

Secundò, ſi Dæmon viribus naturæ poteſt ſimulare perſonam quandam, poteſt Deus quoque illud permittere, quidenim obſtat, quominus Deus permittat id, quod eſt in Diaboli poteſtate,

 quo

quo obluctetur conatibus & viribus Diaboli, ita ut non quandoque permittat ipsum repræsentare innocentem, præterea nullam contradictionem involvit, non pugnat cum permissione Dei, qui quandoque fræna solet laxare Diabolo ita, ut etiam nos non possimus assequi rationem permissionis. Denique non personas sistit, sed earum tantum Imagines, umbras & spectacula, quemadmodum itaque pictor potest exhibere Imaginem defuncti vel absentis, ita quidni Diabolus, qui longè superior, qui tot colores habet fraudum in numerato, sistere aliquam personam in Imagine, unde in mulieris specie, quæ revera Domo assedit Convivis ad mensam, nec loco mota fuit aliquando apparuit. Neque Distinctio hæc huc quadrat, cum nihil mali suscipere vel agere possit Diabolus absque permissione Dei. *Tertiò* Exemplorum seges prosternit rationes adductas, produximus supra apparitionem Martino factam, præsentationem Pachomio, quibus superaddimus Exemplum Dæmonis sub specie Angeli boni apparentis, & decipere conantis Abrahamum Eremitam, teste Ephrem in ejus vita. De quo vide Cornelium à Lapide pag. 397. Nec rationes concludunt: Non *prima*. Nam si vel semel permisit DEUS, ut Diabolus falleret umbrâ innocentis cujusdam, actum erit de hoc argumento & optimè conciliari poterunt Providentia Dei benefica cum permissione illius; præterea annon Jobus in adjutorio & protectione Altissimi fuit constitutus? nonne testimonium habet, quod fuerit vir integer vitæ scelerisque purus *Jobi 1.* & tamen ita permissus fuit Diabolo, ut etiam totus ulceribus obsitus, totus flagellatus in corpore, totus ita affectus, ut etiam amici adventantes siluerint per septem dies & noctes; denique permittente hoc Deo, non providentia ipsius cessat, cum inter actus providentiæ recenseatur permissio, sed maximè operosa est totum negotium dirigendo, terminos ponendo & tandem omnia ad exoptatum finem perducendo. Non *secunda*, nam ponamus Deum, non permittere Diabolo, ut sub innocentum forma adulteria, furta & latrocinia committat, id ideo est, quia non permittit Deus peccare, nisi prius homo deserat Deum & declinet ab ipso. Supponimus autem innocentem, stantem in Domino, nec sese avertentem ab illo. Præterea furta, latrocinia & adulteria sunt actus reales, præ-

stigiis

ſtigiis autem ludere Diabolum dicimus, ſi perſonam innocentis ſimulat, ſi ſub imagine illius hominibus imponit. Denique non eſt conſequens, non poteſt ſub innocentum formâ furta, adulteria & latrocinia committere. Ergò non poteſt in cœtibus illos repræſentare, quia Cœtus illi ſunt nocturni, in quibus vel agyrtæ multum poſſunt, quia fallere poteſt ſenſus maximè de Nocte, quia decipere poteſt ſpectatores, ut Jovem jurent lapidem eſſe præſentem, qui tamen non præſens eſt, quemadmodum Magus aliquis omnes Majores Regis Galliarum præſentavit & adduxit, quod majus quid eſſe videtur, quam umbrâ aliquâ ludere. Non *tertia*, nam ſi ex eo quod Deus permittere poteſt, ut perſonæ innocentum præſententur, conſequens eſt, illos perpetuo timori eſſe ſubjectos ne ſiſtantur, ne in ſuſpicionem veniant, permittere quoque non potuit ne Paulus Apoſtolus ipſo confitente alapis cæderetur à Diabolo, ut aliquis ex Magorum & devotorum Dæmoni tractaretur 2. *Cor. 12. v. 7.* quam pronum enim fuiſſet Paulum in ſuſpicionem rapere commercii cum Dæmone vel Corinthiis vel aliis & quidem maximè profanis; præterea ſanctas habet Deus cauſas, cur quandoque hæc permittat, nec ut in ſuſpicionem adducantur Magiæ, ſed ut ſi reſciſcunt, ardentius precibus inſtent, Deum orent atque deprecentur, quemadmodum hoc diſpaleſcit exemplo Pauli. Denique ſecundum viam Juris tuti ſunt etiam qui denunciantur ex repræſentatione. Norunt enim Judices Diabolum ludere, eſſe præſtigiatorem, nec attendendum eſſe denunciationibus illorum, qui ſunt in nexu cum patre mendacii, de quo *Johan. 8.* Non *quarta* denique, nam ſi Sagarum Confeſſioni eſt attendendum, quid non erit credendum, quid non illæ fatentur ſeſe vidiſſe, ſi teſtantur non adeſſe innocentes, gravant potius innocentes, quam excuſant, & quis præſtabit illas ſemper confiteri non adeſſe innocentes. Sanè ſi quandoque denuntiant innocentes, ſi quandoque ipſis Inquiſitoribus hoc crimen impoſuerunt, ſi nil niſi mendacia reboant, quî illorum Confeſſioni ſoli, ſi alia non concurrant indicia, ſi alia non adſint ſigna, credendum, aut fides habenda. Non dubitamus itaque quandoque DEUM etiam permittere, ut in Conventibus illis innocentium umbræ & imagines objiciantur à Dæmone, quanquam non tam frequenter, aut ſemper, ſed tamen ita,

ut

ut permiſſio divina etiam feratur in illos, qui commercium cum Dæmone non habent, ſed toto animo ab illo abhorrent.

LXI.

Audiamus *Danæum*, qui ita differit: Sola animi cogitatione & illuſione diabolica poteſt fieri repræſentatio, quemadmodum in ſomnis multa nos vidiſſe credimus, & iis locis interfuiſſe, à quibus tamen abfuimus: ſæpe nos conveniſſe, qui longiſſimè tamen à nobis peregrè agebant, etiam plus quàm milliaribus ducentis. Id quod Sortiariis accidit aſtu Diaboli, qui ſæpè nos aliis etiam in rebus deludit, adeò ut ſæpè cernere, tangere, palpare ea nos exiſtimemus, quæ nec cernimus tamen nec palpamus. Atque ut ne me putes ſine ratione eaque probabili ita ſentire, mecum faciunt viri plerique etiam doctiſſimi ex antiquis. Tu mihi in tota hac quæſtione Auguſtinum ſæpè laudas. At ille ipſe ubi ipſe de mutatis hominum formis agit, veluti lib. 18. de Civitate Dei docet, quæ ita fieri creduntur, ita evenire, quòd illa animi facultas, quæ ex quinque præcipuis una eſt, & phantaſia appellatur, eſtque in anteriore parte cerebri, quod phantaſia, inquam, læſa ſit & perturbata Satanæ vi, ſenſuque externi ſepulti, & mirè ab eodem impediti. Cur igitur idem de hac præſentia Sortiariorum non ſtatuemus? Quòd ſi ebrii homines, cùm in cerebrum eorum tolluntur è ſtomacho calidi vapores, putant ſe ea videre, quæ abſunt: ſi melancholiæ morbus, multa eo morbo ægris perſuadet, quæ neque vident, neque adſunt, æquiori certè ratione definiemus, Satanæ, qui longè iis ſuperioribus cauſis potentior eſt ad turbandas animi vires, illuſione iſta Sortiariis accidere, non quòd reipſa illic ſint præſentes. Poteſt igitur Satan & animi facultates, & corporis vires lædere & vincire, ut docet Thomas Aquinas, & ante eum Auguſt. lib. 7. de Geneſi ad liter. cap. 11. dixerat. Præterea idem Auguſt. in quadam ſua Epiſtola ad Nebridium familiarem ſuum, quæ eſt numero 72. diſtinguit tria phantaſmatum noſtrorum genera. Primum genus eſt eorum quæ noſtra phantaſia ex rebus ipſis viſis concipit. Secundum genus eorum, quæ ipſa per ſe invenit, & quibus ſimilia nuſquam antea vel vidit vel audivit. Tertium genus eorum, quæ ex aliorum ſermone

mone concepta ipsa finxit. Itaque hæc Sortiariorum phantasmata ex secundo illo genere erant, quando scilicet phantasia ipsa per se multa excogitat, & invenit. Quod ut tibi certiùs ex eodem illo autore confirmem, idem epistola ad Evodium 101. de prodigiosis visis scribit, quòd quando illa visa ita vivaciter & efficaciter nobis objiciuntur, ut nos vidisse ea verè credamus, animæ propterea è nostris corporibus non emigrant, neque peregrinantur in iis locis, in quibus nos tunc putabamus versari, sed in corporibus nostris manent etiam eo ipso momento, quo illa tam perspicuè cernebant. Itaque vi objectorum fit, ut videamus ea. Sensus autem corporei interim sopiuntur in nobis, ut excitari nullo modo possint, dum ista visio obversatur. Unde fit ut postea excitati & colloquutos nos esse, & bibisse, & edisse, & vidisse illa arbitremur, quod objecta sit animis nostris viva & efficax earum rerum omnium species, qua afficiebamur. Atque hujus rei exempla passim extant etiam apud eundem Augustinum. Nam in epistola 100. medici cujusdam Carthaginensis nomine Gennadii meminit, qui cùm dubitaret, Utrùm post hanc vitam altera esset speranda, in somnis tam perspicuè chorum Angelorum & eorum cantus audivit, ut in cœlis se fuisse crederet, cujus tamen corpus interea in lecto decubuerat & in cubiculo manserat, quemadmodum fatebatur ipse. Ipse lib. 18. de Civitate Dei cap. 18. refert de alio quodam, qui verè se cum Philosopho Platonico de Platonis scriptis in somnis contulisse confirmabat, & ab eo cujusdam hujus autoris loci explicationem, quam antea ignorabat, habuisse. In vitis Patrum, quæ appellantur, scriptum est de patre qui non noctu & in somniis, sed media ipsa die, & aperta luce cùm filiam suam oculis cerneret, sibi vaccam vîdere videretur, quam tamen alii, imprimisque Macharius, & hominem & virginem esse agnoscebat & testabatur. Quid verò? ipse tu, Theophile, nonne aliquando lib. 6. Genialium dierum qui ab Alexandro Neapolitano scripti sunt, cap. 21. legisti de reo quodam qui ad inferos se descendisse opinatus est, cujus rei testimonia ipsi judici certissima indicavit? Arcanum enim quoddam ipsius, quod nulli hominum notum erat, detexit & aperuit. Quid? in cano Episcopi. 26. quæst. 5. qui ex Concilio Aquileiensi transcriptus est, nonne apertè pronuntiatur

tur has omnes Sortiariorum voces, & cogitationes vana ſpectra, meraſque nugas, & animi illuſiones eſſe, quas Satan hujusmodi rerum ſummus artifex illis objicit, cùm tamen eorum corpora eodem ſemper loco maneant? Denique ut totum hunc locum tandem concludam, hæc ſunt verba ſive Auguſtini, ſive alius fuit ejus libelli autor, qui de Spiritu & litera inſcriptus eſt. Nam cap. 28. ita ait, *Idcirco quædam futura prædicant, & quædam mira faciunt, quibus homines alliciunt & ſeducunt. Unde quædam mulierculæ poſt Satan converſæ, dæmonum illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ credunt ſe & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea, vel cum Herodiade & Minerva & innumera mulierum multitudine equitare, earumque juſſionibus obtemperare. Ipſe namque Satanas, qui transfigurat ſe in Angelis lucis, cùm mentem cujusque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubjugaverit, ilico transformat ſe in diverſarum perſonarum ſpecies ac ſimilitudines: & mentem, quam captivam tenet in ſomnis deludens, modò læta, modò triſtia, modò cognitas, modò incognitas perſonas oſtendens per devia quæque deducit. Et cùm ſolus hæc patitur ſpiritus infidelis, nec in animo, nec in corpore evenire opinatur, idcircò nimis ſtultus & hebes eſt, qui hæc omnia quæ in ſpiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitratur, cùm Ezechiel & alii Prophetæ, Joannes etiam Evangeliſta & Apoſtoli in ſpiritu, non in corpore viſiones viderint.* Quid firmius & apertius pro me jam dici poteſt, Theophile, tuæque opinioni magis repugnans & contrarium? Quibus omnibus ſi mihi abundè ſatisfeceris, ſubſcribam illi ſententiæ, qua affirmas Sortiarios præſentes in illis cœtibus adeſſe. Quin hæc res in controverſiam à multis ſit adducta, non diffitebor, Antoni, planèque viſa eſt quibusdam incredibilis. Sed etiam tibi dabo hoc quoque, ſæpe ab iis quædam dici quæ non fecerint, ſæpe etiam eos opinari & quidem falsò ſe inter eos verſari & agere, qui tamen ab iis procul abſunt. Hæc ipſe concedam non gravatè. Ex eo tamen effici nego quod concludis nunquam igitur eos hujusmodi cœtibus & ſynagogis præſentes adeſſe. Qui itaque tam certè definiunt Sortiariorum corpora domi eſſe, dum ipſi ſe in mediis iſtis ſociorum gregibus verſari putant, nimium fidenter loquuntur. Nam ipſa rerum experientia aliud docet. Nonne reperti ſunt plures, qui vana animi curioſitate inducti eos cœtus

tus adiere, qui præsentes corpore iis in locis fuerunt, in quibus isti Sortiarii coadunabantur, unde postea domum suam regressi sunt magno itineris labore, idque vicinis scientibus atque videntibus? Narratur quidam in Ambarrorum finibus, qui hodie Ducatus Nivernensis dicitur, qui à colono suo impulsus eò venit. Narratur nostra hac ætate alius, qui in Pictonum agro cum amore cujusdam primariæ fœminæ (quæ illuc conveniebat, eratque Sortiaria) perditè teneretur, eò etiam accessit, ut eam alloqui liceret & videre. Tum deinde qui fieri posset ut Sortiarii ipsi locos notarent, personas ipsas de vultu agnoscerent, numerum nossent, vicinas arbores, sepes, flumina, domos distinguerent, si hæc vana tantùm animi spectra fuisse dicantur, neque iis cœtibus ipsi interfuisse? Cur è suis ædibus, cur ex urbibus summo vespere egrederentur, ut eò conveniant: cur in itinere conficiendo laborarent: quomodo visibiliter & personaliter, ut ita loquar, ex iis locis reverterentur, nisi personaliter quoque præsentes illic fuissent, & non sola animi somniatione & imaginatione? Ergò constantes ipsorum Sortiariorum confessiones infinitaque testimonia tibi, Antoni, adversantur, tuæque sententiæ. At istæ sunt vanæ eorum ostentationes & animi deliria, ais. Sed nimiùm periculosa, Antoni. Tunc enim ista confitentur cùm morti proximi & propter hoc ipsum damnati ad supplicia ducuntur, cùm, cruciantur, cùm eos hujusmodi verba juvare ampliùs non possunt. Denique ubique ita. Præterea quemadmodum in lib. de Humanitate Christi, scribit pater sanctissimus Athanasius, animi cogitationes utcunque validæ & profundæ corpora tamen nostra de loco in locum non transferunt, neque alios, qui absunt, attingunt. At Sortiariorum corpora moventur. Quare fit ut sola animi cogitatione ista iis accidere, non sit credendum. Et quod ad tua argumenta spectat, equidem distinguendum dico. Quædam sunt enim de quibus falsò isti gloriantur, quòd per rerum naturam ea fieri non possunt, quæ tamen à se contendunt facta. Hujusmodi omnia vana animi illusione illis contingunt. At quò minus illic sint præsentes, quæ caussa, obsecro, quæ ratio, quis rerum ordo obstare potest, præsertim cùm inde redeant corporaliter & visibiliter, id est, reipsa, atque ab iis locis etiam corpora abfuerint in quibus antea versabantur?

Nam ille ipſe reus, quem poſtremùm commemoraſti, quîque ad inferos iit, abfuit per duos dies, & cùm diligenter in toto carcere perquireretur, tamen non potuit reperiri. Ergo quæ cum natura corporum noſtrorum pugnant, ea ſi facta ab iſtis prædicentur, falſa ſunt, & meræ dæmonis illuſiones illa meritò cenſentur. Qualia ſunt illa quorum concilium Aquileienſe meminit, veluti equitare in luna, convenire cum Herodiade, cum Diana, cum Minerva, quæ Paganorum deæ appellantur: alloqui jam mortuum hominem, duodecim illos heroas, quos vocant, id eſt, Hectorem, Achillem, Rollandum, & alios ſimiles oculis cernere, & cætera hujusmodi quæ ſunt mera quidem ſpectra & vana Satanæ figmenta, quæ oculis vel animis hominum objiciuntur. Hujus generis ſunt etiam illa quæ tum ex Auguſtino, tum etiam è libro de Anima & Spiritu ipſe adduxiſti, quæ fieri reipſa non poſſunt, quia cum rerum natura eorum implementum & veritas planè apertèque pugnat. Sed hoc quod nos de congreſſionibus Sortiariorum & coitionibus & modo ipſo conveniendi affirmamus, quid habet à rerum ordine alienum, aut corporum noſtrorum vi & eſſentiæ contrarium? Denique qui tam certò definiunt in iis extraordinariis viſionibus, & in raptu atque ecſtaſi animi prorſus ſemperque corpora noſtra abeſſe ab iis rebus quas tunc cernimus, confidentiùs ſanè loquuntur, quàm ſanctus ille Dei ſervus & Chriſti Apoſtolus Paulus, qui de ſuo raptu (quanquam is ab eo genere fuit diſſimilis, de quo nunc loquimur. nam Dei ipſius, non autem Satanæ manu & potentia evenit.) ſed ille de ſuo raptu loquens 2. Corinth. 12. v. 3. ſic ait: *Et novi hujusmodi hominem (an in corpore, an extra corpus neſcio: Deus novit) raptum fuiſſe in paradiſum & audiſſe ineffabilia verba, quæ non liceat, homini loqui.* Hæc ſunt, Antoni, quæ tuæ dubitationi, ut credo, ſatisfaciunt, eamque tibi jam, ut ſpero, explicabunt. Imò verò eorum ipſorum corpora in eodem lecto & cubiculo deprehenduntur & eſſe & manere, à quibus tamen oportuit abeſſe procul, ſi revera & perſonaliter in quem alium locum ipſi veniſſent. Perſtas etiam, Antoni, in ſententia. Quam ut planè refutem, hoc pernego, quod ais, & ut verum & confeſſum tibi ſumis, Vera eorum corpora percepta eſſe in lecto & cubiculo, dum illi ſe abfuiſſe dicebant. Fuerunt enim potiùs corporum quædam

dam ſimulacra à Satana ſuppoſita, & effigies objectæ, quàm vera Sortiariorum corpora. Non venit in mentem, obſecro, quid Michol uxor Davidis fecerit, & excogitarit, cùm fugam mariti ſui celare vellet & patrem Saulem, & patris ſervos, qui eum ad cædem quærerent? Nonne legiſti, quod eſt ſcriptum 1. Samuel. 19? quemadmodum illa aſtutè quidem, non tamen Satanica arte nec Sortiariorum more, pro Davidis corpore ſtatuam ſuppoſuerit, cui culcitram ſubjecerit, veſtimentis etiam ornarit adeò doctè & ſcitè ut verè Davidem illic eſſe crederent, qui ſimulacrum ita apprimè adornatum ipſis oculis viderant. Sic Satan ut nos celet ſuorum diſcipulorum abſentiam, pro vero eorum corpore, quod abeſt, ſæpe falſum nobis illud inquirentibus ſubſtituit. Ex quo fit, ut plerique exiſtiment Sortiarios iis cœtibus non intereſſe σωματικῶς, quos ſe adiiſſe tamen contendunt, quia falſa & à Satana ſuppoſita in lecto aut cubiculo eorum ſimulacra pro veris corporibus accipiunt & vident. Sed qui ita judicant, graviſſimè falluntur.

LXII.

Non tantum autem ad Conventus illos quandoque exportantur, nec tantum convivia agunt & ſaltant, ſed & rem habere cum Sathana dicuntur. Sunt tamen quidam, qui Congreſſum illum putant eſſe phantaſticum & merè illuſorium, inter quos invenies Wierum, Godelmannum, Lercheimer, Scaligerum, Chytræum, Martyrem, Fichardum, Biermannum, Jacobum Martini, Scultetum, Timplerum, Voetium, Cardanum, Portam, Brodæum, Remigium, quibus contradicunt Bodinus, Henricus Colonienſis, Auguſtinus lib. 15. de Civit. DEI cap. 23. Lutherus, Danæus, Philo, Joſephus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Eraſtus, Sprengerus, Tertullianus, Phlethon, Iſidorus, Plato, Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, Gabriel, Alenſis, Toſtatus, Pererius, Delrio, Boiſardus, Binsfeldius, Valleſius, Tholoſanus, Alſtedius, Stumpfius, Beyerlinus, Conimbricenſes, Hildebrandus, Euſtachius à S. Paulo, Zanchius, Hemingius, Zepperus, & alii. Nos verò ſicut ferè omnia opera magica vera falſis miſceri aſſeruimus, ita neutri ſententiæ ſimpliciter calculum addimus, ſed quandoque concubitum hunc verum, quandoque autem imaginarium eſſe exiſtimamus; Quod verus fit quandoque, probamus

primò, quia non est ultra potestatem vel vires Diaboli exprimere in corpore assumpto, quæ alias hominibus competunt; potest enim ille formare sibi corpus quoddam & ad similitudinem illius facere palpabile, potest illud assumere, sibi appropriare tanquam formæ assistenti & illud regere ut Nauta Navem, potest illud vegetare, movere, calefacere, per illud operari, loqui, amplecti, hoc illove situ se præsentare, stando, sedendo, cubando, sexum imitando, membra virilia, vel muliebria exprimendo, sociare sese vel viris vel fœminis, mulieres sibi subjicere, viris sese substernere, emissionem seminis imitari aliundè adductum vel abreptum ejaculari. Quî itaque non possit congredi & sanè plærumque vetulæ libidine tentatæ ita sese Diabolo mancipant, & quæ in juventute fuêre scortatæ, in Senio ad Sagarum Conventicula evolant, ut in proverbium abierit, junge Huren/ alte Hexen/ & sicut in cæteris sectantur, quæ ventri grata sunt & homini carnali conducunt, ut commisceantur, edant, bibant, saltent, & præludia Veneris ament, ita vel tandem ad ipsum actum progrediuntur. *Secundò*, quia Experientia testatur ita sese fœdasse Magos & Sagas. Sic tempore Concilii Constantiensis in incredibili meretricum se prostituentium multitudine & Dæmon succubus specie formosæ mulieris sive virginis adfuit, multumque pecuniæ ex congressu meritus est, & viatori ostendit, cum Wittenbergensis Mercatoris uxore absente, Marito Dæmon specie Juvenis & Amasii congressus est formamque picæ postea assumpsit & evanuit, cum Magate hospite Dæmon sub cadavere Philinii virginis aliquot noctes concubuit, ut habet Niderus cap. 9. fornicarii, Wierus lib. 3. de Lamiis c. 30. Luitprandus, Bodinus, Binsfeldius. *Tertiò*, quia in propatulo sunt Confessiones variarum Sagarum, etiam cum in bono statu sunt, sub Judice, Inquisitore cessante omni phantastica somniatione, quæ deponunt verè se aliquando cum Sathana sub forma viri ipsis apparente rem habuisse, circumstantias materiales, seminis rationem & modum recensent, qualia nonnisi è realibus factis desumi solent, ut Johanna Harvilleria, Margaretha Bremontia, Roberta, Guilielmina, Maria, Guilielma, Magi attrebatici, Sagæ Constantienses, Ratisbonenses, Magdalena de la Crus, aliæque apud Bodinum cap. 1. Interdum in agris & sylvis se retegunt, ac

clara

clara die cum Dæmone coeunt, imò interdum à viris Diabolis hærentes deprehensæ & gladiis cæsæ sunt. Interim quandoque imaginarium esse patet ex eo, quia *primò* Diabolus est pater mendacii *Johan. 8.* qui solet homines præsertim sibi devotos miris modis ludificare, somniis phantasticis decipere, & objicere de nocte, quæ nunquam fuerunt, aut erunt. *Secundò*, quia tota exportatio est quandoque imaginaria, illusoria & in somno contingit, ut evigilantes dicant sese fuisse in hoc vel illo loco, cum tamen deprehensæ sint profundo somno correptæ, si itaque antecedentia sint imaginaria & illusoria, etiam consequentia ita sese habebunt, ut scilicet comessationes, saltationes, congressus talia sint & nil nisi pergula pictorum, veri nil, omnia picta. Quia denique *tertiò* ipsa experientia docet, meras esse illusiones. Sic Wierus lib. 3. c. 33. recenset, quod rustico cuidam imago mulieris cum Dæmone atri canis specie ruri congredientis sit oblata, cum mulier isto tempore in lecto decumberet.

LXIII.

Conspirant Theologi & ita ratiocinantur: Non pauci hâc opinione sunt imbuti, posse Diabolum assumptô corpore humanô cum hominibus congredi, unde si cum mulieribus consuescat, *Ephialtas sive incubos*, si cum viris, *Hyphialtas sive succubos*, nasci existimant. vid. Bodin. *lib. 2. c. 7.* Nos cum B. Sperlingio *Instit. Phys. l. 2. q. XI. pag. 384.* congressum quidem phantasticum concedimus, generationem autem, & quidem propriè sic dictam, de qua hîc maximè controvertitur, omninò negamus, adducti his maximè rationibus. (1.) quia Diaboli sunt SPIRITUS, quod in priori Dissertatione probatum dedimus: Spirituum autem non est multiplicatio vel propagatio. (2.) Deinde Diaboli propriè non habent materiam generationis, videlicet semen idque ob naturam spiritualem: Hinc ita colligimus: *Quibus deest materia generationis, illis nec ipsa generatio tribui potest. Atqui Dæmonibus vel malis Angelis deest materia generationis videlicet semen. E. nec ipsa generatio ipsis tribui potest.* Minorem probamus sequenti Pro-Syllogismo: *Si Dæmones habent semen, aut illud habent à SEIPSIS aut ab ALIO. Non à SEIPSIS*, quia semen non est, nisi ab alimento vid. Arist. *l. 8. de Generat. anim. c. 3.* At Dæmones sunt

ſunt ſpiritus, qui ut nec aluntur, nec augentur, ita nec ſemen procreant. Non ab ALIIS, uti quidam contendunt, quia ſuffurari id nequeunt, ita ut maneat incorruptum & fœcundum. Spiritus enim ſtatim omnes vires & per conſequens etiam impraegnationis vim amitteret teſte Clariſſ. Hornæo *in Exercit. Anat. Exercit. LXXII.* Et ponamus Dæmonem poſſe transferre ſemen, num propterea generabit? Is enim dicitur generare, qui ſemen emittit, non qui illud aliorſum transfert. (3.) Si congrediuntur Dæmones cum hominibus & generant, aut generabunt *Dæmones aut homines.* Non Dæmones, quia omnes anguli angelis malis jam dudum eſſent repleti. Non homines. Simile enim generat ſimile, nec poterit hîc fieri commoda commixtio, quùm ſint ſpecies diverſiſſimæ. Thomas *P. 1. q. CX. a.* 2. hanc affert probationem, Dæmonem non poſſe generare, ſive producere compoſitum ex materia & forma, quia *Angelus ipſe non ſit compoſitus ex materia & forma.* Et probationem ſtatim l. c. ſubjicit, *quia factum ſimile eſt facienti, & omne agens agit ſibi ſimile.* Et ideò id, quod facit res naturales, habet ſimilitudinem cum compoſito, vel quia eſt compoſitum, ſicut ignis generat ignem; vel quia totum compoſitum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam, eſt in virtute ipſius, quod eſt proprium Dei. Verùm hac in parte Thomæ contradicit Durandus *in II. Diſt. VII. q. IV.* nec ſine ratione. Quum enim Deus producit compoſitum, ipſe quoque juxta Thomæ opinionem, erit compoſitus, quod abſurdum. Probationem quod concernit, quòd factum ſimile ſit facienti & agens ſibi ſimile agat, non quantivis, ſed nullius videtur eſſe pretii. Quum enim à Sole vel cœlo producitur animal, nec factum ſimile eſt facienti, nec agens agit ſimile. Imò falſum eſt, quod ſcil. ad hoc, ut in virtute alicujus ſit compoſitum, ſive, ut quis virtutem producendi compoſitum habeat, requiratur, ut habeat quoque virtutem partes ejus, nempe materiam & formam producendi, contrariumque pateat exemplo hominis, generantis hominem, qui tamen nec producit partus, nec potentiam ſive virtutem eas producendi habet. *Generatio* enim *non in compoſiti productione, ſed in partium unitione conſiſtit.* Ad virtutem itaque producendi compoſitum non requiritur virtus producendi partes, materiam & formam, ſed ſufficit virtus, eas uniendi. Rectè

igitur Damascenus *l. 2. de Fide c. 3. Quotquot sunt*, inquiens, *qui essentiam illam, quæcunque tandem illa sit, ab Angelis procreatam esse contendunt, horum ore Pater ipsorum Diabolus loquitur. Nec* (α) obstat unanimis Sagarum confessio, *Diabolos videlicet assumtâ viri formâ secum concubuisse vel generasse.* Resp. Sagarum confessionem nihil probare. Potest enim Diabolus phantasiam Sagarum falsis corrumpere imaginibus, ut inter dormiendum credant, se quandoq; cum Diabolo rem habuisse, quod tamen minimè factum, vel aliquid ex illo genitum, quod revera non genitum. Nec (β) obstant *exempla liberorum, quos vocant infantes supposititios* Wechselbälge / Kühlkröpffe / qui à Diabolis procreati esse narrantur. Resp. Illos *aut fuisse verè Diabolos* in forma infantum humanorum apparentes, aut *veros quidem infantes*, sed vel *supposititios*, vel ex mulierum, quæ eos pepererunt, congressu cum propriis maritis aut aliis viris genitos. *S*olet enim Diabolus phantasiam fœminæ, præsertim Sagæ, ita corrumpere, ut falsò credat, se cum Diabolo coivisse, atque ex illo coitu concepisse, & tandem sobolem peperisse. Nec valet (γ) hoc argumentum: *Si potest virtus inferior efficere, ut rana ranam, vermis vermem producat, quidni Angelus & Dæmones tanquam superiores virtutes, corpus possent producere.* Resp. Per limitationem: Quod potest virtus inferior, potest etiam superior, *servando scil. objectum ejus virtutis, non egrediendo totam ejus latitudinem.* Sic rana ranam potest producere, homo tamen, quamvis nobilioris virtutis, ranam producere non potest. Et sic etiam corpus producere est extra latitudinem objectorum possibilium, Angelorum aut Dæmonum propter disproportionem ad corpora. Nec (δ) nostram infringit sententiam, quòd Deus dicit serpenti Diabolo stipato: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter* SEMEN TUUM & SEMEN ILLIUS Gen. III, 15. Nam phrasi Ebræâ SEMEN h. l. *significat progeniem*, i. e. *omnes, qui Diabolo tanquam Patri addicti, quales sunt non solùm mali spiritus, qui cum Apostata Diabolo à Deo se averterunt*, sed etiam omnia Satanæ organa inter homines, utpote timidi, increduli, exsecrati, & homicidæ, & fornicatores, & venefici, & idololatræ, & omnes mendaces, *quorum pars erit in stagno ardenti igne & sulphure.* Apoc. XXI, 8. Quo sensu vocabulum SEMEN accipitur Esa. LVII, 3. Matth. III, 7. cap. XXIII,

33. Joh. VIII, 44. I. Joh. III, 9. Hinc B. Glassius Disput. de Prot. Ev. thes. XXXVIII. inquit: *Per* SEMEN SERPENTIS *tota Diabolorum caterva, quæ Messiæ interitum minabatur, intelligitur.* Quod notandum I. Contra Franciscum Georgium Venetum qui *Tom. 6. Probl. Sect. 5. c. 192.* scribit: *Theologi antiqui asserunt, esse in Dæmonibus genituram, sexum & animalitatem. Quibus favet sententia Dei dicentis serpenti: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Nisi enim Diabolus per serpentem designatus generaret, vanus fuisset ille sermo: inter SEMEN tuum.* II. Contra R. NATHAN, qui in Avoth ita scriptitat: *Dæmones tria habent communia cum hominibus, quòd edant & bibant, quòd venere utantur & prolem gignant, & quòd mortales sint. vid.* Gerhard. *in Genes. cap. XVIII. p. 375.*

LXIV.

Calculum addunt Jurisconsulti, quorum sunt sequentia: Concubitum dæmoniorum cum hominibus impossibilem esse, naturæ diabolorum contrarium & planè phantasticum, multi haut contemnendis rationibus moti contendunt. Præprimis tamen Wierus *de præst. dæmon. L. 3. c. 21. & peculiari Lib. de Lamiis. 3. cap. 25.* Johan. Fichard. *Cons. 111. n. 4.* quem sequitur Ludov. Gilhaus. *in Arb. Cr. c. 2. T. 17. n. 13.* Qui dicunt (1.) Impossibile esse, ut spiritus corpore expertes, membris genitalibus destituti, seminis ex cibo & potu bene digesti vacui, amore fœminarum carnalium capiantur. (1.) Naturæ dæmonum adversari, appetere coitum, qui nullum alium ob finem fit, quàm ut sui similis procreetur. In primâ autem creatione certus ac determinatus eorum numerus est conditus, qui nec morte imminui, nec concubitu multiplicari potest. (3.) Dæmoniacos concubitus esse meras Phantasias & illusiones, quæ etiam honestis & probis sæpe mulieribus accidunt. Atque exinde concludunt confessiones lamiarum de concubitu esse erroneas nulliusque momenti. Verùm Nos his dubiis satis facientes Affirmativam: *Diabolum nempe cum Sagis verè non illusoriè sæpissimè, rarò autem imaginariè congredi;* tuebimur ob rationes maximi ponderis, gravissimorum auctoritate Virorum tam Theologorum, Medicorum, Philosophorum, quàm JCtorum: Veluti *D. Hieron. Augustini Isidor. B. Lutheri. It. Mallei Malef. Binsf.*

Re-

Remig. Jac. Reg. Angl. Goed. Thom. Eraſt. Mart. Delrionis JCti pariter ac Theologi exactiſſimi, Philip. Ludw. Elich. Gœhauſ. Petr. Greg in Syntag. J. U. Frid. Balduini inſignis Theologi, in Caſib. conſc. L. 3. c. 5. caſ. 113. p. 761. Ad *primum* dubium ab impoſſibilitate deſumtum Reſpondemus *Negando*, dæmoni concubitum eſſe è numerô impoſſibilium. Licet enim corpus, membris genitalibus & ſemine conſtans, non habeat, quamvis ſint, cum quibus nos non facimus, qui habere contendunt, dicentes, dæmonum corpora inter terrenam & æthercam naturam media eſſe *Apulej. in Aſin.* dæmones ſemen jacere, ex quô perpuſilla oriuntur animalia, habereque membra genitalia, ſed non qualia homines, & excrementum ex illis manare *Pſellus de dæmon.* In confeſſo tamen eſt, & inficias ire natus nemo poteſt, diabolum ſibi corpus, idque vel demortui cadaveris, vel ex vaporibus, puta, aëre, terrâ & aquâ concretis denſatisque molem, quæ videri & palpari poſſit, circumdare, aſſumere, illudque artificiosè movere poſſe: Sperma verò, quoniam exangue corpus eſt, aut ex pollutionibus virorum nocturnis, aut aliundè ab aliis ſcilicet diabolis ſuccubis, qui ſe in formâ pulchræ puellæ Viris veneficis ſupponunt, exceptum, deſtinatis locis Sagarum applicare poſſe. Exemplum ex Guilhel. Pariſienſ. adducit notabile D. Joh. Suev. *in prælect. publ. ad l. 4. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. Nim. diabolum beſtiæ corpore indutum egregiè deluſiſſe militem, qui cum putaret ſe formosâ potitum virgine, tandem fraude detectâ cognovit ſe in amplexu cadaveris beluini tabie jam ſoluti jacere. Id qaod etiam probant multa alia exempla, à quorum relatione prolixâ abſtinendum.* Quid quæſo impediat Satanam? quòminus eôdem modô ſuis ſæpiſſimè imponat amatoribus & amaſiis, ut vel cum formosâ virgine, vel cum Juvene faſcinoſo ſe coire opinentur *Petr. Theodor. in Coll. Cr. Diſp. 7. th. 13. lit. N.* Perinde ergo erit an diabolus ipſe per ſe corpus & ſperma coitui idonea habeat, an aliunde illa formet, mutuetur & furetur; ſufficit, quod in aſſumtis illis corporibus virilia officia tam ſtrenuè obire queat, ut etiam non tortæ fateantur lamiæ, majorem ferè delectationem ex coitu Satanico ſeſe ſentire, quàm ex propriorum Maritorum concubitu, & propterea ſæpè averſari horum complexum, ac dæmoniacum anteponere. Quod obſervandum ab *Herm. Gœhauſ. in pericul. Academ.*

dem. Q. 3. ex Actis Judiciariis anno 1628. mens. Aug. Facultati suæ Rintelens. à Comite quôdam transmissis. Ubi Venefica quædam confitebatur, postquam primo die nuptiarum cum novo marito consuevisset, alterâ nocte diabolum cum ipsa fuisse congressum, & quidem adeò potenter, hätte der massen mit Ihr gebulet/ (ut verba propria referam) daß sie zu Ihres Mannes Beyschlaff keine Lust gehabt. *Secundò* locô quod dicitur (1.) naturæ dæmonum adversari appetere coitum, illud apertè contrariatur S. Scripturæ, quæ ipsi primariò attribuit omnes fornicationis actus *Hos. 4. vers. 12.* ubi dicitur Satanas spiritus fornicationis & spurcitiei. Imò variis in Scripturæ locis audit immundus, qui cœnô, ut sus in volutabro luti fœtidi, valdè oblectatur (2.) dæmones non opus habere coitu, quoniam in primâ Creatione eorum numerus certus est conditus, qui concubitu non potest multiplicari. Sed quantùm mihi videtur, illi malè confundunt inter se nudum congressum, & ipsam generationem. Siquidem & Nos negamus, dæmones cum sagis verè generare, & ex semine ablatô prolem excitari posse, Malè hinc à generatione ad congressum fit argumentatio, nec planè sequitur: Quorum genus non potest per coitum multiplicari, illi non possunt coitum celebrare. Ad *Tertium* argumentum, quò evincere dissentiens Godelman. *L. 2. c. 5. n. 11.* vult, concubitus dæmoniacos esse meras illusiones, quæ etiam honestis ac probis sæpe mulieribus accidunt; Respondemus, Godelmannum nimis confidenter ac temerariè loqui, dum statuit, honestas ac probas matronas, quibus planè nullum cum dæmone commercium est, eôdem modô circa concubitum deludi, quô Sagæ quæ scelestæ dæmonum coitionis sordes ferunt. Certè Godelmannus, in consessu honestarum matronarum à veneficii crimine purarum, hanc comparationem si instituisset, ipsius profectò barbæ ingens calamitas imminuisset, nec prius veniam impetrasset, quàm sponte confessus fuisset, se in confundendô *morbô naturali*, qui Medicis *incubus græc.* ἐφιάλτης dicitur, quô affectu etiam sanctæ & piæ fœminæ, in quas nullum jus diabolo est, corripi possunt; *Et Incubô dæmone*, qui in corpore assumptô congressum cum Sagis habet, turpiter fuisse lapsum. Quæ tamen duo omninò sunt distinguenda, nisi quis absurditatis argui velit? Planè enim nulla est consequentia;

tia; Honestæ matronæ ab Incubô morbô sæpiculè infestantur: Ergò & eôdem semper morbô opprimuntur Sagæ, nec unquam incubum dæmonem experiuntur. Definiunt quippe Medici incubum morbum, esse affectum talem, cum spiritus animales à vaporibus crassis juxta thoracem intercipiuntur in somnô, quò minus in cerebrum influxum præstare possint. Sagarum incubum si liceret juxta hanc definitionem examinare, certè toto cœlo honestarum matronarum morbum, à Sagarum morbo differre deprehendemus. Honestarum matronarum morbus ex vaporibus crassis oritur, ut videatur vis externa cor invadere, cùm tamen nihil quicquam videant aut tactu percipiant: Ast Sagæ confitentur, suum incubum non à vaporibus oriri, nec externâ sese saltem mole premi, sed ipsis etiam membris genitalibus instrumentum immitti, semenque frigidissimum emitti, amasiosque ab ipsis videri, palpari, interrogari, quod in honestis matronis minimè sit. Honestas matronas, morbus incubus in somnô & nocte opprimit. Ast Sagæ confitentur, se incubum suum, non in somno solum, sed etiam vigilantes & interdiu, imò sæpius dum in opere faciendo occupatæ sunt, nec somnum oculis viderunt, pati, in itinere sæpe ab eo de stupro appellari. Diversitate igitur incuborum monstratâ dicendum erit, incubum Sagarum longè differre ab incubô honestarum mulierum; Illarum esse nihil aliud, quàm ipsum dæmonem in formâ juvenili eas amplexantem: Harum verò esse morbum ex naturalibus causis ortum. E datis hisce responsionibus satis superque Affirmativa nostra firmatur; Lamias videlicet certè cum dæmonibus venerem exercere. Eadem porrò etiam ab experientiâ & confessionibus lamiarum comprobatur infinitis, tam anteriorum seculorum, quarum longam seriem recenset *Bodin. dict. L. 2. c. 7.* quàm proximorum ac nostrorum temporum, quarum non paucas confessiones Dn. Carpz. ex responsis Scabb. Lips. collegit *in Pract. Cr. P. 1. Q. 50. n. 66.* Ubi nulla ferè sententia habetur, in quâ non Sagæ examinatæ satanicæ istius sodomiæ se reas confessæ fuerunt his formalibus: Daß sie mit dem Teuffel unmenschliche / unnatürliche Unzucht getriben / eamque tot tantisque circumstantiis, *temporum* die, an nocte, *locorum*, an in lectô an in nudâ terrâ congressus fuerint instituti, *numerorum* coituum, *formæ* &

vestitus amasiorum, *quantitatis* aut *qualitatis* membri & seminis, an frigida, an calida fuerint, sæpenumerò *pretii* pro stuprô dati & quæ aliàs in concubitu acciderunt, Judicibus ordine exposuerunt, ut confessiones earum, de isto concubitu iterum iterumque repetitæ non sint nec debeant pro illusionibus & phantasiis perversæ imaginationis haberi, multò minus à Judice pro impossibilibus sperni ac negligi à Judicis Actuariô. Urgent quidem dissentientes Confessiones lamiarum esse erroneas, cùm concubitus ipsi sint tantum somnia & illusiones. Verùm negavimus in dictis, semper quoad concubitum lamias deludi, & ad confessionem earum replicamus: Credendum potius harum mulierum confessioni contra seipsas factæ, præprimis si hujusmodi se commisisse fatentur, quæ dæmoni impossibilia non sunt. *Delrio in Disq. Mag. Lib.* 2. *quæst.* 15. Inde præsumendæ sunt non delusæ, donec delusæ fuisse probentur. Neque hæc mulieribus sagis, ut jam demonstravimus, somnô depressis internâ quâdam imaginatione, sed plerumque certò & perspicuè vigilantibus accidunt, nec semper nocte, sed sæpe clarâ die videntibus aliis coiverunt cum dæmone. Quâ de re Sprengerus refert, persæpe sagas in agris & sylvis sese retegere, & clarâ die coire cum diabolo, & sæpe retectas in agris visas, interdum etiam hærenteis diabolos (quos homines esse existimabant) à viris suis esse deprehensas, eosque gladio cædenteis nihil effecisse.

LXV.

Adstipulantur Medici, qui ita: Dubitatio est, an Dæmones cum mulierib⁹ aliquando misceantur; quod negare identidem posset multis rationibus; & primò quidem, quia Dæmones sunt substantiæ quædam incorporeæ, & à materia abjunctæ: at nulla hujusmodi substantia propria vi potest aliquã formam inducere in materiam, ut in Phys. & metaph. docet Aristot. Igitur Dæmones virtute propria generare nequeunt, & per consequens neq; concumbere; Nam quorsum actus hic, cujus nullum remaneret opus? *frustra enim*, inquit Aristoteles 1. de Cœlo, *calceamentum hoc dicimus*, *cujus non est calceatio. Deus autem, & Natura nihil frustra faciunt.* Qua in re haud mihi probari unquam potuit Marci illius apud Psellum de Dæmonibus opinio, qui Psello interroganti, num Dæmones pati

pos-

possent. *Et valde quidem*, respondit, *adeò ut nonnulli Dæmonum semen jaciant, atque inde pusilla quædam animalia oriantur. Tum ego*, subjungit Psellus, *incredibile inquam, excrementa habere, & membra genitalia. Habent quidem*, dixit Marcus, *illi membra, sed non talia; excrementum verò aliquod ex illis emanat.* Hæc inquam sententia probari nunquam potuit; quandoquidem semen est substantia viventis corporis, & excrementum ultimæ digestionis per exactam ciborum coctionem; coctio autem functio vegetantis animæ, cujus proculdubio Dæmones expertes sunt. Adde, quòd omne corpus, quod vegetatur, & nutritur, corrumpitur, uti habet Aristoteles 1. de Cœlo cap. 3. Quomodo ergo Dæmon, qui naturæ incorruptibilis est, facultatem vegetativam habere potest? Neque enim vera credenda sunt, quæ omniscius ille Cardan. 16. lib. de variet. refert ex patre, qui cùm triginta, & amplius annos cum Dæmoniis familiaritatem habuisset, ab illis, dicere consueverat, se accepisse, quòd Dæmones oriebantur, & interibant. Adhuc ad actum generationis debita requiruntur instrumenta, qualia sunt genitalia membra: modo Dæmones & hisce instrumentis, & corpore omnino carent. Quòd si dicas ex Cajet. in 2. cap. Divi Pauli Epist. ad Ephesios, Dæmones spiritus esse, aëreo quodam corpore circumvestitos, quod Cajetan. ita probare conatur: *Sicuti enim*, ait ille, *vegetativum invenitur sine sensitivo, & sensitivum sine motivo secundum locum; ita credibile est, reperiri intellectivum sine sensitivo cum motivo tantùm secundum locum, & tales sunt Dæmones.* Resp. Cajetanum in hoc non esse audiendum, ut docet Perer. lib. 8. in Gen. cap. 6. Demùm si Dæmones miscerentur mulieribus, vel in his generarent, vel non. Si generarent, partus inde proveniens nec humanus, nec Angelicus dici posset; patet, quia ex duobus speciei diversæ animalibus fit quoddam tertium, utramque naturam participaas, nec usque modo visa est creatura, quæ Angelicam simul, & humanam naturam retulerit. Si non generarent, ergo frustrarentur ab opere, id quod Angelis minus est conveniens. Quòd si dicas, voluptatis tantum gratia eos lascivire, id quoque minus decet, cùm isthæc voluptas sit bestiarum propria, ab omni cœlesti spiritu aliena prorsus. Ex adverso celebris est Genesis auctoritas cap. 6. quæ torsit ingenia Theologorum: verba sunt hæc:

Cum-

Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filios procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Quo loco pro filiis Dei, videntur intelligi Angeli. Nonnulli veluti Phil. lib. de Gigant. Lactant. Firmianus, Tertull. & alii putant, Angelos realiter adamasse mulieres, & illis incubuisse, assumpto corpore ficto, & aëreo. In tanta ingeniorum varietate, & opinionum diversitate, quid erit ergo pro veritate asserendum? Porrò affirmandum est, Dæmones sub utriusque sexus figura hominibus misceri, quos Incubos, & Succubos vocant. Incubi, qui viri partes efficiunt: Succubos, qui mulieris munera obeunt; unde ferunt, Apollonium Tyanæum magiæ peritissimum sæpè lamias deprehendisse, & prodidisse; Dæmones videlicet quosdam salaces, Venereosque, qui formosas puellas simulent, pelliciantque formosos, quos, ut serpens elephantem ore, sic ille illos ore, vulva pariter exugant, ac prorsus exhauriant. Celebris est inter alias historia, tum ab aliis, tum à Boisardo lib. de Divinat. & magicis præstigiis relata in vita ejusdem Apollonii his verbis: *Eo tempore Menippus quidam adolescens forma singulari à lamia, sive empusa phantasmate amatus est. Solent enim Stryges istæ, seu Genii mali amore formosorum æstuare, & cum iis impudico coitu copulari, & coinquinari, ut postea turpibus pollutionibus fœdatos illos pelliceant, & devorent. Lamiæ hoc spectrum, formam puellæ assumens, adolescentem in ædes sumptuosas, & supellectile pretiosissima ornatas convivio exceperat, omnibus eduliis delicatissimis instructo; eique jam nubere cùm vellet, adveniens Apollonius Dæmonis agnovit technas, adolescentisque misertus exorcismo phantasma repulit, & omnem illum apparatum oculos spectantium fallentem in nihilum redegit, hocque modo miserum juvenem ab imminenti periculo liberavit.* Ita quoque Marsil. Ficinus lib. de vita cœlitus comparanda sentit; & hæc sententia adeò communiter ab omnibus recepta est, ut verendum sit, sicut Martinus Delrio ait, ne pertinaciæ, & audaciæ sit ab ea discedere. Probatur autem hujus axiomatis pendebit omninò à solutione illorum, quæ in contrarium adducta sunt. Quod ergo dicitur, Dæmonem expertem esse humoris seminalis, & vitalis caloris, ac proinde Venereos actus exercere non posse, utique ex vi rationis adductæ non ibimus inficias;

cias; veruntamen non erit negandum, quin valeat loco ſeminis alterius cujusdam humoris effundere portiunculam, ita diſpoſitam, ita paratam, & ſpiritibus calefactam, ut ſceleſtis mulieribus voluptatem afferre queat. Rurſus negari etiam non poterit, quin poſſit aſtu excepto ſemine uti alieni; vel etenim colligere valet clam ex nocturnis pollutionibus, vel inſenſibiliter ex hominum ſpermaticis vaſis exhaurire; eoque poſtmodum ad Venerem abuti. Quare vel uno, vel altero modo ſagarum mulierum libidini præſtò eſſe poterit, quarum nefaria turma ad eam uſque familiaritatem devenit cum cacodæmone, ut minus deterreatur illi ſuccumbere; qui, ut illas petulcas mulierculas in ſua fide ſervet, ſibique perpetuò tributarias efficiat, enixè ſtudet omnibus earum cupiditatibus favere, planèque ſatisfacere, illecebris, & blanditiis iisdem adulari, quousque miſeras de repentè infernis ad æternum ſupplicium occultat. Proh mentis cæcitatem, cordisque ſtultitiam.

I, nunc atque animam fraudi committe doloſæ.

Hoc verò negotium ita contingere, ajunt: ſi mulier, qua cum habet commercium, velit gravida fieri (nam ajunt, illam interrogari à Dæmone, num velit concipere) ſi annuat, ſemen prolificum aliundè aucupatur; ſi renuat, aliquid calidum vice ſeminis infundit, Dicunt etiam, quòd ſi mulier perdita ſcit, Incubum ſuum eſſe Dæmonem, hic fictitium, ac frigidum ſemen infundit; ſin minus deludit, fraudemque obtegere conatur. Verùm ſi Dæmon partes mulieris agit, non tanta opus habet fraude, ſufficit enim, ut præſtet quid ſimile vaſi muliebri; Cæterùm vafer ille motus concinnat impuros, libidinemque uti placet adaptat. Dices, conſtatne aliqua certa hiſtoria, mulierem aliquam ab Incubo Dæmoue concepiſſe? reſpondeo, recenſeri multas à Sprengero, & Binsfeldio: à Torquemada refertur nobilis quædam Virgo Hiſpana; & Molina prima parte quæſt. 5. artic. primo noſtris temporibus ſimilem caſum eveniſſe, teſtatur. Inſuper, ecquid putatis fuiſſe ſemideos, & Heroes illos, quos jactat vana vetuſtas, Hercules, Sarpedones, Æneas, & alios multos? Quid Merlinum illum, quem Anglia novit? Verè quidem natos homines ex Dæmonis, & mulierum concubitu illos fuiſſe, veriſimile eſt; qui quidem perfectiores, fortiores, callidiores omnibus fuerunt, quoniam à Dæmone congenerante

excellentiores causæ congestæ fuerant; & quia semen idem valdè copiosum, summèque calidum, & spirituosum adhibuerat; quod facere Dæmon nullo labere potest: novit enim undequaque vires naturæ, callet secreta, tenet virtutes, quibus ad arbitrium, volente Deo, potitur. Quocirca causas rectè disponendo, & qualitates attemperando potuit aliquam temperamenti symmetriam, adeò dimensam, adeò consonam, atque etiam ad æqualitatem libratam effingere, ut ab illo oriundi perfectionem omnibus numeris exuberantem retulerint. Etenim à temperie corporis optima, & ex omni parte ad justitiam disposita oritur universi corporis conformitas, aptitudo, formositas, agilitas, venustas, robur, & lacertus; quinimò etiam ingenium, & prudentia; unde Divinus Hippocrates primo de diæta scriptum reliquit: quod cùm in corpore pars ignis humidissima, & aquæ siccissima æqualiter temperantur, prudentissimum quid nascitur. Rursus ab æqualitate temperamenti virtutes, benigni mores. Genius optimus, & animi rectitudo proficiscuntur; quoniam mores animi sequuntur corporis temperaturam, ut Aristoteles, Galenus & universim Physiognomonici probare nituntur. Profectò justo cuidam, & ad pondus dimenso temperamento, quale ope Dæmonis haud est impossibile, multi adeò tribuerunt (utinam etiam non nimium Johannes Huartes in examine ingeniorum) ut affirmarent, beneficio illius admiranda quædam opera patrari posse. Quapropter cùm hujuscemodi temperaturam in illis Heroibus astruxisset Angelus nequam, cujus virtute heroicas actiones quotidie agebant usque ad admirationem, vulgus ignarum illos non homines, sed Divis satos existimabat; nec nimis à veritate distabant; ad illorum namque generationem causa quædam supernaturalis concurrerat, ut jure de illis dici posset: *Non mortale sonant*. Hinc Ennius de Romulo dixerat:

O Romule, Romule dic ô
Qualem te patriæ custodem Dii genuerunt;
Tu produxisti nos intra luminis oras;
O Pater, ô Genitor, ô Sanguen Diis oriundum,

Quod idem de Gigantibus dici posset, qui etiam de multorum sententia apud Molinam prima parte quæst. 50. art. 1. ex Angelo,

lo, & muliere congeniti ſunt; quotiescunque enim ſemen copioſiſſimum, craſſiſſimum, atque ſpiritibus refertiſſimum infunditur, proles absque dubio maxima, & Gigantea expectari poteſt: & hac ratione, ne quicquam inſolutum relinquatur, exponitur ab Euſebio illud Geneſ. *Cùm autem vidiſſent Angeli DEI filias hominum, quòd eſſent ſpecioſæ, elegerant ſibi ex illis uxores, ex quibus procreati ſunt famoſiſſimi Gigantes à ſæculo.* Quamvis D. Clemens, Divus Cyprianus, D. Athanaſius, D. Auguſtinus, & alii multi velint, nomine filiorum DEI in loco illo Geneſeos non intelligi Angelos, vel Dæmones, ſed homines natos ex ſancta ſtirpe Seth: nomine autem filiarum hominum intelligi mulieres, quæ erant de ſemine Caini; & non deſunt, qui dicant, nomine filiorum Dei intelligendos eſſe filios Judicum. Sed, ut lector poſt tot ſerias, ac pias doctiſſimorum virorum opiniones, aliam percipiat undequaque ridiculam, ſtolidam, & vanam ad aurium tantum oblectamentum, regiſtrabo Muſulmannorum Sacerdotem ex Alcorano figmentum: Dicunt enim Angelos *Babylone in puteo profundiſſimo vinctos detineri; propterea quòd cùm occurriſſent mulieri, pulchritudine ſingulari præditæ, ejus amore capti ſunt: Mulier Angelorum amplexus admittere prius noluit, donec doceretur, quibus modis illi in Cœlum aſcenderent, & in terras deſcenderent: illi ardore impotenti æſtuantes, verba quædam illam docuerunt, quibus pronunciatis, ſtatim in Cœlum ſublata eſt. Deus admiratus mortalem hominem ante obitum in Cœlum penetraſſe, mulierem interrogavit, qua ratione id contigiſſet; illa rem totam ordine retexuit, & indicavit: quare Deus offenſus Angelos accerſivit, optionemque dedit, ut vel mundo ſuperſtite punirentur; vel poſt mundi conſumationem ſuppliciis æternis afficerentur. Illi temporales pœnas elegerunt finem habituras in fine ſæculi. Quare vinculis ferreis alligati, & palpebris oculorum ſuſpenſi in puteo profundiſſimo, frigidiſſimo, & obſcuritate horrenda metuendo gemunt, & plangent quamdiu mundus durabit; ſed judicio extremo, quod per Chriſtum fiet, liberati, tandem prioribus honoribus, & dignitatibus reſtituentur.*

LXVI.

In Summam redigit dicta *Schottus*, qui ita: Dæmones poſſunt defunctorum corpora aſſumere, vel de novo ſibi ex aëre & aliis ele-

elementis ac mixtis ad carnis ſimilitudinem palpabilia effingere ac formare; poſſunt etiam aſſumpta corpora pro libitu movere, & calefacere, ut conſtat ex dictis cap. 8. ac proinde etiam ſexum, quem naturâ non habent, artificiosè exhibere, & viris ſpecie fœmininâ, fœminis ſpecie virili abuti, & has ſubjicere, & illis ſe ſubſternere. Poſſunt præterea aliunde acceptum verum ſemen adferre, & naturalem ejus emiſſionem imitari. Ergo poſſunt cum fœminis ac viris impudicè commiſceri, & actum Venereum exercere, ſeu incubi ac ſuccubi eſſe. Quod autem ſoleant, docent multa exempla à probatis Auctoribus relata, & credita; quibus omnibus ſi fidem derogare velimus, pertinaciæ notam non effugiemus. Duo recitat *Cardanus lib. 16. de Variet. rerum cap. 93. ex Boëthio lib. 8. Hiſtor. Scotiæ.* Primum eſt de Dæmone incubo, his verbis. *In Marrea regione, uti ex his, qui rem hanc conſpexerunt, accepimus, nuper puella nobilis, formoſaque averſata conjugium, inventa eſt prægnans. Parentes cùm ſtupratorem quærerent, faſſa eſt puella, nocte dieque ſecum formoſiſſimum cubare adoleſcentem, quem unde veniret, non ſciret. Illi tametſi parum fidei reſponſo adhiberent, tertio die, indice ancillâ, cognoſcentes illum adeſſe, cum tædis ac facibus ſubitò ingrediuntur reſeratis foribus; horrendumque monſtrum, & ſupra humanam fidem terribile, incomplexibus filiæ conſpicantur. Accurrerunt ocyùs vicini ad fœdum ſpectaculum; atque inter illos Sacerdos probatæ vitæ, nec ſacræ Paginæ ignarus, Evangelium beati Johannis cùm recitaret, eoque perveniſſet* (& Verbum caro factum eſt;) *Dæmon aſportans cubiculi tectum, incensâ ſupellectile, ſtridere emiſſo horribili, abiit. Fœmina poſt triduum peperit monſtrum undequaque aſpectu fœdum, & quale unquam in Scotia viſum non eſt; quod obſtetrices nè in dedecus familiæ ſervatum eſſet, exſtructâ pirâ, exuſſerunt.* Alterum exemplum eſt de Dæmone ſuccubo; his verbis: *Haud multis annis poſtquam hæc facta fuerant, in Gareotlia regione, vico quatuordecim vix paſſuum millibus ab Aberdonia, adoleſcens multâ formoſitate, coram Aberdonenſi antiſtite queſtus eſt, palàm ſeſe à Dæmone ſuccuba (ut dicunt) gratiſſimâ omnium, quæ vidiſſet, formâ multos ante menſes infeſtatum; eandem occluſis foribus noctu ad ſe ingredi, blanditiis in ſui amplexus compellere, dubiâ luce abire ſine ſtrepitu pænè. Nullo ſe poſſe modo, cùm plures attentaſſet, à tanta ac tam turpi veſania liberari.*

Jubet

Jubet continuò optimus Episcopus adolescentem aliò se conferre, & ut Christianâ religione magis laudatis jejuniis & orationibus plus solitò accommodaret animum; fore ut piis operibus intento, victus cacodæmon tandem terga esset daturus. Evenit adolescenti salubre consilium religiosè executo paucos post dies, uti Venerandus antistes erat præfatus. Simili ratione Diabolus delusit militem, teste *Guilhelmo Parisiensi in summa de Universo*, qui cùm putaret se formosâ potitum virgine, invenit se in complexu cadaveris belluini tabe soluti. Aliud exemplum narrat *Philostratus in Vita* Apollonii lib. 4. cap. 8. Item aliud habetur in Vitis Patrum de Monacho quodam, qui cùm à Dæmone sub specie mulieris formosæ ad obscænos amplexus invitatus fuisset, & jam opere scelus perpetrare vellet; evanuit Dæmon.

LXVII.

Contra Congressum realem nihilominus quædam objiciuntur quæ diluenda, & quidem *primò*, quod Diabolus & fœmina sive homo sint species disparatæ, & proinde ad congrediendum & generandum ineptæ, nec misceri possint. *Secundò*, si Diabolus possit congredi, posse ipsum quoque appetitu Veneris tentari & titillari: si autem appetitus Veneris in illo, appetitum quoque prævium fore cibi & potus, ex quo alter ille oriatur atque sic Spiritus nutriri statuendum esse, adeoque corpore. *Tertiò* constare, quod Lamiæ sæpe deludantur in concubitu suo, quod confessiones Sagarum non attendendæ, cum sint animi malè sani ac dementati, cum quandoque fateantur, se tantum aliquid passas esse in concubitu, modum autem exprimere nequeant: Verum hæc levia sunt, quæ facilè dissipantur. Nam *primò* species diversas non posse misceri, falsissimum est in regno minerali. Annon enim Exempla prostant, ubi ex ferro cuprum fuit productum, ubi metalla fuerunt mixta, ita ut quandoque tertium quoddam fecerint, quandoque in planè aliud transierunt. Falsum in regno vegetabili, in quo ut Sennertus docet ex Zea triticum & vicissim natum est. Falsum in regno animali. Annon enim coeunt Camelus & Pardus, ex quibus Leopardi, Equus & Asina, unde Mulus, Lupus & Cerva, unde Lynx, num homo non per malitiam cum Bestia rem habere potest, cujus pœna in Scriptura definitur *Exod. 22. v. 19.* Præterea

rea miscentur in tali concubitu non Spiritus & Homo, sed Spiritus corpore indutus, utpote qui corpus sibi format, illud assumit & agitat. Denique fac hæc omnia non posse fieri naturaliter, num tamen non fieri nequeunt præternaturaliter. Quis tam audax ut hoc ipsum asserat. *Secundò* non est consequens, si sit in Diabolo concubitus, etiam appetitum ad Venerem in illo fore, cum concubitus absque illo appetitu, quandoque existere possit: sanè concubitus est actus quidam consistens in Conjunctione quadam quæ conjunctio esse potest, utut appetitus desit, inprimis cum concubitus ille non sit naturalis, non sit ex appetitu ingenito propagandi speciem, sed planè citra illum: præterea si admitteremus appetitum esse in Diabolo ad hujusmodi impuritates, non esset appetitus generandi, sed appetitus perversitatis deludendi, & ex motivo hoc hominem ad nefarias Voluptates pelliciendi, luxuriam promovendi, omnis generis fœditates introducendi. Denique neque consequens est, si concedatur appetitus ille perversus in Dæmone, quod necessariò præsupponat appetitum cibi & potus, cum non sit naturalis, non præsupponat coctionem materiæ nutribilis ad semen proprium, quæ aliâs in appetitu cibi & potus naturaliter occurrunt. *Tertiò* quandoque deludi ipsi concedimus lamias, sufficit non semper, adeoque argumentum hoc à particulari petitum non stringit: præterea confessionibus Sagarum in tantum est deferendum aliquid, si scil. confiteantur de re aliqua, quæ naturæ & potestati Spirituum est subjecta, si plura testimonia illarum conspirent, si modus exponatur & omnes circumstantiæ, alia verò est ratio confessionis in illis rebus, quæ vim naturæ transcendunt. Denique quicquid sit de confessionibus illarum lamiarum, sufficit quod quædam actiones, quidam congressus sint veri, quicquid sit de illis, quos quædam deponunt, ubi ex circumstantiis concludi potest fuisse imaginarios, & quemadmodum pro imaginariis quædam deponunt, ita quædam pro veris & realibus.

LXVIII.

Si verò congrediuntur quandoque realiter Dæmon & Homo, si dantur incubi & succubi in regno Sathanæ meritò de partu disquiritur, an nimirum ille sequi ex isto congressu possit; nam & hic divi-

dividiæ. Quidam enim volunt poſſe aliquem fætum edi, inter quos Danæus, Eraſtus, Sprengerus, Alſtedius & alii, quidam negant cum Godelmanno, Wiero, Scaligero, Biermanno, Molitore, Jacobo Rege Angliæ lib. 3. Dæmonologiæ cap. 3. qui ita: Aniles fabulæ ſunt; nec ſuo illis ſuppetente ſemine, & illo è cadaveribus ad generationem inepto; cui nempe, ut ipſi cadaveri, omnis periit vita, & naturalis calor, & plaſtica virtus. Quin ſi partus ſequi poſſet, quod poſſe tota natura negat; non tamen monſtrum naſceretur, ſed talis planè ſoboles, qualem ex eâdem fœminâ genuiſſet homo vivus, cujus è cadavere ſemen exemptum eſt. Nihil enim ad hoc negotium confert Dæmon, niſi quod ferat & infundat ſemen; ut ſcias nullam ab illo qualitatem participari. Poteſt quidem impoſtor ille, fœminæ, cui vitium fecit, uterum attollere, aut infantis menſtruis, aut herbarum ope, quod faciunt mendicæ; &, appropinquante tempore, concitare dolores partûs, ſimiles omnino veris; tumque in manus obſtetricis lapidem lignumve indere, aut monſtrum infantis aliunde advecti. ſed fama publica in his facilior eſt, quam fides mea. Sunt, qui dubitant & malunt ἐπέχειν, quam certi quid definire, ut Percrius in Geneſin lib. 8. §. 3. de quo vide ipſum. Nos ſubſcribimus poſteriori ſententiæ & aſſerimus non poſſe hominem niſi ex homine generari. Nam *primò* diſertè Apoſtolus Paulus in Martio colle profitetur, Deum feciſſe ex uno ſanguine omne genus ſive totam gentem hominum *Actor. 17. v. 26.* dicit Deum feciſſe, non Diabolum, dicit ex uno ſanguine, non ex diverſo diverſos, dicit denique feciſſe omne genus hominum, totam gentem πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, unde etiam Hieronymus contra Helvidium: Omnes homines ex uno Patre nati. Lactantius ante ipſum lib. 6. parag. 10. Ab uno homine, quem Deus finxit omnes gignimur, & poſt: Unus Homo à DEO factus eſt, ab eoque uno omnis terra humano genere completa eſt, quibus adde iſta Theodoreti περὶ προνοίας ſeptimo. Ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς μίαν εἰργάσατο πάντων τῶν ἀνθρώπων τὴν φύσιν, καὶ ἐξ ἑνὸς ἀνδρὸς καὶ μίας γυναικὸς ἅπασαν τὴν οἰκουμένην τοῦ δὲ τοῦ γένους ἐπλήρωσε refellit Errorem tunc communem Athenienſium & Arcadum, qui ſe αὐτόχθονας ſive Aborigines ex luto terræ propriè formatos eſſe jactabant, nec majores ſuos aliundè veniſſe, dicit de-

nique

nique v. 28. nos genus DEI, ſive progeniem eſſe. Si autem hoc non poterit Diabolus generare, non poterit homines producere, non poterit quosdam in hanc Orbis ſcenam intrudere. *Secundò* qui gignit ille ex ſubſtantia ſua aliquid producit. Eſt enim generatio, productio viventis à vivente in ſimilitudine naturæ ſic Deus produxit Filium, ſic planta generat ſemen, ſic animal, lupus lupum, ovis ovem, homo hominem generat, jam Diabolus non generat ex ſubſtantia ſua aliquid producendo, aliâs alium Diabolum generaret, ſed ex ſemine aliunde rapto aliquid conſimile molitur, in forma corporea aſſumpta & aliena, quomodo itaque dici poteſt, quod ſubſtantiam hominis producat. *Tertiò*, ſi Diabolus generat, aut producet tantum animam, aut tantum corpus, aut utrumque: ſi prius opus DEI perficiet, qui ſolus dicitur Spiritum hominis formare in medio illius, aget ultra vires à natura conceſſas, cum ne Angelus bonus quidem poſſit animam quæ imaginis divinæ capax producere, ſi corpus, unde itaque anima erit huic corpori, & corpus absque anima non hominem repræſentat integrum, ſi denique totum, animam & corpus ſuppeditabit, atque ita in utrumque incidetur abſurdum, nempe animam ſive vitam ſubſtantialem & intellectualem eſſe à Diabolo, & corpus ſive ſyſtema illud exactè ordinatum omnium membrorum, quod refert Deum artificem, & quomodo poterit Diabolus ſubſtantiam hominis producere, cum regulariter non niſi duo modi ſubſtantias producendi occurrant nempe creatio, quæ eſt opus ſolius DEI & generatio, quæ non eſt niſi viventis in ſimilitudine Naturæ.

LXIX.

Sed habent quod reponant diverſim ſentientes. Nam *primò* cauſantur Diabolum verè poſſe congredi, cum Lamiis ex noſtra confeſſione poſſe requiſita generantis viri adumbrare, corpus formare, vegetare, activa paſſivis applicare, per modum ſeminis aliquid à maſculo acceptum vel captum in matricem mulieris transfundere, poſſe etiam illud à muliere geſtante ulterius elaborari, ut inde fætus aliquis exſurgat nec propriè illum Dæmonis eſſe, ſed viri unde ſemen arreptum, & mulieris, quæ illud elaboravit ſuſcipiens. *Secundò* poſſe Dæmonem ſemen vel per pollutionem, vel ſomniationem nocturnum ejectum excipere, deferre, calorem

ejus

ejus prolificum in partibus ſpirituoſis & aëreis radicatum aliquousque conſervare, ad tempus cohibere, ne diſſipetur, mulieri optimè diſpoſitæ communicare, & ſi ſemen in cucurbitam repoſitum, atque in fine aſſervatum poſſit tranſire in hominem naturaliter quaſi, cur non Diabolo quoque hoc tribuatur miro & agillimo Artifici rerumque naturalium peritiſſimo. *Tertiò* Exempla proſtare, ut fruſtra ſit qui hoc negare auſit, dari enim Campſores, ſive Cambiones, Wechſelbälge/ Wechſelkinder / Kielkröpff & alios illius generis, qui nihil aliud ſint, quam fætus Dæmonis, qui vel verè nati ex tali coitu, vel aliundè abrepti & ſuppoſititii. Sic in Brabantia mulierem ex Sathana peperiſſe, ſic in Marrea Regione puellam nobiliſſimam immane Monſtrum ex Sathanæ coitu protruſiſſe. Sic mulierem aliquam ex ſpectro ſpecie viri marini compreſſam, puerum edidiſſe, qui miles fuerit & poſtea etiam genuerit, ex quo familia nobilis, quæ ſe marinos cognominarit, imò Sathanam ſæpe Interrogare Sagas utrum ex ipſo gravidari velint, quod facturum non credibile niſi genituram ita attemperare poſſet & noſſet, ut partum quandoque ſuccedere poſſe conſtet. Vetuſtas ſuos obtrudit Semideos, Hercules, Sarpedones, Æneas, Servios, Tullos, Anglia Merlinum, Pannonia Hunnos, ex Arlunis Strigibus, Gothicis & Faunis natos. Gieza cap. 27. pag. 2. hiſtor. Peruſ. ſcribit. In Hiſpaniola ſolitum Corcoton Dæmonem miſceri mulieribus & ex eo natos bicornes naſci. Chinenſium quoque Ducum ſtemma huc retulit Helimandus libr. 4. apud Belluacenſem. Xacam ſuum Japones talem eſſe volunt, nec deſunt, qui Lutherum in hanc Claſſem retulerunt, & ante ſexennium in primario Barbantiæ Oppido, punita fuit mulier, quod ex Dæmone peperiſſet, & noſtris temporibus id contigiſſe etiam Ludovicus Molina ex noſtræ Societatis Theologis prodidit, & complures alii gentium diverſarum Scriptores allatis exemplis confirmarent. Unde illam generationem Dæmonum affirmarunt olim Ægyptii, communiter Scholaſtici, qui omnes etiam optimi Philoſophi fuerunt.

LXX.

Num verò hæc concludant, meritò dubitamus, nam quamvis congreſſum realem quandoque fieri poſſe non negemus, tamen cum impuræ illæ vetulæ non intendant liberorum genera-

tionem & productionem, ſed appetitus libidinoſi exſatiationem, nec Diabolus nequam ille Spiritus aliud velit, niſi ſatisfacere illis, quas per libidinum expletiones decepit, quidni ſubſiſti poſſit in congreſſu, qui ſatisfacit illius furfuris hominibus, nec opus ut ad conceptionem fœtum & partum uſque progrediamur: præterea omnia illa requiſita ita comparata ſunt, ut nihil aliud probent, quam Dæmonem quandoque verè congredi cum Lamia, nam quod transfundit ſemen, quod geſtat & ulterius elaborat fœmina, illud non niſi congreſſus realitatem demonſtrat, quanquam meritò dubitemus, an fœmina excipiens ſemen illud elaboret, & non confeſtim effundat, vel illud ipſum à Diabolo iterum tollatur: denique Diabolus in tali caſu, ſi ſupponamus aliquid produci, ſi natum non ſit Diaboli, non erit ille pater, ſed Cauſa tantum moralis, habebit iſtiusmodi genitus patrem aliquem, qui tamen non congreſſus fuit cum fœmina, qui ſemen ejaculatus non fine generandi, qui extra conjugium & conſequenter Benedictionem divinam, ſine qua nihil generari poteſt *Gen. 1.* quique pater dici non poteſt, nec mulier ſuſcipiens illud ſemen habet ſeſe in debita τάξει quam Deus conſtituit, de qua *Gen. 1. v. 28.* *Secundò* poſſe Diabolum iſtiusmodi ſemen ejectum abripere concedimus, ſed calorem ejus prolificum num conſervare poſſit meritò dubitatur, tale quippe extravaſatum cum conſtet tenui & ſubtiliſſimo confeſtim diſſipatur, atque eodem deſtituitur, ut proinde prolificum eſſe deſinat, quamprimum ejicitur extra vas debitum. Ponamus autem illud eſſe prolificum, poſſe Diabolum conſervare debitum calorem, poſſe etiam turgidam reddere fœminam, nihilominus non poterit ipſam gravidare, fæcundare, quod ſolius Dei, qui habet clavem uteri & ſecundum Rabbinos inter reſervata ſua. Hinc Wierus refert lib. 3. cap. 34. Mulieris cujusdam uterum in Flandria hunc Spiritum expendiſſe, quaſi imprægnata eſſet, poſtea onere ſeſe levatam eſſe ſenſiſſe, cum tamen nullus partus apparuerit. *Tertiò* Bodinus cap. 7. Dæmonologiæ paragrapho primo refert de Johanna Herwilia, quod confeſſa fuerit, ſibi cohabitaſſe Diabolum, ſicut maritus & uxor ſibi εὔνοιαν præſtare ſolent, verum ſemen fuiſſe frigidum, ſi itaque ſemen frigidum, non erit calore naturali & debito inſtructum, adeoque non prolificum; idem ex Extracto exuſtarum habet, quod

quod Diabolus ferè dimidiam horam illam ſubagitarit Margaretham Bremontiam, ſed ſemen emiſſum valdè fuiſſe frigidum, quod etiam confeſſa Johanna Guilleunia. Denique quod Cambiones attinet, negamus illos generari. Nam ſunt illi nihil aliud niſi incarnati Diaboli, & ſi eſſent ex generatione Diabolus Diabolum generaret, atque in ſua ſpecie ſeſe multiplicaret, quod oppido abſurdum. Deprehenſum quippe eſt regi à Diabolo tanquam forma aſſiſtente & carere anima, quam Diabolus nequit producere, ad tempus fatigaſſe parentes, illuſiſſe illis & cæteris, & tandem diſparuiſſe, quod ſi verò fuiſſent vel eſſent homines, non diſparerent, ſed, ut orti ex generatione, ita quoque regulariter morerentur, & Spiritum ſuum Deo commendarent, deprehenſum eſt per omnem vitam illos inſigniter vorare, fædos & turpes ſe exhibere, qui, ſi anima inſtructi eſſent ordinariè nutrirentur, creſcerent, adoleſcerent, & tandem ad artificia vel ſtudia adhiberi poſſent, quod omne de iſtiusmodi Campſoribus negandum. *Secundò* Exempla, quæ producuntur contrarium luculenter evincunt: nam inter illos refertur immane monſtrum cujusdam, qui fuit Sathanas, non ex fœmina genitum, ſed aliundè addictum & celerrimè ſuppoſitum. Refertur aliquam compreſſam à viro marino puerum edidiſſe, qui miles fuerit & familiam ſuam nobiliſſimam Marinorum propagarit, finge illos baptizatos eſſe, & per Baptiſmum fœderatos Deo quomodo id quod ex Sathana poteſt Deo copulari. Rogare Diabolum, an imprægnari velint concedimus: ita enim Bodinus refert de Johanna Herwillia, verum quid non interrogat, quid non promittit pater mendacii, nec annuit ipſi illa ipſa Johanna, quod forſan præſcivit & propterea interrogavit ſive promiſit, qui nec ſtare promiſſis potuit, nec ſi ſtetiſſet reipſa præſtitiſſet, ſed per ludibrium, &, qui illi ſemidei niſi homines ex hominibus geniti, qui aliquo facto ſeſe inſigniores reddiderunt cæteris, ut de Hercule, Sarpendone, Ænea, Servio Tullo & cæteris conſtat, Merlinus quoque in Anglia non fuit à Diabolo genitus, ſed inſignis ſecundum opinionem communem Magus. Imò quod tota alia Gens ex Arlunis, Strigibus, Gothicis & Faunis nata ſit planè eſt incredibile; Ita enim non omnes gentes eſſent à DEO, nec ſi naſcuntur bicornes ex commixtione, cum Dæmone naſcuntur propriè, ſed

ſunt ipſi Diaboli aliunoè adducti. Clivenſes verò Duces eſſe ex Diabolo atrox injuria eſt in illos, nec quod Japones credunt cæci, nobis perſuaſum eſt, qui duplici oculo Scripturæ & Naturæ inſtructi profundius videmus. *Tertiò* B. noſtrum Lutherum dum accenſent iſtiusmodi Cambionibus ſive natis ex incubo Diabolo meram calumniam redolet; tùm quia omni deſtituitur veri Hiſtorici Teſtimonio etiam papiſticæ religioni addicto; tùm quia, ut ex actis conſtat illum patre Johanne Luthero, & matre Margaretha Luders Anno 1485. die 4. Novembris Islebiæ in Comitatu Mansfeldenſi natum in Templo S. Petri poſtero die baptizatum; tum quia quæſtionem illi non moverunt legitimæ Nativitatis vel Leo, vel Cæſar, inter Papiſtas fuit educatus, ad Profeſſionem vocatus, & ad Officia publica eccleſiaſtica ab illis admiſſus. Videatur Mattheſius in illius Vita.

LXXI.

Maximè verò urget Diſſentientes in hoc puncto Controverſia de ſuccubis, num ſcil. Dæmon mulieris vice Viro ſuccumbens ex coitu Vîri aliquid progignere poſſit. Nam cum longè plura requirantur, ut mulier concipiens generet ac in Viro ſemen emittente, nempe receptum retinere, digerere, elaborare, corpus conſtruere, alere fætum & quæ ſunt cætera, quæ moram aliquam temporis requirunt, ſpatium aliquot menſium, & tandem edere partum, ſuſtinere nixios labores, & infantes alere, lacte nutrire & quæ ſunt cætera, ideoque hærent hîc etiam illi qui Incubos propugnant. Producunt quidem Meluſinas, Empuſas & ſimiles fœminas, quæ cohabitent Viris & liberos ex illis tollant, verum hæc fabuloſa eſſe communiter agnoſcunt. Nam *primò* mulieres illæ mera ſpectra fuerunt & phantaſmata, unde facilè dijudicare licet quales illarum partus, nempe tales, quales parentes. *Secundò* tales fuiſſe partus vel ex eo patet, quod poſt aliquod tempus diſparuerunt, non evaneſcituri, ſi aliquid ſolidi fuiſſent. *Tertiò* liberi illi fuerunt aliundè adducti à Sathanâ, vel Dæmones in carne aſſumpta apparentes & hominum ſenſibus illudentes. Sic mendicus quidam talem puerum per Galliciam & Aſturias circumgeſtavit, quem poſtea Dæmonem faſſus eſt, qui ab omnibus Eleemoſynas ipſi promiſit, quamdiu ipſum ita circumlaturus eſſet, ut fruſtra

ſint:

ſint, qui tales producunt: Certè Ægyptii qui affirmabant aliquid poſſe ex incubo generari, negabant tamen ex ſuccuba poſſe aliqnid prodire, adeoque malè Paracelſus, Nollius, Kormannus, Hildebrandus & alii tales mulieres dari exiſtimant, & medias fingunt inter Angelos & homines, cum quicquid illi dicant, deſtituatur experientia, probatione ſolida de medio aliquo inter hominem & Angelum, cum tale medium non detur per negationem utriusque extremi, nec per participationem utriusque.

LXXII.

Abſurdum eſt itidem quod Delrio hîc concludit, & dicit: Poſſe Dæmones efficere, ut virgo mente & corpore permanens non tamen ſine virili ſemine concipiat. Et probare ſatagit hoc ipſum ex eo, quia poteſt virgini dormienti & ignaræ aliunde ſumptum, verum & fæcundum ſemen ſine congreſſu carnali, hymene aliisque clauſtris virginitatis incorruptis infundere. Ut autem in partu virginitas conſervetur, hoc Dæmon nequit. Nam *primò* grandem aperit portam hâc Aſſertione libidinoſis puellis, quæ poſſunt prætendere, ſi ex alio uterum habent, ſeſe à Dæmone eſſe compreſſas, dormientibus & ignaris illud accidiſſe, & quam facile erit monialibus & Monachis congredientibus excuſare illam conſuetudinem prætextu ſupervenientis Diaboli. *Secundò* Judæis ponitur inſigne ſcandalum, qui paria poſſunt de ſanctiſſima Virgine ſuſpicari, hoc telum in nos torquere & dicere, poſſe etiam Virginem ſine opera viri concipere & uterum ferre. *Tertiò* ratio illa quam annectit planè nulla eſt, planè propudioſa; quomodo enim Diabolus poteſt ſemen aliundè ſumptum, verum & fœcundum infundere, cum extravaſatum confeſtim calorem amittat debitum & Spiritus diſſipentur? quomodo poteſt tanta poteſtate uti in Virginem, quæ ſub umbraculo divinæ providentiæ ita, ut quidem Diabolus illam repræſentare poſſit in cœtu Sagarum, verum nunquam illudere pudicitiæ illius, quam ſalvam incolumem & illibatam Deus conſervare vult? quomodo poteſt hymene aliisque clauſtris virginitatis incorruptis infundere? annon enim ad fœtum concipiendum requiritur debita motio, annon clauſtrorum virginalium & hymenis ruptura. an incredibilia credemus Hiſpano & illis, qui ipſum ſequuntur incautè & aſſerunt poſſe quidem illud Dæmonem, ſed in-

incorruptis virginitatis clauſtris. Hic enim non penetratione quantorum opus eſſe & majora à Sathana præſtari poſſe certum eſſe, nec veram contradictionem in Eſſe rei conſequi opus eſſe. Unde etiam eum deſerit Zachias lib. 3. q. 8. §. 10. qui ita: non obſtantibus hic dicendum eſt, Mulierem non poſſe absque eo, quod à viro cum effectu, & realiter cognoſcatur per omnimodam applicationem membrorum generationis, ullo modo concipere: unde neque, ſi vir non erigat, neque ſi membrum illi penitus, aut magna ex parte ſit abſciſſum, neque ſi prope vas aliquo modo polluatur, poteſt mulier ex eo concipere. Faciunt pro hac ſententia Mercurial. *lib. 1. de morb. mul. cap.* 2. & Laur. Anatom. *lib. 7. q. 1.* & ex Canoniſtis Delrius, qui & Laurentii auctoritati accedit, & Majol. vel ad eum ſupplentes *dier. canic. tom.* 2. *coll.* 3 qui ſuperiorem opinionem derident. Neque deſunt ad hoc probandum rationes, & argumenta nonnulla: nam primò Natura fruſtrà machinata eſſet tot inſtrumenta ad ſolam membri erectionem celebrandam: imò ſuperfluus omninò eſſet ipſe actus erectionis, & incommodum absque utilitate afferret: quem tamen eum habere finem, ut facilè, ac promptè Penis in uterum intromittatur, & ſemen validiùs ejaculari poſſit, notiſſimum eſt, & docent Anatomici: nam aliàs poterat absque ea erectione, non ſecus ac in mejendo fit, ſemen excerni: ſed quia urinam in alienum corpus ejaculari non oportebat, in ea reddenda non fuit neceſſaria Penis erectio, in ſeminis verò excretione maximè.

LXXIII.

Nolumus tamen illi negare, Dæmones cum Sagis nonnunquam præpoſteram exercere libidinem, quod quidem negant, Antonius, Ponzinibius, Benedictus & alii, neque id compertum fuiſſe confeſſione Sagarum Hiſpaniæ, Germaniæ & Galliæ, cum tamen de Sagis Italiæ id quaſi notiſſimum affirment Sylveſter, Prierias, Ananias lib. 4. de natura Dæmonum, nimirum nihil adeò ſordidum quod non χαλκεργὸς iſte ſubeat, ut hominum animas certiore exitio involvat. *Secundò*, ſi quandoque non obnoxios, non devotos ſibi inflammat ad iſtiusmodi ſcelus patrandum, ſi omnis impuritatis inter homines author eſt, quidni hoc ipſum genus ſceleris quoque attentet in Sagis, in Magis, in Veneficis, ut ſcil. illas omni-

omnimodè fædet. *Tertiò* quo gravius peccatum, eò magis delectatur ille Sathanas, duplicatum autem est hoc genus sceleris tum ex congressu cum Sathana, tum ex præposterâ ratione & indebito vase, nec ratio ulla est in contrarium quæ oppositum demonstret, vel hærentem in hoc puncto convincat.

LXXIV.

Audiam' hîc ex JCtorum ordine Sententiam, quæ ita habet: Existimant haut levis notæ eruditionis Viri, Satanicæ hujus sodomiæ dari *effectum permanentem* talem, ut proles exinde quandoque nasci queat. Uti hanc opinionem masculè propugnant *Paul. Ghirl. de Sortil. q. 7. n. 12. Bodin. de Maj. dæmon.* L. 2. c. 7. *Mart. Delr. disquis. Maj. d. lib. q. 15.* dicentes, Diabolum in coitu generare ex spermate alieno seu alicujus Viri in somniis polluti, aut in vigiliâ, quotiescunque Dæmon in formâ succubi, i. e. mulieris, se viris subjiciens, sperma illorum excipit, & quantò citius velocissimè in formam incubi seu viri, se iterum transformans, ad Sagas accedit, dictumque sperma locis naturæ congruis applicat, ut exinde sequatur prægnantia mulieris, & infantis generatio, non secus ac si mulier cum naturali viro coitum habiisset. Infantem tamen, si quis oriatur, non dicendum esse filium dæmonis, sed illius cujus erat sperma. Verùm Nos huic singulari opinioni summæ auctoritatis Virorum, palpum obtrudere salvâ veritatis luce non possumus. Cùm semen à diabolo acceptum extra naturalia sua receptacula vim vitalem retinere non possit, nec semen prolificum à dæmone tantâ celeritate perferri queat, ne id in viâ spiritum, vitalem calorem & virtutem πλαςικὴν, sine quibus tamen nulla procreandi facultas est, amittat; Et licet vel maximè eô momentô, quô mulier ad concipiendum optimè est disposita, illud muliebri semini commisceat, nulla tamen gignendi causa esse potest. *Petr. Theod. in Coll. Cr. D. 7. θ. 3. lit. N. in fin.* Nam communiter fatentur lamiæ, semen à diabolo immissum glacie quâvis frigidius esse, adeò, ut sæpe toti corpori horror ingruat. Quid? quod, si reverâ contingeret à dæmone generatio, par certè esset credere, in tot variis rerum successibus Sagam designatam, notatam, proprioque nomine demonstratam inventamque fuisse, cui imprægnatio contigisset absque humanô congressu, solô dæmonis obscænô tremendôque comple-

xu interveniente. Jam verò partum talem nullus unquam vidit, nec Sagam reverà à diabolo impraegnatam, licet longâ experientiâ, obſervavit nemo. Nec nobis obſtat, ſagas nonnunquam à diabolis incubis interrogari, an gravidæ ex ipſô velint effici? Cujus rei exemplum refert Bodinus *de Mag. dæmonom. Lib. 2. cap. 7.* Ex tali enim interrogatione non poteſt inferri; Interrogat dæmon; Ergò poteſt reverà generare. Quoniam naturis planè incompatibilibus talis copula intercedere nequit, ex quâ perfectum aliquod & completum ens oriatur. Conſequens proinde eſt, dæmonem ſagas reverà non impraegnare, ex quô partus aliquis prodire poſſit: Sed uterum tantum ſagarum tumoribus implet dæmon, ut nihil aliud credant, quàm ſeſe impraegnatas eſſe; Ubi verò tempus partui edendo appropinquat; *Aut* dæmon obſtetricis munia obiens, infantulos aliis ſurripit, & laborantibus ſubjicit. Quod etiam B. Lutherus *aliquot in locis* confirmat, dum ſcribit: Poteſt eſſe, ut diabolus rem habeat cum lamiis & ſagis, ſed quod ex illo congreſſu liberi procreentur, hoc nihil eſt. *Et alibi;* In ſeinen Tiſch-Reden Tit. Vom Teuffel und ſeinen Wercken / ubi inter alia de generatione diſcurrit: Unſer HErr GOtt gebraucht zur Schöpffung andere Menſchen als ein Mittel / und durch dieſelben wircket er alleine / und nicht durch den Teuffel / darumb / ſo müſſens geſtohlene Kinder ſeyn / wie denn der Teuffel wohl Kinder ſtehlen kan / wie man bißweilen Kinder in ſechs Wochen verleuret / oder müſſen ſuppoſititii ſeyn / Wechſelkinder / die die Sachſen nennen Kühlkröpffe / ꝛc. *Aut* etiam diabolus ſe ipſum in formâ infantum, qui cum nutricibus magis congrediuntur, & plerumque in incertum abeunt, ſupponit vel ipſis ſagis, vel Parentibus, quibus infantulos ſurripuit, quos vulgus vocat *Cambiones*, Wechſel-Kinder / quippe, ut habet Sprenger. aliis longè graviores ſunt, macri, &, qui ne tribus quidem aut quatuor nutricum rumis exſuctis pingueſcunt, & tandem poſt aliquot annos evaneſcunt. Quod minimè fieret, ſi ex ſemine humano eſſent nati iſti infantes, ac non ipſe dæmon, ſe in ſpecie puerorum parentibus ſubſtraviſſet. Nota procul dubio erit omnibus Hiſtoria, quam narrat Delrio *Diſq. Mag. L. 2. quæſt. 5. de puero quem per Galliciam & Auſtriæ Hiſpaniæ ante annos 15. Mendicus quidam ſummâ cum defatigatione*

humeris

humeris bajulabat; Cum quidam à Delrionis comitibus, eum in itinere repertum prope flumen, ut transvadaret, misericordiâ motus retrò se in jumentum sustulisset, vix valida bestia eum potuit in alteram ripam exponere. Paulò post mendicus comprehensus fassus est, eum puerum non puerum, sed diabolum fuisse, qui sibi promisisset, omnes se ad eleemosynas ei conferendas pellecturum, quamdiu sic conferretur habitu morbosi pueri & fasciis involuti. Cur non eôdem modô diabolus Lamias suas, aut alios in formâ infantili decipere potest. Ex quibus omnibus quidem concludimus cum incomparabilibus Viris Theologis & JCtis, qui à nostris stant partibus *Div. Aug. L. 15. de Civ. Dei c. 15. Damasc. Lib. 2. de Fide c. 3. B. Luther. ad cap. 6. Gen. Ulric. Molitor. de Lam. & Pyth. mul. c. 10. p. 86. Remig. 1. Dæmonol. 6. Rex Angl. Jac. 3. Dæmon. p. 159. Phil. Ludw. Elich. in Dæmonom. c. 9. Petr. Gregor. in Syntag. J. Univ. Lib. 34. c. 20. n. 26. Ambros. Paræus L. 24. c. 16. Alph. à Caranza de partu legit. c. 20. n. 98.* ex concubitu dæmonis cum sagis non posse sobolem legitimam edi quocunque etiam spermate viri adhibito: Non tamen prorsus excludimus, posse ex diaboli concubitu effectum aliquem sequi, & produci partum non humanam formam referentem, sed bufonibus, vermibus & erucis similem, quas, Elben oder böse Dinger vocant, quas diabolus laborantibus vel substernit, vel locis muliebribus immittit, quasque postmodum ad nocendum hominibus reservant & adhibent immissis eis per fascinationem in crura, brachia aliave inimicorum membra. Quod confirmat Dn. Carpz. *in Pr. Cr. P. 1. Q. 49. n. 39. & Quæst. 50. n. 66.* benè multis sagarum confessionibus. Ubi in sententiis Lipſ. XXI. habentur hæc verba: Wann sie mit jhren Buhlen zuschaffen gehabt/ hätte sie weisse Elben/ und derselben allezeit zehen bekommen/ so gelebet/ spitzige Schnäbel und schwartze Köpffe gehabt/ und wie die junge Raupen hin und wider gekrochen/ welche sie zur Zauberung gebraucht/ jhr Buhle/ auch ehe sie gebuhlet/ etliche gebracht. Sent. XXIII. Darauff sie nach verzichtetem Werck alle viertel Jahr ein paar Elben gezeuget/ welche eines Fingers lang gewesen/ und gantz bundstreiffig ausgesehen/ wie die Raupen Sent. XXIV. sie hätte mit jhrem Buhlen böse Dinger oder Elben erzeuget/ die sie in ein Töpfflein gesetzet/ und jhnen Brot zu essen gegeben/

theils auch ins Wasser geworffen Sent. XXVI. Nach solcher Vermischung wären die Elben von jhr kommen/ so wie schwartze und graue Fliegen ausgesehen Sent. XXIX. Sie hätte zwey Kinder von jhm gezeuget/ welche wie der böse Volant gestalt gewesen/ dieselbe hätten sie auff einmahl zur Welt gebracht/ wäre aber kein Leben oder Menschliche Gestalt an jhnen zuspüren gewesen/ derowegen sie dieselben ins Wasser geworffen. Et Sent. XXXV. Und habe von jhm fünff Paar böser Dinger gezeuget und geboren/ wären wie weisse Würmer gewesen/ und hätten schwartze Köpffe gehabt/ die habe sie der Hirtischen Margarethen in das lincke Bein gebracht und gezaubert durch nachfolgenden Spruch, quam omitto.

LXXV.

Pergimus à congressu Dæmonis, à negatione partus ad decantatam Metamorphosin, sive transmutationem hominum in lupos, in feras, in hircos, serpentem, avem aut aliud aliquod Brutum & expendimus: Num illa sit realis & substantialis, num verò accidentalis tantum vel etiam fictitia & præstigiatoria. Nos non possumus substantiali mutationi annuere sequentibus fundamentis nixi. Nam *primò*, si esset possibilis istiusmodi Transmutatio, aut esset talis ratione materiæ humanæ, aut ratione formæ, aut ratione compositi. Non primum admitti potest, quia materia humana, sive corpus hominis est determinatum ad certam formam, ita ut quamdiu sub illa sit, sub alia esse nequeat, non alterum, quia sicut forma dat Esse distingui & operari, sicut determinat subjectum suum, ita nequit transire de subjecto in subjectum, alteri locum facere formæ, eo ipso quo Esse specificum alicui largitur & proprias suas dispositiones requirit, non denique tertium, quia hoc jam ex materia & forma specifica specificum factum est, eoque alterius specifici per istam Determinationem specialis materiæ ad certam formam capax non est, videatur Thyræus lib. 1. cap. 18. si dicas cum Bodino hoc fieri ratione Efficientis, in cujus viribus sita sit illa Metamorphosis, premeris naturâ & indole Efficientis, quia habet certam sphæram activitatis, ultra quam transcendere nequit, neque ulla causa transmutare potis est formas essentiales rerum, nisi cum abolitione ipsarum, & præterea hoc fieret

ret vel naturaliter atque ſic per generationem vel creationem, utrumque autem opus removetur à *Diabolo*, qui nec generare poteſt, nec creare, cum hoc ſolius ſit DEI, vel ſupernaturaliter, at ſic annihilatio prioris & creatio poſterioris requiritur, denique vel eſſet cauſa univoca vel æquivoca, non prior, nam nulla eſt analogia inter diabolum, hominem & lupum, quæ ſpecie differunt, imò ut corruptibile & incorruptibile, materiale & ſpirituale, ſi æquivoca produceret illam mutationem, transformaret hominem in lupum, ut Sol ranas producit, adeoque nonniſi prævio ſemine lupino, quod oppido abſurdum. *Secundò*, ſi poſſibilis eſſet Lycantropia vel mutatio talis, aut anima maneret rationalis in corpore lupino vel ferino, aut aboleretur & interiret, ſi prius nõn haberet anima domicilium ſibi aptum, ſibi diſpoſitum, ſed corpus lupinum & organis lupinis inſtructum. Si poſterius admitteremus mortalitatem animæ vel migrationem pythagoream introducere neceſſum eſt. Denique *tertiò* novimus hominem ad Imaginem DEI conditum, dominium creato in Bruta animantia conceſſum eſſe *Gen. 1. v. 27, 28.* quanquam autem poſt lapſum amiſſa ſit Imago divina & deperdita tota totaliter, quamvis dominium illud in Bruta ſit imminutum, tamen homo capax eſt poſt lapſum Imaginis divinæ redintegrandæ, quomodo autem aſſeri poteſt in Beſtiam mutari illum, qui capax eſt Imaginis redintegrandæ, quomodo dici poteſt dominari in Bruta, qui ipſe Brutum atque in illorum cenſum eſt referendus. Videatur Biermannus, qui ita: Sed quid tandem de λυκανθρωπίᾳ, ac ſimilibus μεταμορφώσεσι, tantum celebratis, decernis? Deſcribit Ariſt. 7. Eth. cap. 1. & 6. θηριότητος, ὑπερβάλλουσαν τῆς ἀνθρώπου κακίαν, quæ appetitum hominis in beluinum convertit, excluſa aut perverſa ratione. Hujus triplicem cauſam notat. Alia enim eſt, Διὰ μοχθηρὰς φύσεις. Quando natura humana in beluinam degenerat. Ea eſt quarundam gentium feritas, quæ nudo incedunt corpore, palant in ſylvis, veſcuntur carnibus crudis, etiam humanis, exhibent epulis ſuos liberos. Alia eſt feritas genita morbo corporis: Ut ut gravidis, vitio humorum ſæpe excitatur deſiderium abominandorum ciborum, calcis, picis, terræ: & in melancholicis ac phreneticis è temperiei corruptione motus oriuntur ferini, & ab homine ſano alieni. Alia verò

rò est feritas, prava consuetudine contracta. Sic Clemens Spartanorum Rex, è longa cum Scythis helluatione eò feritatis pervenit, ut suos sibi artus detruncaret ferro. Quid prohibet, quartam his addi causam? sævitiam Diaboli, qui impios quidem omnes ad dissolutam vitam deducit, sed quorum animos per vim tenet, eos ad facinora, non solum humano, sed & beluino appetitu deteriora impellit. Talem immutationem hominum nos in Sarmatiæ provinciis (de quibus magna λυκανθρωπῶν fama est) observavimus non figuram aut formam, sed appetitum humanum exuentem. Reliqua autem, quæ de Magicis rerum conversionibus circumferuntur, aut nunquam visa esse; aut si qua visa sint, non rem videndam, sed oculum videntis, fascino fuisse oblæsum: aut si inviolatus perstiterit oculus; rem videndam subdolè fuisse subductam, aliamque illius in locum substitutam, planè asseveramus.

LXXVI.

Exempla prostant varia istiusmodi mutationis: Socii Ulyssis à Circe Maga in varias animantium format, teste Homero; & socii Diomedis in aves fuêre transformati. Scythiæ Europeæ populi Neurii dicti, teste *Pomponio Melâ lib. 2. c. 1.* statis temporibus convertebantur in lupos, iterumque in homines Arcades, ut *Varro* tradit apud *D. August. lib. 18. de Civ. Dei cap. 17.* stagnum quoddam ejus regionis tranantes, transfigurabantur in lupos, & cum cæteris ejusdem generis congregati, per novem annos lupi permanebant: & hoc tempore si humanis carnibus abstinebant, reversi ad stagnum, & iterum tranantes, recipiebant habitum pristinum, addito novem annorum senio. *Olaus Magnus extremis tribus capitibus* libri 18. vulgatissimis exemplis confirmat, in Prussia, Livonia, & Litwania, homines artificiis magicis transfigurari in lupos, & rursus in humanam speciem reformari. Præcedenti capite dictum fuit, sagas mutari in mustelas, cattos, mures, & similia animalia; quòd etiam paulò pòst aliis exemplis confirmabitur. Simon Magus, & Diodorus Siculus Catanensis, in quas volebant ferè animalium species, se ipsos transformabant. *Johannes Sarisberiensis lib. 1. de Nugis Curial. cap. 9.* scribit de quodam, qui videbatur in alias species transformari. Anglorum Annales referunt,

runt, incantamentis Merlini Uterium Regem in Gorloidis Cornubiæ Ducis ſpeciem transformatum, ut Igernæ uxoris ejus amplexu potiretur, & ex tam nefario concubitu Atturum & Annam genitos. *Chieza Piſtor. Peruu. p. 2. c. 205. & 210.* narrat, Nicaraguanos novi Orbis populos credidiſſe, ſtriges poſſe ſe in cattos, ſimias, porcos, immutare. Quahatemallavos verò opinatos, famoſam quandam maleficam Auguſtinam in bovis forma graſſatam, quando Beatrix de la Cuua ingenti diluvio & terræ motu interiit. Narrat *B. Auguſt. loc. cit.* fuiſſe ſuo tempore mulieres ſtabularias in Italia, quæ viatoribus caſeum dabant, neſcio quibus veneficiis infectum; quo ſumpto protinus illi vertebantur in jumenta, & onera portabant. Teſtatur hæc ſe à Præſtantio, viro fide digno, audiviſſe: eundemque Præſtantium retuliſſe, patrem ſuum ejusmodi maleficis cibis per illas mulieres correptum, ſtatim gravi ſomno indormiviſſe, ac poſt multos dies, quorum ſpatio expergiſci nullis remediis unquam potuerit, narraſſe, ſe per id tempus equi habuiſſe ſpeciem, ac ſemper frumenta tuliſſe: addidiſſe etiam portandi tempus, & locum, & modum quo portaſſet. Quarum rerum cùm veritas inquireretur, ajebat inventum eſſe, quòd equus ejus ſpeciei, quam Præſtantii pater dixerat, eo tempore & loco frumenta iis tulerat, quibus illa dicebat. *Palladius cap. 20. Hiſtor. Lauſia* refert in Vita Macharii, adulterum ruſtici cujusdam uxorem adamaſſe: cumque illam in ſuam ſententiam pellicere nequiviſſet, Magi auxilium imploraſſe, qui vel maritum necaret, vel uxoris erga ſe amorem excitaret: tum Magum uxorem in equam convertiſſe, qualis & marito, & diſcipulis Macharii, ad quem à marito adducta fuerat, viſa eſt. *Guilielmus Tyri Archiepiſc.* refert, juvenem quendam Anglum in Cypro, ubi militabat, fuiſſe à Maga transformatum in aſinum: cùmque ad ſuos redire volens, unà cum ſociis navem ingredi tentaret, ab iis tanquam aſinum repulſum eſſe, & ad Magam reverſum. Uſa eſt illa adoleſcentis aſini operâ ad triennium, donec in Eccleſia viſus eſt ad genua procidere, & ea quæ ab animante bruto fieri nequeunt, facere: tum enim in ſuſpicionem venit Maga, & ad judices rapta, omnem rem confeſſa eſt, atque reſtituto priſtinæ formæ adoleſcente, dignas pœnas perſolvit. *Vincentius in Speculo lib. 3. cap. 109.* ait, fuiſſe in

Germania duas sagas, quæ hospitium transeuntibus præberent, & plerosque hospites in bestias converterent. Inter alia refert, ipsas adolescentem quendam in asinum commutasse, qui mille ludos & voluptates viatoribus exhiberet: eumque, ubi semel aquis se immersisset, statim in pristinam hominis formam rediisse. Idem, sed cum aliis circumstantiis, narrat *Guilielmus* Mamulsbruciensis Monachus apud *Majolum tom. 2. Dier. Canicul. colloq. 3.* nempe *tempore Petri Damiani fuisse duas vetulas in via publicas, qua Romam itur, quales Augustinus appellat stabularias, id est, transeuntes ad hospitia pro mercede suscipientes (nam stabulum propriè hospitium venale & publicum dicitur) quæ in uno commorantes tugurio, unâ quoque arte maleficâ imbutæ, hospitem quandoque solum advenientem, in equum, vel suem, vel asinum mutabant, & certo pretio mercatoribus divendebant. Quodam die juvenem, histrionicis gesticulationibus victum quærentem, hospitio exceperunt, & in asinum verterunt, multùm eo lucrifacientes, qui gestuum miraculo distineret transeuntes: nam ad anus mandatum nutumque quocunque modo movebatur. Non enim illi intellectus perierat, sed loquela. Ingentem inde quæstum fecerant. Quo cognito, vicinus carè asinum redimit. Cautio tamen hæc à mulierculis adbibita est, ut custodiretur, nè in aquam descenderet. Servatus est diu ab aqua, & tandem incautiorem nactus custodem, in lacum proximum se conjecit; & ibi se aliquamdiu volutans, propriæ restituitur formæ. Cumque ab eodem obvius sciscitaretur ejus custos, num asinum vidisset; ille se esse respondit. Famulus id hero retulit, herus ad Leonem Papam. Convictæ anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmavit Petrus Damianus, vir eruditissimus, prolato exemplo de Simone Mago, qui suam Faustiniano imaginem impresserat.*

LXXVII.

Sunt tamen in adversa opinione Bodinus cap. 4. Methodi Histor. & lib. 2. Dæmonol. cap. 6. Stumpfius, Spondanus, Cicogna, Brisardus, Caspar Peucerus, Gregorius Tholosanus lib. 84. Joachimus Camerarius, Liechtenberger, Wolfeshusius, Paracelsus, Pomponatius, Fernelius & alii, qui suis instructi Argumentis thesin defendere annituntur, & quidem *primò* ex Scriptura producunt Nabuchodonosorem, qui scil. divinitus mutatus sit in bestiam, bestiarum consuetudinem ambiverit, bestiales mores, signa & indicia

dicia induerit, de quo *Daniel. 4. v. 30.* Lothi fœminam, quæ retrospiciens divina virtute in ſtatuam ſalis mutata ſit *Gen. 19. verſ. 26.* Magorum ægyptiacorum, qui in certamine cum Moſe baculos in ſerpentes transmutarint, de quo *Exod. 7. v. 12.* Si itaque ipſe Deus immutarit Nabuchodonoſorem in formam feræ, quidni Diabolus tanquam Simia DEI poſſit quoque convertere hominem ſibi devotum in lupum, felem, vel aliud aliquod animal, ſi ipſe Deus ex homine ſaxum fecerit, quod longè remotum, quidni poſſit Diabolus manendo intra fines Regni animalis hominem in aliud animal transformare, ſi denique actu Magi in Ægypto baculos ſuos verterint in ſerpentes, trajecerint & baculus ſive ſerpens Moſis illos devorarit, planum eſſe Diabolo eſſe poteſtatem realiter mutandi. *Secundò* objiciunt vulnera, verbera vibices & cicatrices, quæ inveniuntur in corpore humano, quæ excepta ſunt in lupino, imò transfodi quandoque lupum, globo peti lethali, & dein apparere corpus humanum transfoſſum, aut globo transverberatum. Non itaque præſtigiis agi, ubi rerum Documenta adſunt. *Tertiò* communem eſſe ſententiam Magos ſeſe transformare poſſe in lupos, unde Germani Bähr-Wölff/ Wehr-Wölff/ Menſchen-Wölff/ Latini Lupos Varios, Verſipelles, Galli Lovos Garous, Piccardi Loups, Warous, Græci λυκανθρώπες & μορμολύκες iſtiusmodi immutatos appellare. Hiſtoricos fide hiſtorica hoc ipſum referre, quibus proin fide humanâ credendum, proſtare exempla quamplurima. Neronis Schytiæ europeæ populis ſtatum tempus eſſe, quo ſi velint in lupos iterumque in eos qui fuerunt, mutentur, ex Arcadibus quidam ſtagnum tranantes in lupos, poſt eodem ſtagno renatantes in homines converſos eſſe teſtari Plinium lib. 8. Simonem Magum in varias animantes & ſe & alios transformaſſe teſte Nicephoro lib. 2. Hiſt. eccleſ. cap. 27. & 36. Baianum Bulgariæ Regem quoties voluerit, ſe in lupum vel aliam beſtiam transformaſſe ſecundum Trithemium & Luitprandum, Cauponam Sagarum Reginam Amatorem ſuum in ferum Caſtorem, Cauponem vicinum in ranam & Forenſem aliquem in arietem commutaſſe, Apulejus docet lib. 1. de Aſino aureo. Agrippa ex Varrone narrat Dænotum aliquem Parrhaſium devoratis Infantis Jovi Lyceo immolati, inteſtinis in lupum converſum

ſum eſſe. Olaus Magnus de Lappis, Finnis, Biarnis, quod quamcunque velint, figuram aſſumant, tradita ululent, greges infeſtent, dilanient, onera portent, longo tempore in hâc formâ perdurent, at crudas beſtiarum atque hominum carnes devorent.

LXXVIII.

Sicut autem in Exceſſu peccant, qui pro transmutatione vera eſſentialique pugnant, ita in Defectu illi, qui ad meras illuſiones referunt, & imaginatricis facultatis ſive phantaſiæ omnia in hoc negotio adſcribunt, inter quas videtur referendus *Danæus*, qui ita: Rectè ſentis, atque ita etiam alibi ipſe Auguſtinus ſcribit. Quanquam enim qui iſta ſe fuiſſe dicunt, tales ſe opinantur aliquando vixiſſe, falluntur tamen, ſuntque ea animi deliria & falſæ phantaſiæ ſive imaginationes quæ magna vi illuſionis cujusdam aut morbi eorum animis inhæſerunt. Quin tamen ita quosdam perſuadeat Satan, non diffido. Quod ut faciat, ſopit eorum externos ſenſus & occæcat, tum deinde varias rerum formas objicit, quas perturbatis jam eorum humoribus & animis imprimit tam efficaciter, ut ſe re ipſo hujusmodi quædam eſſe & fuiſſe credant. Sic Medici docent quosdam eſſe corporis morbos, in quibus videmur nobis eſſe lupi, porci, boves, muli, item toti vitrei vel cerei & alia quædam. Vidi etiam qui ſe gallum gallinaceum eſſe affirmaret & deieraret. Quamobrem veriſſima hujusmodi animi illuſionum & deceptionum cauſſa quæ tamen Sortiariorum artibus fieri poteſt, ex eo pendet, quod perturbatis corporibus humoribus & temperamento animi ipſi hominum quodammodo immutantur, & à ſe alienati redduntur Satanæ miniſterio, ne alia agnoſcant, quàm quæ objiciuntur. Itaque facilè ſibi perſuadent, qui vexantur ita, ſe tales eſſe, quales ſe dictitant, quæ tamen ſunt meræ Satanæ illuſiones.

LXXIX.

Aſt invita Veritate hæc dicuntur, talia objiciuntur. Nam *primò* Scriptura nihil facit pro Lycanthropia vel alia Metanaphorſi. Exemplum enim quod attinet Nabuchodonoſoris, non conducit illud, quia ſunt, qui nullam volunt immiſſam Metamorphoſin, ſed melancholiam fuiſſe, cujus plures ſint ſpecies, quam nomina,

unde

unde Münsterus: Factus est maniacus ex læsa imaginativa potentia, seipsum pro bestia gessit. *Secundò*, si concedamus Rabbi Josepho, Jacchiadi, quod perierit intellectus ejus humanus & pullo onagri assimilatus fuerit, bestiarum escam appetierit, earumque cohabitationem: quia habitaculum suum collocare voluit in habitaculo Imperatoris Altissimi, & seipsum vestire ipsius vestimento Celsitudinis, imò si substantialem admittimus mutationem, novimus ex Scripturâ virtute divinâ hoc pactum fuisse, cui par nulla, sive sit angelica sive humana. *Tertiò* cor accepit Nebucadnezar non aliud, sed alteratum, mutatio in ipso facta fuit non secundum speciem sed corpus, non substantialis, sed accidentalis, inhibito usu rationis successit oppositum nempe ferocia ferina, pili dicuntur tantum crevisse & ungues, nec abolita Ratio, quæ si fuisset sublata, si anima perdita, resurrexisset ille, antequam fuisset mortuus, dicitur enim sustulisse oculos, rediisse sensum & rationem, laudasse Deum exactâ temporis periodo, definitâ in cœlis spatii mensurâ. Alterum de uxore Lothi itidem huc non facit, tum quia illa immutatio facta est virtute divinâ, tum quia anima confestim à corpore fuit separata, nec in saxum transformata, nec excussa & redux facta, quod fingitur accidere in Lycanthropia, tum quia quidam locutionem figuratam esse volunt, ut pactum salis dicitur ob firmitatem & perpetuitatem *Num. 18. v. 19.* à qua tamen sententia recedimus, quia à litera recedit in historia. Tertium Exemplum non quadrat: nam *primò*, si baculorum illa transmutatio præstigiosa fuit, ut quidam volunt, nihil verè hic factum, nihil hic immutatum, sed quasi fieret, tantum apparuit. *Secundò*, si substituti serpentes in locum baculorum, qui removebantur à Diabolo, nulla iterum accidit immutatio, sed tantum aliqua translocatio. *Tertiò*, si concederemus, mutationem hîc aliquam substantialem accidisse, longè difficilior erit mutatio hominis in lupum, quàm baculi in serpentem, serpens enim est animal irrationale & brutum, maledictum à DEO, in quod proinde aliqua secundum quosdam potest fieri conversio: at homo est animal rationale, anima instructum rationali, quæ Spiritus est & capax imaginis divinæ, quî itaque hoc tam sanctum animal, tam divinum vivens in lupum animal irrationale, animal ferum & ferox potest mutari aut converti.

Quæ secundo loco opponuntur huc quoq; non faciunt. Nam quando vulnerantur istiusmodi lycanthropi, aut domi manent & somno opprimuntur ab ipso, ipse cædit & vulnerat, aut si sunt in sylvis vel campo aliquo, variis modis illudit, & quidem *primò* pellem lupinam circumjaciendo, ita ut in illa ambulent, in illa videantur, in illa opera præstent & exequenda exequantur. *Secundò* medium visus corrumpendo, aërem, qui mutatur Nebula imbuendo, & quemadmodum viatores in illa ambulantes sæpe homines accedentes existimant Bruta, ita ille potest per Medii corruptionem etiam ipsum visum inficere atque corrumpere. *Tertiò* oculum turbando, est sanè ille organum illud quod species excipit, quodque videt, quî itaque Diabolus non possit peregrinam speciem illi objicere, hâc ipsum imbuere & pingere, ut pro homine videatur cernere lupum. Approbat hos modos *Fromannus*, qui ita: Diabolus decipere potest 1. Quando Dæmon exuvias ferarum, (non omnium, sed earum, quæ staturæ hominis ferè convenientem habent quantitatem, ut sunt lupi, asini, vituli, equi minores &c.) hominibus, sive insciis, sive consciis accommodat, ita tamen, ut præstigiis falsitatis notas, quibus fucus prodi posset, compleat, ad exactiorem conformationem corpus disponat, ejusque agilitatem influxu & motu suo promoveat. Lupinam pellem in trunco quopiam cavæ arboris occultatam Dæmonem Magis dare, ex confessionibus quorundam constare ait Delrius. Atque ab his validissima etiam animalia in campis prosterni, prostrata discerpi, discerpta luporum more vorari deprehensum est. Veruntamen, ut D. Sennertus *Instit. Medic. lib.* 2. *Part.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 7. monet, Dæmone administro, & conatus hos adjuvante, atque ea, quæ potentiæ humanæ desunt, supplente talia fieri posse, quilibet facilè æstimare potest. 2. Quando Dæmon ex aëre effigiem efformat, brutum certum, ejusque membra omnia exactè repræsentantem, eâque Magum quasi induit, quæ tamen facilè diffluit & perit. Remigius *lib.* 2. *cap.* 5. mulierem fuisse scribit ejusmodi malis artibus addictam, cui & ea induendi alienas formas à Dæmone facultas fuisset tributa. Eam igitur, cum ejus pagi opilionem odisset impendio, ac quoquo pacto malè mulctatum cuperet, in ejus gregem pascentem lupi forma, atque habitu aliquando irruisse: sed ab illo accurrente injecta atque im-

pacta

pacta securi vulnus in femore accepisse, quo debilitato coacta esset se illicò in proximum dumetum inferre, ubi ab assequente opilione reperta esset vulnus obligans vestis discissæ peniculamentis, quò sanguinem, qui ex eo magna vi diffluebat, sisteret: sicque eo indicio delatam ac compertam rem omnem agnovisse, ac tandem luisse ignis supplicio. 3. Quando Dæmon ipse vel veras, vel vivas bestias subit, & occupat, vel ex aëre bestiæ cujusdam effigiem appositè format, & varia Magorum loco sub schemate isto agit, Magis ipsis interea alicubi in occulto loco soporatis, & per somnia purissima rerum à Dæmone alibi gestarum notitiam capientibus: somno verò excusso somniorum claritate decepti seipsos omnia egisse sibi persuadent. Idque tum potissimùm fieri existimo, quando Magis transformationis non tantùm in majorum ferarum, sed & in minorum formas, ut muscæ, avis, bufonis, muris &c. (quæ quidem transmutatio per datos jam apparentiæ & delusionis modos est possibilis) opinionem Dæmon imprimere laborat. Quæ tertio loco opponuntur, facilè concidunt. Nam *primò* rectè Uldaricus Zasius pronunciavit nulla opinio mihi magis suspecta est, quam si dicatur communis, unde etiam Pythagoras per publicam viam ne incredito. *Secundò* Historicis credendum sed probatis, credendum cum reservatione Inquisitionis ulterioris, credendum, si aliquid ipsi visi acceperint, non per relationem. Quid non somniavit de LXX. Græcorum Versione Irenæus, Justinus Martyr, Epiphanius, Cyrillus, Clemens Alexandrinus, Augustinus lib. 18. de Civitate DEI, quæ tamen omnia sunt fabulosa. Quid non de Hannibalis transitu in Italiam per prærupta saxa & invias Alpium Rupes, non tantùm ferro, sed igne quoque infuso desuper aceto prodidit Historicorum Nubes, quæ tamen omnia falsa. *Tertiò*, quod Exempla illa attinet partim fabulosa, partim præstigiatoria, partim accidentalem inferunt mutationem. Inter fabulosa referimus illa de Nerviis & Arcadibus inter præstigiatoria Simonis Magi, Bajani Regis, Cauponæ Reginæ Demaneti & quæ sunt cætera, ad accidentalem variationem illa quæ ex Olao magno producuntur. In contrarium verò militant quamplurima Exempla, quæ oppositum convincunt. Sic de Patre Præstantii, qui in jumentum se mutatum esse & onera portasse, putavit,

vit, somno detentus in lecto jacuit, ut excitari non potuerit somniis à Sathana illusus, ut testatur Augustinus lib. 18. de Civ. DEI c. 18. sic Juvencula quædam ad Macarium ducta est, quam maleficio in Equam versam fuisse decebant, verum sensus puellæ & videntium tantum perstricti fuerunt, quod ex eo patet, quia non potuerunt fascinari Macario, cujus Oratione ab ista illusione liberata, sic in Livonia quidam Lycaon apud Præfectũ suum cænatus & inebriatus arcto somno oppressus fuit repentè decidens, postridie Equus in agro dissectus reperitur & huic adscribitur, qui fatetur factum, & veneficam sub papilionis specie se persecutum dicit teste Godelmanno. Imò quandoq; hæc mutatio secundum quosdam mens est morbosa ob atræ bilis præsertim per febres ardentiores exaltatæ excessum, & hinc ratio ita corrumpitur, ut se bestias esse ægrotantes sibi persuadeant, ferinos mores induant, desiderioque homines invadendi, lacerandi, & vorandi teneantur. Petro Pomponatio celebri olim in Italia Medico, referente Majolo *Tom.* 2. *Colloq. 3. pag.* 231. oblatus est, quem rustici sortè sub fœno repertum, captumque, quia se lupum esse clamabat, & fugere illos jubebat, ne ab ipso devorarentur, excoriare cœperant, ut explorarent, an versipellis esset, i. e. inversos pilos haberet (sic enim erant persuasi errore populari.) Sed Pomponatii intercessione dimissus, & per idonea medicamenta curatus fuit. Patavii agricolam fuisse meminit Fincelius *lib. 11. Mirab.* qui lupus sibi videbatur, multosque in agris insiliit, trucidavitque. Tandem non sine difficultate multa captus confidenter asseveravit, se verum esse lupum, discrimen solum existere in pelle cum pilis inversa. Quapropter quidam exuti omnem humanitatem, verèque lupi truces voracesque, tibias & ejus brachia gladio feriunt, amputantque veritatem rei exploraturi: cognita verò hominis innocentia, eum chirurgis tradunt curandum, sed post dies non multos expiravit. Quandoque istiusmodi mutationes sunt optici lusus, ut de Cornelio Drebbelio *in Angliâ, insigni Mechanico & Optico constat, & ipse de se testatur* in Epist. ad Isebrand à Ritwiec, *verbaque ejus allegat* Hegenitius in Itinerar. Hollandiæ, p. 73. *Ubi mox holoserico nigro, mox viridi & rubro, mox panno aut villis texto omnium colorum, mox argenteo aureoque colore amictum in conspectu multorum quàm celerrimè*

rimè se exhibere ait. Præterea *in formam arboris à vento agitatæ, ursi, leonis, equi, ovis, & cujusvis animalis se apparere, specie Regis, Principis, Alexandri M. se videri, Terram aperiri, indeque spiritus & gigantes exire, quasi naturaliter vivant, se facere, novaque inventione Opticæ beneficio hæc exhibere se ait.* Per Opticam *quàm variæ miræque apparentiæ hominibus offerri queant, ex Mechanicis notum est. Si ex serpente & cerâ coctis cereum facias, eumque noctu in conclavi accendas, omnia serpentibus plena apparent.* Pedemont. d. secret. Hildebrand. l. 1. Mag. Nat. C. 24. Uffenbach. in Alchym. l. 13. c. 168. *Sic & ut præsentes sine capite aut cum brutorum capitibus videantur, modos citatus author exponit.* Quandoque hominis malitia est θηριότης, vitium virtuti heroicæ oppositum. *Tales ante hæc quidam* Americani, Anthropophagi, Brasiliani, & similes, *de quibus historia Americana consulendæ.* Quædam *apud* Plinium lib. 5. C. 8. L. 6. C. 17. *vide.* Sic Caligula *naturaliter ferus fuit, ut Tiberius exitio omnium eum vivere, & se natricem Populo Romano, ac Phaetontem Orbi terrarum educare diceret.* Suetonius Cali. cap. 11. *Unde postea feri excessus in vita, velut in monstro, eluxerunt.* Idem C. 22. seq. *Ita efferis moribus & aspectibus esse, qui nimio æstu vel frigore habitant,* Aristoteles s. 14. probl. q. 1. *scripsit, quia excessus omnis aëris corpus & spiritus hominis à temperie suâ dimovet & dejicit, velut temperies ejus corporis & intelligentiæ symmetriæ conducit.* Præterea ululare non est indicium mutati hominis, cum brutorum sonos imitari possit Diabolus, & sicut non sequitur Asinam Bileami fuisse hominem, quia locuta; ita nec sequitur, ululat ergo est brutum, onera portat Sathanas, vel præstigiis ludit, & mora temporis sæpe phantasia deprehensa, nec si vera, vires Dæmonis superat, carnes crudas vorare etiam quibusdam Americanis in usu fuit, & quid non Nabuchodonosor? annon gramine pro cibo usus fuit, & tamen Homo mansit, annon Æthiopes quidam crudis locustis pascuntur, de quibus Plinius lib. 6. cap. 30.

LXXX.

Sed in genere nonnihil hæc sunt expendenda. Nam *primò* cogitari posset cum R. Mose Maimonide. Apparitiones Angelorum per corpora in visione tantum prophetica factas esse, non autem verè assumpta ab illis fuisse corpora. Verum hoc *primò* contrarium

 trarium

trarium patet ex Historiâ apparitionum. *Secundò* ex operationibus, quas edunt in assumptis corporibus. *Tertiò* ex Thoma de potentiâ DEI quæst. 6. artic. 7. *Secundò* in illum conceptum delabi possemus, ut quidem exhibeant sese contrectabilia homini non aliquid assumendo, quod duritiem & mollitiem in se habeat, sed operando resistentiam, qualem aliâs homo sentit cum durum vel molle quid contrectat. Certè probabilis est *Vasquezii* opinio, qui *d. l. c. II.* existimat, corpora illa, in quibus Angeli apparent, cùm subtilia sint, non esse harum qualitatum capacia: nihilominùs Angelos posse ea homini exhibere contrectabilia, non duritiem vel mollitiem in ipsis efficiendó, sed in hominis tactu eam operando *resistentiam*, qualem aliâs homo sentit, cùm *durum* vel *molle* quippiam contrectat. Et addit idem *Vasquez: si homo attentè consideret id, quod tangit in corporibus assumtis ab Angelis, facilè judicari posse, illam non esse veram duritem, nec veram mollitiem, qualis in ossibus & carnibus reperitur: quia si attenderet, facilè perciperet, non ita immutari tactum ab illis corporibus, sicut ab aliis, quæ vivunt, & veras carnes & ossa habent. Contra verò si homo sibi persuasum habeat, illum esse verum hominem, quem videt, quia oculus ita judicat; & simplici animo contrectet corpus illius, videbitur sibi carnes & ossa tangere, nec discernet, utrum sit verum corpus, an apparens tantùm.* Atque hoc accidisse putat *Abrahamo, Gen. XXIIX.* & *Lotho, c. XIX. Tertiò* expendendum relinquimus, an assumantur ex condensato aëre corpora. non enim videtur possibile hoc; aër enim condensari nequit; sed refertus est undique atomis varii generis, quæ coire possunt, & in corpus quoddam densari, prout patet ex nubibus & reliquis meteoris, unde G. B. de Saint Roman Parisiensis agnoscit aërem inferiorem esse crassiorem & magis gravem infimâ regione ob mixtionem corpusculorum ex terrâ & aquâ egredientium, & Wallisius Mathematicus Oxoniensis in Thesibus quadragesimalibus aërem censet nihil aliud esse, quam atomorum terrestrium congeriem, has itaque atomos cogere potest Diabolus vel Angelus formare corpus ex illis, figuram certam imprimere; præterea assumere potest recens defunctorum cadavera. Tandem vera Brutorum corpora, hircorum, luporum, felium, canum, cervorum, muscarum, serpentum & similium, & quidem posse *primò* ex atomis

mis illis formare corpora patet, quia id non superat vires angelicas, cum non sit generatio, multò minus creatio, sed tantum atomorum dispersarum congregatio, sicut itaque aqua, quandoque concrescit in glaciem & aliquando durescit in crystallum, ita aër quo sese vestiunt angeli vaporosus & refectus atomis densari potest in corpus aspectabile. *Secundò* cadavera assumere Diabolos impiorum, nam in Sanctorum corpora nullum habent Jus, patet exemplo Psaltriæ Bononiensis, cujus corpus defunctum temperavit Sathan, novit & inflexit, ita ut sensum visus & tactus fefellerit, atque habitum fuerit verum corpus humanum colore, duritie & cæteris qualitatibus tactilibus præditum. *Tertiò* corpora istorum animalium posse assumere & regere patet non tantùm ex apparitione in istiusmodi figuris, sed etiam ex ipsa unione, quæ hîc accidentalis & parastatica, ad quam tantum requiritur secundum Franciscum Carriere in Fidei Catholicæ Digestione q. 9. ut substantialiter existat Dæmon in corpore, & quidem secundò, ut Motor in mobili, & tandem uniatur tanquam Instrumentis ad repræsentandam eo modo, quo fieri potest similitudinem sic & ad obeundum operationes proprias Angeli, non alterius.

LXXXI.

Non itaque calculum addimus Isidoro & Bedæ statuentibus Angelos bonos assumere corpora formata è materia cœlesti, nec *secundò* Tertulliano, qui censet materiam posse illos novam sibi fabricare vel creare, quod falsum & impossibile. Nec tandem *tertiò* reliquis, qui volunt Diabolum posse ex aëre puro corpus sibi verum formare, atq; scribunt: Ordinariè tàm boni, quàm mali Angeli, formant sibi corpora aërea, ita ex variis vaporibus & exhalationibus, cæterisque mixtis facilè solubilibus compacta, ut colores animalis assumpti & figuram extrinsecùs referant. Duritiem, mollitiem, scabritiem, aliasque tales qualitates perfectè imitari possunt variis modis, applicando activa passivis.

LXXXII.

Interim probamus illa, quæ *Schottus* disputat de Organizatione scribens: Si tota viventium machina corporea, & organorum diversitas ab invicem, & ab aliis rebus, oritur à solo motu, figura, quantitate partium materiæ; possunt ea organizare: nam quid-

quid ex his tribus pendet, possunt exequi, & quidem immediatè, si sibi relinquantur, cùm à sola motrice facultate pendeant. Si verò organizatio oritur ex primarum qualitatum temperie, & certâ combinatione, iisque quæ inde resultant, additâ configuratione partium ad instrumenti rationem; iterum ea organizare possunt: nam tunc organicas partes formare queunt, saltem mediatè applicando activa passivis, ex quibus præcisè is gradus oriatur, qui requiritur. Si denique requirantur dispositiones aliæ, sive accidentales, sive substantiales, nempe formæ partiales, quæ tamen ab influxu animæ informantis necessariò non pendeant, sed ab aliis causis activis ac passivis; iterum possunt corpora organizare, applicando quicquid ex parte corporis in animali requiritur. At si hæc vel illa, quæ ad corporis organizationem requiruntur, pendeant à solius animæ influxu, ut producantur & conserventur (influxu dico animæ non introducendæ, quia hæc posterior est organizatione, sed generantium, tàm ex parte patris per virtutem seminalem, quàm ex parte matris;) non possunt organizare corpora, sed recurrendum est ad Deum. Quid autem absolutè dicendum sit, non est hujus loci determinare. Non possunt Angeli ac Dæmones in assumptis corporibus humanis aut ferinis exercere operationes vitales videndi, audiendi, loquendi &c. Ratio est, quia ad vitales operationes exercendas requiruntur corpora organica, qualia non sunt illa, quæ assumunt. Et licèt organica essent, nec dum id possent, quia non sunt formæ informantes; quod tamen requiritur: nullam enim in illis habent potentiam vitalem, quæ naturaliter separatur ab anima informante, & vitam dante. Non ergo vident, audiunt, aliasque sensationes producunt, sed loco visus, auditus, & aliorum sensuum intellectu utuntur. Locutio etiam, quæ motu labiorum cæterorumque instrumentorum ad verba proferenda necessariorum perficitur, non est vitalis operatio, quia non est ab anima informante. Intellectiones ac volitiones, quas in assumptis corporibus eliciunt, sunt quidem operationes vitales, sed non tales, quæ per corpus assumptum fiunt; de quibus solis est quæstio. Si verum esset, quòd, ut aliqui volunt, immediatum objectum sensationum sit ipsa immutatio organi, non à productione novæ alicujus qualitatis, sed ab allapsu certorum cor-

corpusculorum causata; facilis esset & hujus rei, & quarumcunque fascinationum ac præstigiarum, quibus Dæmones aut magi ope Dæmonum sensibus illudunt: tunc enim, ut benè notat *P. DerKennis Disp. 4. de Angelis cap. 4. §. ult.* non est opus alio, quàm respectu unius impedire hunc allapsum, aut immutationem organi (ad quod solâ virtute motrice opus est,) & non respectu alterius. Hâc autem ratione efficere possent, ut etiam alia quæcunque, non à se, sed ab aliis dicta aut facta, vel nullo modo audirentur, aut audirentur, vel tantùm ab his, & non ab alits: imò ut nullo objecto posito afficerentur quomodocunque sensus, si nempe organa ita movendo afficerent, ut affici nata sint à tali vel tali objecto, v. g. auditûs tympanum ita concutiendo, ut pulsari solet à tonitru, vel suavi Musicâ &c. At positâ receptâ sententiâ de specierum sensibilium productione, major est difficultas. Nam sicuti nihil præter localem motum, & ex hoc resultantem figuram possunt causare; ita nec aliam causarum efficientiam, si subjecto capaci applicatæ sint, possunt impedire: hæc enim duo, producere scilicet, & directè seu immediatè impedire, videntur esse ejusdem facultatis: quomodo ergo unus videt, & audit objectum verè sensibile, & species quaquaversum sphæricè diffundens, alius verò vicinus apertis oculis & auribus nihil videt, aut audit? quomodo idem ultra objectum redditum invisibile, quod tamen verè opacum est, ut supponitur, & species visibiles alterius retrò positi intercipit, alia objecta retrò posita æquè apparent, ac si nihil foret interpositum? *P. Ignatius DerKennis loc. cit.* ait, si in dictis casibus reales sunt apparentiæ, & non merè phantasticæ, dicendum necessariò esse, tale simulacrum ab Angelo ac Dæmone (qui summi sunt in naturalibus artifices) obtrudi oculis ex legibus perspectivæ efformatum, ut appareat eo modo, quo objecta remotiora apparere nata sunt, eoque obtegi corpus quod invisibile redditur. Posse autem objecta propè posita, apparere ac remotissima forent, patet inter alia ex eo, quòd ita contingat, si lentem concavam tubo inseras, & per tubum ac lentem objectum aspicias. Ego dicerem, in utroque casu impediri emissionem specierum ab objecto, vel saltem transmissionem eorundem in oculum illius, qui non videt objectum. Nec refert, quòd objectum interpositum, cujus species

impediuntur, opacum ſit; ſine enim ſpeciebus illius videri nequit. Objectum tamen retropoſitum debet eſſe in tali ſitu, ut ſpecies ſuas in oculum mittere queat. Idem dic de ſpeciebus audibilibus, aut de ipſo ſono per medium ac cum medio delato.

LXXXIII.

Sic quoque communis eſt ſententia: Quod poſſit immunem reddere à læſione, & vulnere, & docere videntur multa exempla antiqua & recentia, & frequens multorum (proh dolor) experientia. *Jamblichus lib. de Myſter. Ægypt. paulò ante med.* loquens de vatibus Gentilium, teſtatur multos admoto igne non uri; vel ſi urantur, uſtionem non ſentire, ut nec alia ulla tormenta: utique non virtute divinâ, ut Jamblichus putat, cùm DEUS impiis hoc privilegium non concedat, ſed diabolicâ. De Simone Mago ſuprà c. 16. retuli ex Clemente, eum in igne poſitum non arſiſſe. Zwinglii cor poſt exuſtionem illæſum inventum fuiſſe, refert *Thuan. lib. 1. Hiſtor.* Gentiles olim putabant, magico carmine aciem gladii ſic retundi, ut nec levi vulnere cutem queat perſtringere: & hodie paſſim quidam impii, milites præſertim (ut *Sprengerus* etiam notat in *Malleo p. 2. q. 1. c. 16.*) putant ſe fore invulnerabiles, & ſæpe etiam ſunt, ſi arma certo ritu incantent, vel ſacrilego auſu crucifixi imaginem compungant; vel (ut *Condronchus ait lib. 3. de Morb. venef. cap. 12.*) comminuant, aut confringant; vel (ut notat *Delrius lib. 2. Diſq. Magic. q. 21.* & *Pomponatius lib. de Incant. c. 5.*) ſi ferant interulam lineam horrendis inſcriptam imaginibus, quam vocant Camiſiam ſeu induſium inferni; vel (ut idem *Delrius* notat) ſi periapta quædam ferant variis characteribus magicis inſignita; aut orationes, quas blaſphemè & mendaciter tribuunt D. Leoni, vel Carolo Magno, inſignitas magnis Dei nominibus. Sæpe tamen vulnerantur minùs cogitantes, qui hujusmodi remediis utuntur, vel quia Diabolus illos decipit, nec ſtat pacto cum illis, aut aliis à quibus didicerunt, inito; vel quia deficiunt in conditione aliqua pacto appoſita; vel denique quia Deus Diaboli potentiam retundit, nec permittit, ut clientes ſuos indemnes ſervet. Sic quotidie videmus, qui glandibus plumbeis trajici non poſſunt, poſſe argenteis, vitreis, alteriusve materiei; & qui nullis trajiciuntur, ſclopetis inverſis percuſſos occumbere; & qui

qui uno telorum genere vulnerari nequeunt, vulnerari alio. Novit ſtudioſum Juris, nomine Quirinum, Delrius, qui cùm membranulâ magicis characteribuss, vel ut ipſe putabat, magnis Dei nominibus inſignitâ fretus, audacter ſe jurgiis & pugnis immiſcuisſet, ſæpe ictus nunquam ſaucius; tandem Romæ in ſympoſio minimo vulnere fuit interemptus. De alio, cui Scafii nomen, inſigni malefico, in Bernenſium territorio, narrat *Niderus in Formicar.* qui publicè & procaciter gloriabatur, ſe, quandocunque vellet, oculis & manibus inimicorum ſuorum ſubducere inſtar muris poſſe, & ſæpe etiam ſeſe ſubduxiſſe; tandem cùm ab hoſtibus ſuis in quodam hypocauſto prope feneſtram ſedere fuiſſet notatus, & nullas timeret inſidias, *per feneſtram gladiis & haſtis inopinatè transfixus eſt, & ob ſua facinora ibi mortuus miſerabiliter.* Ex his patet, poſſe Dæmonem ſuos reddere immunes à vulneribus. Tormentorum ſævitiam quotidie malefici in equuleo eludunt, & nullum cruciatum, nullumque damnum ſentiunt, ſeu vigiles, ſeu ſomno inter tormenta correpti. Narrat *Charondas lib. de Antichriſto revelato Nota. 1.* & ex ipſo *Delrius l. cit.* quandam fœminam quinquagenariam, Charondæ notam, ſic eluſiſſe infuſionem laridi liquati toto corpore factam, & omnium membrorum diram diſtractionem, ut ex equuleo ſublata omni ſenſu doloris vacaverit, integraque & illæſa apparuerit, niſi quòd pollex pedis avulſus in quæſtione, redditus non ſit: cujus tamen illi jactura noxæ ulli vel impedimento non fuit. Hanc tamen, cùm omnia tormenta eluſiſſet, & omnia negaſſet pertinaciter, tandem Diabolus in carcere elisâ gulâ necavit, qui eam etiam maleficii per energumenam antea accuſarat. Narrat ibidem *Delrius*, captam Anno 1599, prope Samarobrinam, puellam quandam ſtrigratricem, *quæ nec pedum uſtulationem ſæviſſimam, nec flagra validiſſima ſentiebat; donec Sacerdotis cujusdam monitu illi Agni benedicti ceream imaginem in collum injecêre: tunc enim vi ſacri amuleti Dæmonis præſtigioſa ludibria depulſa, & illa vim doloris cœpit perſentiſcere.* Unde patet (ſubjungit Delrius) hanc indolentiam non naſci ex ulla phyſica cauſa, ſed operâ Dæmonis induci. Poſſunt quidem, ac ſolent aliqui, ob ſingulare corporis robur, aut animi tolerantiam, ſine ulla doloris ſignificatione, perferre graviſſima tormenta; at ut nullũ ſentiant in

illis perferendis dolorem, fieri humanis viribus nequit. Possunt etiam similia sine doloris sensu tolerari, adhibitis unctionibus & pharmacis quibusdam naturalibus, confectis ex opio, solano & similibus, quibus humores turbantur, sopor altus conciliatur, nervorum origines obstruuntur, sensus stupefit, sensatio impeditur; unde & liquefacto plumbo aliqui manus lavisse sunt visi, & vultum, lotis priùs aquâ quâdam partibus illis, teste *Cardano lib. 6. de Subtilit.* ac malefici in tormentis nihil tale adhibere notantur. Dæmonis ergo ope talia in impiis fiunt, adhibitis, vi pacti cum Dæmone initi, periaptis ex oscillis, vel cineribus, aut ungue infantulorum ante baptismum necatorum, ut *Sprengerus* notat par. 3. *Mall. c. 14. & 15.* vel deglutito apum rege, ut refert Delrius *ex lib. exorcism. Avenione excuso;* vel corpori alligatis membranulis cum certo characterum genere, aut etiam susurrato malo carmine, ut idem notat ex Grillando, & aliis, qui de criminalibus judiciis scripsêre. Aliqui stigmata quædam seu notas corporibus suis à Dæmone impressas habent, quæ sic sensu omni destituuntur, ut nec acûs longissimæ fixura dolorem minimum adferat, nec sanguinem eliciat. Exempla aliqua refert *Nicol. Remig. lib. 1. de natura Dæmon. cap. 5.* his verbis: *Cùm Isabella Pardæa Spinalii pridie Nonas Majas 1588. ob sortilegii crimen comprehensa, urbis Præfecto partem corporis sic à Dæmone inscriptam indicasset; subiit ei in animum experiri, verumnè id esset, quod de hujusmodi stupore ferebatur. Ergo jussit in eam aciculam penitissimè infigi, atque inculcari. Quod cùm in satis magna hominum frequentia esset factum, & incruentum omninò vulnus apparuit, & nullum saga doloris vel minimi indicium aspicientibus dedit. Rursus tertiò Cal. Nov. 1590. Brundusii Claudia Bogarta, tormentis jam exhibenda, cute, ut moris est, detonsa fuerat, ob id cicatricem in summa fronte nuda ostendebat. Suspicatus igitur Quæsitor quod verè erat, scilicet impressi à Dæmone unguis vestigium, quod antè capillis tegeretur; in id jubet articulam altissimè infigi. Quod cùm esset factum, nec illa doloris ullo sensu affici, nec vulnus vel tantillùm cruore manare visum est. Perstitit tamen verum negare, ac dicere, eum olim ex jactu lapidis torporem esse obductum. Sed postmodum tormentis admota, non tantùm agnovit id sibi à Dæmone inflictum fuisse, sed plurima alia, quæ indignissimè ab eo passa fuerat, enumeravit. Novissimè*

vissimè 18. Cal. Jul. 1591. Essæi, qui pagus ab hac urbe milliario abest, cùm hoc loci Dynasta præsens in Mugeta sortilegii rea lictorem periclitari jussisset, investigaturus sicubi tesseram ullam inveniret, tandem in sinistro femore macula verrucæ instar apparuit; in quam cùm ferrum, vel quantùm poterat, adegisset, nec à Mugeta vocem, nec ab ipso vulnere sanguinis guttam ullam elicere, atque exprimere potuit. Cùm rursus locum maculæ proximum leniter etiam vulnerasset, ingentem ea ex dolore clamorem edidit, & largus cruor sese inde effudit. Stigmata hæc non omnibus à Dæmone imprimuntur sagis, aut magis, sed iis tantum, quibus diffidit nè constantes sint. Aliquando etiam cùm capti sunt. Non eadem est omnibus forma stigmatis: aliquando enim est simile leporis vestigio, aliquando buffonis pedi, aliquando araneæ, catello, gliri. Nec idem est in omnibus locus: in virorum enim corpore sæpe visitur sub palpebris, sub labiis, sub axillis, in humeris, in sede ima; in fœminis etiam est in mammis, in fronte, in locis muliebribus. Non etiam in omnibus est insensibile, ut docet experientia, teste *Delrio lib. 5. Disquisit. Magic. sect. 5.*

LXXXIV.

Ad immunitatem ab ignis ustione quod attinet, sciendum est, Esse ignes aliquos, qui non urant, sive simpliciter, sive in certa materia, ut tradunt Scriptores varii. Nam *Aristoteles lib. de Admir. Audit. cap. 31.* tradit, in Pythecusis ferventem & calidum ignem mirum in modum reperiri, non tamen comburere. *Plinius lib. 2. cap. 107.* ait, in Puteolano monte sulphureo ignem esse manantem, qui neque oleo, neque cerâ, aut quolibet pingui, neque sulphure quidem accendatur, aut augeatur, neque aquâ restinguatur, aut accendatur, stuppam tamen injectam non adurere, nihil denique ex eo accendi posse luminis. Hunc *Majolus Colloq. 22.* non ignem, sed igneam aquam esse existimat. *Joannes Diaconus in Vita S. Nicolai apud Methodium* scribit, esse penes urbem Pateram Lyciæ quendam locum campestrem, qui totus per noctem, quasi ferrarii fornax ignivomam vaporat flammam, talis naturæ, ut si quis manus propiùs admoverit, ardorem quidem sentiat, sed nullam patiatur adustionem. *Marcus Polus lib. 1. cap. 28.* narrat, in Provincia Vochan, in planitie Pamor, sub magni Cham ditione,

adeò ingens esse frigus, ut illius vi ignis prorsus reprimatur, ut nec lucere valeat, nec aliquid illo coqui unquam possit. His positis, æstimo Dæmonem efficere posse, ut quis in igne non comburatur, si vel igne ordinario latenter subtracto supponat alium, qui comburendi vim non habet; vel corpus succo, unguento, aliovè remedio, quod igni resistat, perungat per se, aut per alium: vim enim comburendi ab igne tollere non potest. Immunitatem ab ictu gladii, globi sclopetarii, jaculi, aliorumve instrumentorum procurare potest, si, ut potest, impetum illorum, ubi ad corpus lædendum pervenerunt, retundat, nè ulteriùs pergant. Possunt autem id Dæmones modis suprà cap. 8. dictis. Quæ ergo in hunc finem adhibentur ab aliis, qui immunes à vulnere ac læsione esse volunt, vim nullam conferunt, sed solùm ex pacto adhiberi debent. Non mirum ergo, si sæpe effectu desiderato careant. Immunitatem à doloribus quomodo largiatur Dæmon illis, qui in equuleo torquentur, ac distrahuntur, ut nullum cruciatum sentiant, nullumque damnum incurrant, fateor me nescire: sive enim soporati sint, sive vigilent, trahuntur tamen ac variè distrahuntur membra; quod sine dolore, saltem sine damno distractionem illam consequente fieri nequit. Nisi velimus dicere, Dæmonem per detentionem localem efficere, ut membra, quæ convelli videntur, nullâ ratione convellantur, levante ipso Dæmone pondera appensa, aut sublevando corpus, laxando funes &c. Nè tamen à liquato larido lædatur corpus, efficere potest Dæmon eodem modo, quo efficit, nè ab igne comburatur. Stigmatum locum potest mortificare ac penitus stupefacere Dæmon adhibitis remediis naturalibus; quorum multa cùm hominibus quoque nota sint, Dæmones latere non possunt. *Cardanus lib. 7. de Subtilit.* de mirabili vi cujusdam lapidis, cujus ipse experimentum vidit, in hæc scribit verba: *Attulerat Laurentius Guascus Cherascius, Provinciæ Turonensis medicus empyricus, his diebus hunc lapidem, pollicebaturque posse, si vel stylum aut acum tangeret, carnem totam absque ullo dolore penetrare. Quod cùm nobis, ut par est, ridiculum videretur, rem experimento in meis contubernalibus confirmavit. Ego tandem, ut tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipsam priùs lapidi affricatam, cuti adjutorii brachii intuli, sensique primò levissimam punctionis imaginem: pòst cùm*

totum

totum musculum quasi directà penetraret, acum quidem in profundum, quà pererrabat, penetrare sentiebam, dolorem nullum penitùs sensi; tuncque familiaribus quod in me fueram expertus, credidi Dimisi verò longo spatio, flectens undique brachium, nec quidquam molestum sensi, nec detracto effluxit sanguis, nec foramen ullum relictum est: quandoque semiguttula levis cruoris, non autem sanguinis, effluit, quâ vestigium vulneris deprehenditur. Nec qui auctor rei hujus erat, loca nervorum aut venarum observari volebat: ut planè intelligeremus, vim lapidi inesse. Lapis fabâ parvâ minor fuit, candidus, buxeusque potiùs quàm candidus, venis ferrugineis distinctus, lenis admodum ac levis, ut totus pondus granorum tredecim tritici impleret. Ipsa verò acus, quam ei obtuleram, confricata, etsi durissima esset ut priùs, adeo tn. apparebat lenis, ut non ampliùs ferri naturam retinere videretur. Hic indagat causam Cardanus, quomodo fieri potuerit, ut acus intrusa dolorem non inferret brachio. Si ergo naturaliter ab homine id fieri potest, multò magis à Dæmone poterit fieri. Sciendum tamen, multis de causis contingere, ut malefici, qui in equuleo torquentur, non loquantur, nihilque confiteantur. Nam aliquando tacent, quia dolorem non sentiunt; aliquando, quia loqui non possunt, etiamsi dolorem sentiant; aliquando quia nec sentiunt, nec loqui possunt, ut quando profundo somno sunt oppressi; aliquando, quia licèt sentiant, & loqui possint, robusti tamen sunt, & cruciatus tolerant aut animo forti, aut obstinato. Ut non sentiant, solet Dæmon efficere per remedia naturalia vim obstupefaciendi sensus habentia, occultè adhibita, ex pacto tamen illis antea vel suspendit aliquid è collo, vel sumendum dedit per cibum aut potum, vel capillis irretivit, vel scapulis impressit, vel inter carnem & cutem abscondit. Ut non possint loqui, licet sentiant, præcludit fauces & os, eâ moderatione tamen, ut non præfocentur. Interdum etiam organum auditus obstruunt, ut interrogationes non exaudiant. Hæc omnia exemplis confirmat Remigius, & Auctor Mallei. Cardanus lib. 8. variet. cap. 44. ait: *Quæ hominis sensum in tormentis auferunt, præter stupefacientia, sunt veluti succus apii, chelidoniæ, crocus, fuligo, medulla & pinguedo humana, & hæc arteriis illita, ut etiam oleum lacertarum, ebibitum quoque vinum, in quo octo diebus infusum fuerit semen portulacæ marinæ, probibet nè tortus confiteatur.*

LXXXV.

LXXXV.

Hactenus quid possit in regno animali Magia ostensum, nunc ad alia Corpora accedendum, & quidem primò ad Cœlum, in quo astra Sol, Luna, stellæque cæteræ. Non posse autem Diabolum vel siderum motus sistere, vel status cursus retro agere vel aliquid aliud circa astra moliri planum est. Nam *primò* Scriptura tanquam insigne miraculum describit, quod ad Imperium DEI Sol steterit in Gibeon, & Luna in Ajalon *Josuæ 10. v. 12, 13, 14.* Deprædicat, ut documentum potentiæ divinæ retrocessum solarem ad decem gradus tempore Hiskiæ, de quo 2. *Reg. 20. v. 9, 10, 11.* qui itaque Diabolus hæc possit imitari. *Secundò*, quia Scriptura ipsum appellat principem aëris & sedem assignat malignis Spiritibus sub cœlo *Luc. 22. v. 13. Eph. 2. v. 2. cap. 6. v. 12. Coloss. 1. v. 13.* non itaque habet potestatem in sydera, ut possit illa vel sistere, vel Lumen illorum tollere, vel motum temperare pro arbitrio. *Tertiò* vicissitudo ex astris pendens fixa est à Deo, dicente post diluvium, quod ipse scil. sit illam observaturus *Genes. 8. v. 22. & cap. 9. v. 15.* quæ autem Decreto divino, Lege constituta, Ordine certo à Deo determinata sunt, in illa nullæ sunt vires Diabolo. Unde etiam Angelis bonis nihil juris est in cœlum & astra docentibus Philosophis & Theologis Thoma 1. quæst. 110. Albertino, Suarezio, Tannero & aliis, qui etiam calculum hâc in causâ nobis addunt, & iisdem dicunt & docent, imò insuper adducunt Augustinum lib. 15. de Civ. DEI cap. 4. Ludovicum Vivem in Comment. illius loci, Cicognam lib. 3. c. 5. Delrio lib. 2. quæst. 11. Chrysostomum, Theophylactum, Adamum Sasbout & alios quamplures. *Secundò* non possunt tota Elementa loco situque movere aut abolere, motum eorum inhibere. Nam *primò* Deus est Author illius Ordinis, quem inter Elementa constituit, quapropter in illum nihil virium juris atque potestatis habet Diabolus. *Secundò*, si possent Dæmones Elementa loco movere, abolere possent totum Mundum intervertere, & consequenter destruere, cum Mundi Destructio soli Deo approprietur non tantùm per rationem, quia qui creare etiam potest annihilare, sed & per Scripturam 2. *Pet. 3. vers. 10.* *Tertiò*, si nè Angelis bonis tantum concessum est, ut supra ex Thoma, Suarezio & aliis docuimus, multò minùs illud sibi arro-

gare

gare poterit Diabolus. *Tertiò* non poſſunt montes transferre, ſylvas, colles, & vineta producere, arcesque & palatia vera & realia oſtentare procreata. Nam *primò* montes transferre fidei miraculoſæ tribuitur in Scriptura, Diabolus verò nullum miraculum poteſt producere *Matth. 17. v. 20. Secundò* ſylvas, colles & vineta, producere eſt ſolius Dei, contingitque per creationem, de qua *Gen. 1. v. 11. & 12. Tertiò* arces & palatia exædificare vera magnum apparatum materialium requirit, & ſi verè producere poſſent, durarent, ſubſiſterent, atqui tale palatium, talis arx nullibi reperitur in univerſo Orbe.

LXXXVI.

Interim non deeſt Corniculæ ſua Cautio, & ſunt, qui oppoſitam tuentur ſententiam, inſiſtuntque ſequentibus argumentis *primò*, ſi conceſſa ſit Dæmoni poteſtas in hominem longè nobiliorem cœlo, etiam poſſe vires ſuas exerere in cœlum, aſtra & ſtellas, unde Vulgatum illud, quod carmina vel cœlo poſſint deducere Lunam Virgilius Ecloge 4. quibus adde Ovidium, Propertium, Claudianum, Senecam, Horatium, Lucanum, Petronium, Empedoclem, Apuleum lib. 1. & 2. *Secundò* producunt Apollonium Thyanæũ & referunt duo dolia habuiſſe, quibus apertis Imbres & Venti eruperint, clauſis ſerenitas & tranquillitas aëris redierit ſecundum Philoſtratum. Sopatrem Philoſophum aſpectum ultimo ſupplicio, quod carmine magico ventos vincire aggreſſus eſſet, ne annona Byzantium inveheretur, Canidiam imperium exercuiſſe in Mare & Terram teſte Horatio Tibullo lib. 1. Eleg. 2. Empedoclem apud Laërtium, Regem, cui pileus ventoſus cognomen hæſerit & alios. *Tertiò* non impoſſibile eſſe, ut Diabolus particulam terræ loco moveat & transvehat ex permiſſione divina. Sic vecti Marcelli olivetum Romæ publicam viam aliquando ſupergreſſum & in alium locum translatum eſſe. Sic Cynarias Inſulas vel ſcopulos ſub Phoſphoro Thracio à Poëtis inter ſeſe concurrere auſos referri. Sic denique Fauſtum Principibus Anhaltinis egregias arces & palatia aliquando in aëre oſtentaſſe, quæ momento diſparuerint, conſtare ex Hiſtoria illius cap. 44.

LXXXVII.

Sed hæc levia ſunt, nec probant intentum. Non primum, tum

tum quia sæpe est potestas in nobiliora, quæ in ignobilioribus deficit, ut constat ex Magorum Ægyptiacorum operationibus, qui in tertio signo pediculorum scil. productione defecerunt *Exod. 8. v. 18.* tùm quia quod in homine Diabolo quandoque potestas, id est ex pœna, quæ non ferit cœlum, sanè homo morti est obnoxius ex denunciatione divinâ, cùm cœlum tale quid non subeat *Gen. 3. v. 19.* tum quia licet homo sit nobilior cœlo ex naturæ conditione, non tamen ex influxus & operationis universalis in hæc inferiora Ratione, quæ si cessaret, vel sisti posset hic Orbis, quem inhabitamus, corrueret, neque attendendum quid Poëtæ garriant illi fabularum figuli, quid unus & alter ex cæcis Philosophis somniarit & finxerit. Non secundum, nam Deus *primò* dicitur pater pluviæ *Jobi 38. v. 28.* ipse promittit eam *Deut. 11. v. 11.* subducit *Deut. 28. v. 24.* atque ipse illam producere dicitur *Psalm. 135. v. 7. Ps. 147. v. 8. Esaiæ 30. v. 29. Jeremiæ 14. v. 22. Actor. 14. v. 17. Secundò*, quæ de Apollonio Thyanæo produntur, plæraq; sunt fabulosa, & quomodo potest imber vel ventus dolio includi? quomodo erumpere illo aperto? quomodo clauso redire serenitas? *Tertiò* accusatus fuit quidem Sopater, quod ventos captivarit, sed num convictus? nec Empedocles & pileus ventosus revera fecerunt, quod fecisse dicuntur, nec si fecerunt, absque præstigiis fecerunt. *Tertiò*, si vera sunt quæ de Vectii Marcelli oliveto produntur, de scopulis sub Bosphoro thracio concurrentibus, quomodo probabitur vi magicâ illud accidisse & non virtute divinâ. *Secundò* particulam terræ exiguæ posse Diabolum movere & loco transferre concedimus, at montes, quos Deus posuit firmos pro lubitu translocare illius superat potestatem, inprimis, si consideremus loca Scripturæ *Psalm. 18. v. 8. Psalm. 46. v. 3. & 4. Psalm. 65. v. 7. Ps. 97. v. 5. Ps. 144. v. 5. Tertiò* Fausti repræsentationes fuerunt veræ præstigiæ, quod vel ex eo patet, quod momento disparuerunt.

LXXXVIII.

An autem permittente DEO particulares mutationes causari possit Dæmon, nempe, Terræ motus producendo, tempestates promovendo, grandines, ventos, pluvias, procellas, turbines, pruinas, nives, fulmina, fulgura, caligines, serenitates, sterilitates,

tes, fructuositates excitando, in agros pro lubitu immittendo, excitatas sedando, reprimendo id quæstionis est & dissentiunt hîc iterum Scriptores. Quidam enim asserunt Diabolum posse tempestates ciere cum Augustino, Isidoro, Authore Mallei maleficarum, Sylvestro, Nidero, Alphonso à Castro, Jacquerio, Bartholo, Angelo, Azone, Godefrido, Bonifacio, Anania, Grimando, Molitore, Binsfeldio, Delrio, Boisardo, Pererio, Tholosano, Bodino, Remigio, Hildebrando, Paracelso, Cigogna, Grosio, Stumpfio & aliis. Quidam in oppositam sententiam inclinant cum Wiero, Godelmanno, Althusio, Prætorio, Lercheimero, Cælio, Calgagnino, Pontizibio & aliis. Tandem mediam quidam insistunt viam & Dæmones quidem aliquid posse contendunt, verum non nisi applicatione Mediorum naturalium, activorum ad passiva, vel prædictione & conjectione profundiore, nihil verò propriis viribus, atque ritibus & ceremoniis. Ita quidem Balduinus lib. 3. Cas. Conscientiæ c. 5. q. 9. Sagittarius Can. 1. Metaph. d. 5. t. 1. Biermannus in Disp. de Magia. Tannerus & alii, atque hæc media nobis placet sententia. Nam *primò* Scriptura tempestates, tonitrua, ventos, pluvias, nubes &c. Deo adscribit ejusque potestati, ut principalis agentis subjicit *Gen. 9. v. 14. Exod. 9. v. 23. Josuæ 10. v. 11. Jobi 36. v. 29. cap. 37. v. 3. cap. 38. v. 22. cap. 40. v. 4. Psalm. 29. v. 3. Psalm. 135. v. 7. Jeremiæ 10. v. 13. cap. 14. v. 22. Hagg. 2. v. 18. Zachariæ 10. v. 1. Secundò*, quia si citra permissionem divinam posset tempestates excitare, & pro lubitu fulmina & & fulgura, grandines & pruinas producere periculum esset, ne maxima pars hominum istiusmodi subverteretur à generali illo Hoste, qui Homicida ab initio *Johan. 1.* qui Leo rugiens, qui circuit, quærens quem devoret *1. Petr. 5.* quia *tertiò* nunquam illi sine nubibus, exhalationibus, vaporibus, halitibus ipse consimilia producere potest, quapropter præsentibus tantum illis pro arbitrio DEI Omnipotentis præscire potest, agitare, impellere, intendere, remittere &c. potest. Sic in Historia Jobi legimus illum ignem de cœlo procurasse, per ventum vehementem domum concubuisse, qui aliàs princeps aëris dicitur *Eph. 6, v. 12.* & si potest causas secundas activa passivis applicare. Ergo etiam materiam productam, vel in semine latentem poterit ad violentiam suam

applicare atque torquere. Unde de Spectro Rübenzahl constat, quod lacessitum horrendas tempestates excitarit, & si quid injiciatur lacubus, specubus aut puteis quibusdam furat cœlum, tremat unda, ut quidem contingit in Antro Snellem in Finonia, Specu in Dalmatia, Lacu Martis Canati in Hispania, Scefagiola in Apennino & aliis locis, secundum quosdam in lacu Pilati, vel potius Pileato in Helvetia, quæ omnia si contingunt, debent originem suam Diabolo.

LXXXIX.

Si reponatur ab Adversariis negativam amplectentibus Scripturam *primò* constanter Deo tempestates, nubes, & pluvias adscribere, non itaque nisi per meram Idololatriam hoc quoque tribui Diabolo, aut operas illas partiri. *Secundò* si Diabolus hoc possit, posse illum grassari in genus humanum, in periculum adducere illud, imò subvertere. *Tertiò* adversari affirmativam sectantibus Concilium Braccarense, quod Anathema dicat illi, qui ullam creaturam tempestates producere asserat, nihil promovebis. Nam *primò* Scriptura ita tribuit istiusmodi meteora Deo, ut non excludat halitus, vapores sulphureos, nitrosos, salinos &c. ergò tribuit ita, ut universali caussæ, ut principali agenti, ut Authori illarum independenti, qui admittit concursum inferiorum. *Secundò* Scriptura quandoque DEO ita tribuit operationes, ut tamen ille mediantibus Angelis dicantur peractæ, sic dicitur occidisse pecora Ægyptiorum *Exod. 9. v. 6.* & tamen asserit illam stragem pactam esse ab Angelis malis *Psalm. 78. v. 50.* *Tertiò* non tantùm Deo, non soli illi tribuitur istiusmodi operatio, sed & cœlo *Deut. 11. v. 17. cap. 28. v. 12, 13. Oseæ 2. v. 21.* *Secundò* periculum illud facilè declinatur respiciendo Deum ejusque providentiam, quæ suaviter cuncta disponit attendendo, quod non ipsorum arbitrio istiusmodi tempestates permittantur, sed in tantum possint, in quantum Deus permittit, qui omnia moderatur, quandoque impedit, quandoque metas & terminos ponit, quandoque ita dirigit ut in mediis illis sathanicis operationibus ipsius sapientia, potentia & benignitas reluceant, considerando quod fideles & Christiani longè potentiorem protectorem habeant, quam ut Diabolus quicquam contra illos moliri vel in Regno Naturæ machinari possit.

poſſit. Denique Concilium Bracarenſe nos non ſtringit, tum quia Scriptura Lucerna pedibus noſtris & Lux ſemitis noſtris *Pſalm.* 119. tùm quia nullum Concilium authoritatem habet ἀναπόδεικτον apud nos inprimis ſi particulare ſit, quale fuit illud Bracarenſe, tum quia de illis loquitur, qui propriâ authoritate & virtute creaturas talia producere poſſe ſomniant, tanquam prima principia Authores & Cauſæ, quod tamen ſoli Deo proprium.

XC.

Unde noſtri Theologi: Nos exiſtimamus heîc diſtinguendũ eſſe *inter potentiam Dæmonum conſideratam* vel SOLAM, vel cum ALIA. Si hæc potentia SOLA conſideratur, Diabolus non poteſt propriâ virtute tempeſtates, fulgura, tonitrua ad pluvias excitare: Hæc n. ſunt opera ſolius Dei omnipotentis, quæ Diabolus propriâ virtute pro lubitu producere haud valet, quod Scriptura S. teſtatur Job. XXXVIII, 34. 35. XL, 4. Pſ. LXX, 8. Et ſanè ſi Diabolus fulminis projiciendi, tempeſtatumque excitandarum poteſtatem *ex ſe* haberet, nec ullibi veſtigia hominum ulla extarent. Nam *ſi tantum nocere poſſet, quantum vellet, aliquis juſtorum non remaneret*, inquit Auguſtinus in Pſ. Si autem Diaboli potentia cum ALIA virtute videlicet Dei, & concurrente natura conſideratur, utique Diabolus poteſt excitare tempeſtates, easdemque producere. Unde & ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος vocatur Epheſ. II, 2. non quaſi aërem condiderit, aut in aëre habitet, nec ideò, quia ſit tempeſtatum cauſa originalis & effectiva, ſed tantùm occaſionalis & diſpoſitiva. Poteſt enim permiſſu DEI materiæ motum promovere, disgregatas exhalationes cogere, ut maxima & ſæviſſima ingraveſcat tempeſtas. Hinc nonnulli exiſtimant, principem aëris magnam illam tempeſtatem, quam deſcribit Matthæus cap. VIII, 24. in odium Chriſti & ſequacium, ſi fortè ſubmergere eos potuiſſet, concitâſſe. *Solet enim Diabolus contra filios DEI tempeſtatem movere, ſed ipſe naufragium facit, non ipſi*, ut loquitur Ambroſius *in caput 6. ad Epheſ.*

XCI.

Patet hinc Dæmones & Magos illorum ope poſſe nocere ſylvis, agris, hortis, fruges transferre, incantare, & nocumenta ab illis avertere. Nam *primò*, ſi permittente Deo tempeſtates excitare

 poſſunt,

possunt, possunt etiam illas dirigere, & derivare in certam partem terræ, sic Nobiles quosdam in Pictonibus pulverem domi & segetibus injecerunt, addentes maledictio in istos fructus &c. *Secundò* apud Gentiles certum habebatur magicis carminibus posse fruges traduci in alium agrum, unde etiam illa Furii Cresini accusatio & Lex duodecim Tabularum disertè habet. Alienam frugem nè pellicitè denique *tertiò* incantare posse nocumenta ab illis avertere, & fertilitatem agris conciliare patet, quia hoc ipsum Regi Galliarum Bloesis fuit oblatum Anno superioris seculi 77. De quo vide Bodinum lib. 3.cap. 3.

XCII.

Patet *secundò* posse aërem & aquam corrumpere, lethalem & tabificam reddere. Nam *primò* aër est Elementum ἐνδέπερον potest recipere varias mutationes, impraegnari, sulphureis, salinis, nitrosis particulis, veneno contaminari, quod constat quoque Exemplo hoc: *Cùm Maruthas Mesopotamiæ Episcopus legatione fungeretur apud Isdigerdem Persarum Regem, & Episcopo pietatis nomine faveret Isdigerdes: Magi, timentes suæ religioni, quacumque Rex esset transiturus, illic intolerandum fœtorem excitant, calumniamque confingunt, comites Christianos istius esse artifices: sed deprehensi, re penitius cognita Magi supplicio affecti sunt.* *Secundò*, sicut aër est pervius, ita aqua quoque est liquida, quæ impressionum variarum capax, ut constat ex Averno Italiæ, mari mortuo in Judæa. *Tertiò* constat hoc ex pestis tempore, ubi visi fuerunt duo Spiritus in corpore circumambulantes, qui sanè ostendunt, sese immiscere Sathanam consimilibus pestiferis temporibus, inficere quandoque aërem quem haurimus, potum quem excipimus adeoque venenum suum spargere in aquam & aërem, ut ex illius insufflatione vel potu inficiamus.

XCIII.

Patet *tertiò* posse Magos quandoque impedire ignis activitatem, ut scil. illud quamvis naturaliter incendat, non urat. Nam *primò*, si per narcotica potest causas ita corroborare adversus torturæ vim, ut illam dormientes & sine sensu sustineant, quidni possit vim Ignis impedire vel se medium sistendo inter Ignem & Magum, vel vim illius infringendo ascito in subsidium suavi ventulo,

tulo, vel formam Ignis premendo, ne ſcil. effluat illa proprietas ex illo aut intendatur. *Secundò* poteſt procurare, ut aliquis innoxius per prunas ardenter ambulet, & non comburatur, ut olim Dianæ Caſtabalis Sacerdotiſſæ non lædebantur ab Igne teſte Strabone lib. 5. poterit etiam activitatem Ignis refringere & impedire, ne ſcil. agat ad extremum ſuarum virium. *Tertiò*, ſi poſſunt facere, ut quis aqua non ſubmergatur, ut docet proba aquæ frigidæ, poterit etiam Ignis vim inhibere, ne noceat.

XCIV.

Egimus de Operationibus Magorum in Cœlum & Elementa: nunc expendendum quid poſſint in illa, quæ Terra reondidit, nempe in Mineralia lapides & gemmas, aurum & argentum, metalla inferiora, num ſcil. poſſit gemmas exhibere vel oſtendere? num Metalla nobiliora homini aſſignare, pecuniæ ſummam largiri vel materiam producere? num denique ignobiliora poſſit convertere Metalla in aurum. Et quidem poſſe illum gemmas oſtendere & exhibere patet ex eo, quia eſt profundus Naturæ Scrutator, latibula gemmarum optimè novit, imò in venis terræ graſſatur paſſim, quid enim ſunt virunculi metallici, de quibus vide Nollium, niſi Dæmones, qui in figura humana comparent, & ſi theſauros quandoque oſtendunt, qui ex auro, argento & gemmis conſtant, quidni, etiam poſſint gemmas oſtendere & exhibere. *Secundò* pecuniam poſſe largiri ſuis multis exemplis oſtendi poteſt Damhauderio iſtiusmodi recenſente, quanquam ſæpius decipiat inani ſpe & ſpecie, ut docet Remigius: *Sennel armentaria Duzæ 1. Kal. Octobr. 1586. accepta à dæmone, ut ſibi videbatur, pecunia, geſtiens domum propere rediit, eam ut numeraret: ſed excuſſo ſacco, nihil niſi teſtas & carbones reperit. Catharina Metenſis Duzæ prid. non. Novembr. 1586. ſuccerdam: Claudia Morelia Serræ. 3. Non. Decemb. 1585. Benedictus Drigens Haracuriæ 18. Kal. Jan. Dominica Petronina Pangæi 13. Kal. Novembr. 1586. ac plerique alii, arborum folia. Joanna à Banno Manerii. 3. Non. Jul. 1585. cum nummum aureum charta involutum in via reperiſſet, uti dæmon eventum prædixerat, atque cum marito cupidè oſtentaret: advertit tandem, non ſine pudore, pro auro nactam ſe calculum ferrugineum, qui etiam contactu primo facile in fruſtra diſſiliret. Una Catherina Ruſſa Valleæ ad Moſellam.*

lam. 5. Kal. Aug. 1587. agnoscit nummos se tres semel ab eo sine fraude accepisse. Et quidni posset? qui tot thesauris in mari in terra reconditis incubat, imo qui non possit producere pecuniam, cum insecta quæ majoris sunt perfectionis valeat producere, & forma sit merè artificialis, quam imitari ipsi non est difficile. *Tertiò* ignobiliora metalla in aurum & argentum transmutare constat vel ex eo, quia homines hoc ipsum possunt, Theophrastus Paracelsus Tincturam habuit, Raymundus Lullius lapide philosophorum se divitem præstitit, Sendivogius ex Polonia artem transmutandi metalla exactè novit, pariter refertur de pharmacopola Tarvisino, Sidonio, Thurneissero, Antræo, Boëthio & aliis, quod si hi potuerunt transmutare metalla, quorum cognitio longè inferior diabolicâ, quidni asseramus quoque Diabolum hæc posse præstare.

XCV.

Transimus ad Operationes magicas in animantia & disquirimus utrum scil. Erucas, bruchos, papiliones, muscas, ranas, mures, lumbricos, pulices & id genus alia producere possint, & posse quidem virtute Dæmonis assistentis, tum ex eo, quia Scriptura annuit, quæ docet Magos in Ægypto quondam serpentes & ranas produxisse *Exod. 7. v. 8.* & Alexia Violæa Erucas aliaque animalcula produxit, cui jungimus Hosititiam, Origæam, Bonicrianam, Gerhardinam, tum eo eo quia potestatem Dæmonis id non transcendit, imò nec vires naturæ, ut docet Kenelmus Dygbi in peculiari de hâc materiâ edito tractatu, tum quia consentiunt Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 9. Thomas p. 1. q. 114. Bonaventura 2. sentent. dist. 7. Halensis part. 2. quæst. 43. Lombardus lib. 2. dist. 7. & alii. Interim meritò dubitamus, an perfecta animalia possint producere, quales sunt boves, vaccæ, equi, canes & consimiles atque in negativam propendemus: nam si potestas Dæmonis restricta est, ita ut non possit omne factibile producere etiam in genere brutorum *Exodi 8.* quomodo probabitur potestatem Diaboli extendere sese etiam ad bruta perfecta producenda. *Secundò*, si Deus suam magnificentiam in istiusmodi brutis ostendere voluit, quomodo Diabolo permittet, ut consimiliter operetur *Job. 30. v. 40. 41.* *Tertiò*, si illa generatio sit ex semine debito, præviis variis alterationibus requirit moram temporis, ela-

elaborationem secundum omnes partes materiæ infra vires Dæmonis erit, tale quid producere aut moliri. Unde etiam non potest nisi imperfecta transmutare, quia naturaliter triticum in lolium, Sisymbrium in Mentham, rapa in Raphanum, Ozymum in Serpillum, vitis alba in nigram in regno vegetabili mutantur.

XCVI.

Interim incantare posse Bruta, illis nocere, imo necare posse constat *primò* ex Scriptura, quæ incantationum meminit *Exod. 7. v. 11. & 12. cap. 8. v. 7. 18*, quæ serpentes aures suas obturare asserit, nè percipiant voces Incantatoris *Psalm. 58. v. 5. & 6.* quæ pœnæ loco serpentes, eorumque immissionem comminatur, qui sanari non possint *Jeremiæ 8. v. 17. Secundò* ex Natura quia hoc potestatem Diaboli non excedit. *Tertiò* Experientia, *quâ Magos in pecoribus aliisque rebus sæpè id præstitisse constat. Sic Saltzburgi Incantator aliquis omnes serpentes in confinio ad se in foveam adducere & interimere voluit. Sed ab uno ingenti serpente in foveam tractus ac interemptus est.* Bodinus l. 2. C. 2. Gœd. c. l. C. 6. *Ita Serenus Medicus ad hæmitritem morbum incantationem recenset. Inscribis Chartæ, quod dicitur abacadabra, &c. Et* Ammianus Marcellinus *incantamentum ad odontalgiam leniendam ad Medicinam pertinere refert.* Tholosan. l. 34. C. 9. *Druidæ ovum anguium certis ceremoniis suo tempore incantârunt, cui magnam vim ad multos effectus tribuerunt.* Idem C. 10. *Amatoria incantamentis induci posse constat*, V. C. 10. t. 4. *In Circensib. ludis velocitatem equis suis, adversariorum tarditatem & torporem inducere solent.* Arnobius l. 1. co. gent. Cassiodorus l. 3. Ep. 51. *Crocodilos à piscatoribus incantari solere ex* Villemontio Delrius q. 13. *tradit. Tentyritas Crocodilis innoxiè inequitare* Plinius *docet. Harcalo leones impunè attrectavit. Umbro hydros sopivit. Pythagoras feram & grandem ursam, ut & bovem, placidissimum reddidit.* Beyerling. Vo. Miracul. p. 549. *In Thessaliâ Malefica fuit, quæ Basiliscum incantavit.* Aristoteles l. d. mirab. audit. *circa finem.* Grillandus *Romæ se Magum vidisse* q. 8. *ait, qui solis verbis ferocissimum taurum compresserit, ut chordâ debili ligatum per aliquot milliaria mediâ nocte circumduxerit. Sed pactum Sathanæ hic intercessit, qui taurum cicuravit. Ad incantationem enim, ut tesseram pacti cum Mago, genius advolat, & bruta exarmat, sedat, enecat. Solorum verbo-*

rum vis tanta esse non potest. Et hoc modo Hilarius in Psalm. 57. *fabulas de Marsis & similibus putat, quasi vi carminis talia contingant, ut Vulgus putat. Brachmanes in Indiâ balænas per diem incantârunt, ne noxas inferrent.* Venetus l. 3. rer. Orient. C. 23. Grosius p. 1. Magicor. pag. 104. *In Urbe Parisiensi glires incantati, ne ibi essent, aut nocerent, & glis æreus sub cuniculo pontis defossus fuit. Quo ablato glires extra numerum ibi grassati.* Tholosan. l. 34. C. 18. n. 4. *Interdùm Canes incantant Magi, ne latrent, homines, ne clament, naves, ne ullo vento portum excedant, molendina, ne ullo impetu volvantur, aves ne volent, & similia.* Goëdelm. l. 1. C. 6. Nec tantum incantare sed & fascinare possunt, ut docet tum Ratio, quæ evincit non superare illam Dæmonis facultatem, tum Experientia, tum Authoritas, imò non tantùm incantare, non tantùm fascinare sed & enecare, lac mammis extrahere, maleficiis nocere & perdere, ut probatur *primò* Scripturæ authoritate, quæ docet Maleficis mortem esse inferendam scil. quia & illi nocuerunt, necarunt *Exod. 22. v. 18. Secundò* Experientia quæ hîc allucet, & tandem *tertiò* Textibus Juris Civilis, Canonici & Patrum. Ex Jure Civili V. Cod. d. mal. & Mat. l. 9. t. 18. Et leg. Cornel. d. Sic. & Venef. L. Corn. Inst. d. publ. Judic. Item Constit. Carolinam von Zauberey/ ex Canonico p. 2. decret. caus. 26. q. 1. 2. 3. 4. 5. Constitutiones Alexandri VI. Adriani VI. Sixti IV. l. 7. decretal. C. 1. 2. 3. Innocentii VIII. item, V. C. 7. t. 14. Ex Patribus Augustin. l. 10. d. Div. Dei in Jur. Canon. 26. q. 5. C. 14. Et serm. 207. d. tempore. Non tamen posse in vitam revocare demortua animalia vel resuscitare. *Si completa & absoluta mors fuerit, vix eandem formam semel in Corpore suo, ut materiâ, informare plenè desitam, & quidem eandem numero Sathanas revocabit, sed novam educet aut inducet in materiam, aut novum animal undecunque raptum subducto veteri oculis subjiciet, & solius DEI manebit privilegium, eandem præcisè numero formam eidem materiæ de novo illigare. Quanquam enim & per naturales causas quandoque tale quid fieri posse* Scotus & Richardus in 4. sent. d. 43. q. 1. & 3. *censuerunt: Meliùs tamen & fidei Christianæ convenientius* Capreolus & Sotus in cit. dist. Soncinas 5. Meta. q. 6. Toletus 2. de gen. q. 13. aliique *soli divinæ potestati sine motu, tempore, & intrinsecâ mutatione agenti id reser-*

ſervatum cenſent, naturali negant, cum omnis per motum, tempus, & mutationem agat, ut in libris de generat. *pluribus diſceptari ſolet. Et de perfectis brutis in vitam reductis, ut de Dracone Xanthus, de omnibus brutis* Agrippa, ap. Delrium, l. 2. q. 29. *De Leone Apollonii Philoſtratus, de tauro præſtigiatoris alicujus* Petrus de Abano & Remigius l. 2. C. 7. *De aliis alii quæ habent,* aut *meræ præſtigiæ & illuſiones magicæ fuerunt, & Sathanas ipſe cadavera ingreſſus ad tempus ea vegetavit,* V. C. 4. t. 22. *Non vitam animalem verè illis Magi reſtituerunt:* Aut *meræ fabulæ & commenta Poëtica ſunt:* aut *verè ac totaliter mortua ea non fuerunt, ſed ſopita tantùm ac mortuis ſimilia, quomodo quædam animantes certo ſpatio immotæ jacent, ac verè excitantur vitæque redduntur, ut glires, hirundines, muſcæ, paſſer vitulinus* apud Cardanum l. 7. d. variet. rer. *Secundùm quosdam & Lucumorienſes Ruſſi in Moſcoviâ apud* Guagninum in deſcript. Sarmatiæ. *Quod tamen meritò fabuloſum* Herberſteinio aliisque *videtur: Niſi fortè meris præſtigiis Diabolicis abſolvatur, cum ingens apud Septentrionales iſtos Magorum copia ſit.*

XCVII.

Homini Animalium nobiliſſimo Magi & Sagæ nocere poſſunt in Conjugio ligando, ne coire poſſint, vel debitum conjugale ſibi invicem reddere ſobolem progenerare, quod conſtat partim Experientia, partim Ratione, partim Authoritate, & quidem permittit DEUS hoc ex certis cauſis, modi etiam recenſentur, partim *naturales*, partim *præternaturales*, *quos impoſtor per Magum adhibere queat.* Vel *enim odia inter Conjuges ſerit*, vel *phantaſiam turbat, ut in compare valdè odioſum quid avertant, ut Valazza mulierum mentes poculis & carminibus à virorum amore avertit, ut maritos, patres, fratres, filios unâ nocte omnes interimerent,* Æn. Sylv. hiſt. Boh. C. 7. *Sic in Hetruriâ Juvenis uxorem formoſam cum liberis reliquit, & veneficam aliquam perditè adamavit, eique cohabitavit, & in Neapolitano tractu ſimile contigit, ut ex* Codronchio Sennertus C. 3. l. 6. Pract. *narrat:* Vel *in congreſſu alterum alt. lancinare facit, ut genitale nimis magnum, vel valdè fœdum appareat:* Vel *Corpora impedit, ne conjungi poſſint, nebulam,* t. 5. *phantaſma, aliudvè interjiciendo. Sic* Propertius l. 1. El. 12. *Aut quæ lecta Prometheis dividit herba jugis?* Vel *Spiritus ad genitalia decur-*

rere probibet, ne seminis decisio generetur, V. Majorem in 4. sent. d. 34. a. 3. Vel *semen exsiccat & subtrabit,* vel *alia naturalia media adbibet, quibus Veneri impedimenta quæruntur,* vel *Corpora congressa cobærere facit, ut divelli iterum non possint, unde congrediendi borror oritur, quomodo in Urbe Karentinâ apud Rugianos factum,* Saxo Grammat. l. 14. hist. Dan. *Quod vel præstigiis, vel viscositate seminis peractum à Dæmone.* Sæpiusque viri quàm fœminæ, nec solvere possunt, nec peti ab illis ut solvant, qui genitalia planè auferre possunt & aliis, quibuscunque modis Genituram corrumpere. *Secundò* morbos immittere possunt docente Scriptura, Natura, & Experientia, abortus procurando, infantes emaciando, fascinando, necando, abripiendo & alios supponendo. *Tertiò* stuporem inducendo, cutem impenetrabilem gladiis, telis & pyrio pulvere reddendo, bombardas incantando, phantasiam variè pingendo, intellectum scientiis imbuendo, voluntatem flectendo.

XCVIII.

Accedunt nobis Theologi, qui ita: Sicut omnia mala pœnæ, ita & morbi immittuntur à DEO. *Non enim est malum in civitate, quod non faciat Dominus* Amos III, v. 2. quem locum ipse Aretius *Problem.* 162. de *malo pœnæ* interpretatur contra socios. Hinc Deus ipse legis suæ transgressoribus, *febrim, ardorem, frigus, æstum, scabiem & pruriginem minatur.* Levit. XXVI, 22. Deuter. XXVIII, 22. *& qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidit in manus medici.* Sirach. XXXVIII, 15. Interim tamen permittente DEO Diabolum in infligendis morbis multum posse historia Jobi, quem ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus percussit cap. II. 7. inter alia satis superque testatur. Et Luc. XIII. 11. & 16. de quadam muliere legimus, quòd *Satanas eam octodecim annis ita alligaverit, ut non potuerit erecto incedere vultu.* Magna igitur Diaboli est potentia in corpora humana. Nam interdum morbos immittit per *media naturalia.* Instigat enim ad intemperantiam & ingluviem, ex quibus oriuntur morbi, teste Siracide *cap. XXXVII. 32. 33. 34.* interdum *præter naturam originem nervorum perturbat* in cerebro, mirasque convulsionum facit species, quibus etiam peritissimos Medicos ludificat uti testatur Wierus lib. 1. de Præstig. Dæm. cap. 12, interdum etiam horri-

horribili ſpectro homines terret, ut ex terrore incidant in morbos periculoſos, cujus rei exempla habet Alexander ab Alex. *l.* 2. *Genial. dier. cap.* 9. Interea *absque omnipotentis Dei conceſſione nullam habet poteſtatem contra hominem malignus Spiritus*, *qui etiam in porcos tranſire non potuit, niſi permiſſus*, ut loquitur Gregorius *in Dial.* Et recenſet B. Balduinus duodecim opera, quæ Diabolus præſtare nec poſſit, nec ei à Deo permittantur, quæ vide in *C. C. lib. III. cap. II. Caſ. IV. p.* 597.

XCIX.

Non tamen poſſunt Magi primò Animam alicujus è Corpore abripere & ad corpus iterum deferre, non ſolum hoc autem probavimus ſuprà, ſed inſuper adſtruimus *primò* Scriptura, quæ ſoli Deo reſuſcitationem corporum vindicat, Sathanæ idolis & creaturis in univerſum, denegat *Deut.* 32. *v.* 39. 1. *Sam.* 2. *v.* 6. 2. *Reg.* 5. *v.* 7. *Sap.* 16. *v.* 13. *Secundò* Ratione, quia mortuos reſuſcitare eſt articulus fidei, qui ſubſunt non potentiæ diabolicæ, ſed divinæ. *Tertiò*, quia eſt miraculum & quidem maximum, quod conſequenter ſoli Deo tribuendũ. *Quanquam verò hoc Magi ſibi ac Dæmoni ſuo adſcribere volunt.* V.C.4.t. 8.19.22. *Empedocles apud* Laërtium l.8. *Xantus, Juba, aliique id fieri contendunt, factumque à Magis interdum referunt. Unde cadavera Diabolus interdum aſſumpſit, commovit & vegetavit*, t.22.c.l. *Verius tamen contrarium eſt, & ſoli Deo mortuos verè in vitam revocare reſervatur. Patet* 1. Scripturâ, *ubi notanter in Deo adſcribitur, & idolis, Sathanæ, ac Creaturis univerſim negatur.* Deut. 32, v. 39. 1. Sam. 2. v. 6. 2. Reg. 5. v. 7. Sap. 16. v. 13. *& alibi.* 2. Ratione. *Quia mortuos reſurgere inter fidei Chriſtianæ articulos eſt, ut è Symbolo conſtat. At hæc myſtica & divina ſunt, non Magis aut Sathanæ communia.* 3. *Quia mortuos reſuſcitare verum miraculum eſt, quod totius naturæ & artis vim tranſcendit, ut patet. Sed miracula facere ſolius divinæ virtutis eſt, quam ex illis ut Chriſti & Apoſtolorum factis immotè colligimus*, Joh. 3. v. 2. Rom. 15. v. 19. *Et communis Theol. & Philoſ. hæc eſt ſententia.* Dices 1. Poſſet Diabolus, *ſi Deus permittat, damnatam aliquam animam ſuo imperio ſubjectam cogere, ut cadaver ſuum, à quo exiiſſet, ſubiret, illudque moveret & vegetaret. E. & mortuum reſuſcitare poſſet. Nam hoc ipſum tale quid eſt.* ℞. Non id poſſet Dæmon, *nec in animas tale ipſi Im-*

perium, ut è sedibus suis, sive beatæ illæ, sive damnatæ, eas excire, & in hanc vitam reducere, aut Corporibus suis redunire possit. Piorum enim animæ in manu DEI sunt, Sap. 3. *Secundò* non possunt animas mortuorum sistere post Excessum, tum quia sunt vel in Beatitudine vel ex Inferno, ex quo non datur remeatio ad nos, tum quia aliud est repræsentare & figurare, quod posse non negamus, aliud sistere in propria natura, quod illis impossibile esse censemus. Videatur Voet. de Spiritu Posoniensi, tum quia qui sistuntur, plærumque se produnt Relationibus suis, jussis & Imperiis de peregrinationibus de Missis privatis pro defunctis, de Erectione Templorum, Dedicatione Idolorum. *Tertiò* non possunt aliquid in Corpora piè defunctorum. Nam *primò* custodit Deus omnia ossa piorum, ne ullum ipsorum confringatur *Psalm. 34. v. 21. Secundò* fuere illa corpora piè defunctorum Templa Spiritus S., quæ proinde ipse non patitur prostitui. *Tertiò* retinent habitudinem ad animam, quæ est in manu Domini, de quo *Sap. 3.* interim *quando à DEO permittiur, possunt ea in illis exercere, quæ aliàs in Corporalia possunt, itemque prodigiosa & communem naturam superantia quandoque circa ea conari. V. g. A putredine præservare, quomodo fulmine ictorum corpora non putrescere dicuntur. Et quomodo æs, aromata, aliaque diu à corruptione præservant, eoque Ægyptiis in sepeliendo adhibita.* Camerar. C. 1. C. 14. & C. 2. C. 71. *Vel combustionem ad tempus impedire, quomodo Cor Cordiacorum aut intoxicatorum comburi non potest*, Plinius l. 11. C. 38. *Aut hæmorrhagiam ad præsentiam occisoris conciliare, quomodo id alias contingere scimus*, V. C. 12. t. 1. *Aut pilos & ungues in demortuo adaugere, &c.*

C.

Tandem an possint Magi & Sagæ gratiam procerum honores, divitias aut formæ pulchritudinem conciliare quæritur & negativè respondetur, ut & victorias procurare, amorem & odium, famam lædere, Justitiæ Ministris infensos se exhibere, & quæ sunt cætera, de quibus omnibus sequentia sunt habenda: Quia odium, *amor, & favor, voluntate, familiaritate, notitiâ, similitudine, usuque hominis conciliantur, quorum fundamentum quidem à naturâ & inclinatione est, complementum tamen à morali quodam principio, ut cum bonum*

bonum, utile, cognatum, nobis judatur, ad id prosequendum, cum noxium, dissimile, ad fugiendum permovetur homo. Ubi ratio talia agnovit, modos invenit & parat, quibus rei judicatæ se applicet aut ab eâ abstrahat, & voluntatem velut suorum executricem exsuscitat. Hæc ergò cum è naturâ & ratione ortum habent, nihil ad ea Magorum deliramenta faciunt, frustraque illis adscribuntur. 2. Quia *gratia procerum, honores, opes, Deo largitori tanquam dona ejus in sacris adscribuntur,* Gen. 31. v. 24. 29. Gen. 39. v. 4. 21. Exod. 3. v. 21. C. 11. v. 3. C. 12. v. 36. Act. 7. v. 10. Eccles. 2. v. 26. C. 9. v. 11. 1. Sam. 2. v. 30. *Et passim. Non ergò à Magis talia expectanda.* 3. Quia ipsi *Magi & Sagæ passim invisi, & in omnium odio sunt, ut experientiâ constat. Et utcunque præstigias eorum ac oblectamenta interdum Magnates æstiment ac admittant, Magiam tamen & Magos plerumque abominantur. Iidem vilissimi & contemptissimi sunt, ut sibi ipsis honores parare, nedum aliis, non possint. Qui Magicis ad honores pervenisse dicuntur, ut Pontifices quidam, ut communiter sentitur,* C. 3. t. 13. *Et* Marchio Ancræus *in Gallia, qui anno 1613. incantamentis effecisse fertur, ut in maximâ reginæ gratiâ esset, omnesque Principes præ ipso parvi essent, Regem & regnum in potestate habuit, ærario usus, & leges pro arbitrio fixit an refixit.* Cluverus Epit. histor. ad ann. 613. Vel *ille ab osoribus tantùm ita describuntur, & aliis artibus, Philosophiâ, ambitu, Simoniâ, eò devenerunt, ut* Delrius l. 2. q. 12. & Bodinus l. 3. C. 3. *ostendunt:* Vel *bonor constans non fuit, & de sede dejecti, aut aliàs à Sathanâ more suo agente elusi sunt, ut in aliis contigit. Ut Nerone,* V. C. 3. t. 2. Divitias tantum abest, *ut aliis conciliare possint, ut ipsi pauperrimi sint, & plerumque præstigiis à Sathanâ dementententur, ut pro pecuniis scruta & quisquilias à Sathanâ accipiant,* C. 4. t. 19. *Ac ipsi fatentur, se ne obolo à Spiritu ditari, ut quidam apud* Bodinum l. 2. C. 3. *Quidam postquam Magicis se addixerunt, è divitibus in paupertatem præcipitati sunt, vitamque inopiâ consumpserunt,* Idem l. 3. C. 3. *Thesauros, quos terrâ abditos interdum Sathan ostendit, magnam partem præstigiosos esse constat. Sic Apollonius thesauros frustra quæsivit.* V. C. 7. t. 21. Si *verè hic aliquid Sathanas interdum præstat, decies iterum fallit.* V. Beyerling. V. miraculum p. 548. *Et si quid hic posset, maximè impiis suis pecuniam, belli nervum, suppeditaret, & sic perpetuas bellorum segetes moveret,*

veret, pios profligaret, omniaque commoveret, nisi Deus extra ordinem succurreret. Venustatem *similiter à Sagis expectare irritum est, cum deformes, fœtidæ, ac turpes ipsæ sint, nec Sagam venustam à se visam* Cardanus *testetur, nec ulla faciem sic fucare potuerit, ut speciosior apparuerit, sed verè vulgò dicatur,* Deformis, ut Saga. V. Bod. c. l.

CI.

Num verò huic Hosti Numinis & totius generis humani sit maledicendum? quia tam fæde descriptus? Respondent nostri: Quamvis Diabolus omninò sit dignus maledictione, & ipsius imprimis opera maledicta, pius tamen homo quantum in se est, parcit linguæ suæ, ne quid maledictum pronunciet. Hinc Michaël Archangelus cum Diabolo disputans de Mosis corpore, non ausus est inferre judicium blasphemiæ, sed dixit: *Increpet te Dominus* i. e. Deus te coërceat, & conatibus tuis resistat Jud. v. 9. quod non est maledicere, sed mali conatus impedimentum à Deo ipsi precari. Quamvis enim Michaël Archangelus sciret, Diabolum per Apostasiam à Deo creatore se avertisse, & repudium ei misisse, tamen expendit ipsum naturâ adhuc esse bonam Dei creaturam, ideoque ei maledicere noluit. Hinc rectè Hieronymus *in cap. III. ad Tit.* inquit: *Merebatur Diabolus maledictum, sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit.* Hoc sensu Christus, Angelus ille increatus, Satanæ impedimentum conatus à Deo imprecatur, inquiens: *Increpet te Jehova Satan* i. e. Jehova te à tribunali suo depellat, tibique accusandi facultatem adimat Zach. III, 2. Ubi in Ebræo est verbum גער increpavit, duriter reprehendit, durius insonuit verbis idque cum crepitu, h. e. verborum, pedumque strepitu. Quo sensu etiam hoc verbo utitur Hiero-Psaltes Ps. LXVIII, 31. ita orans: *Increpa feram arundinis* i. e. reprime Domine Diabolum & ejus organa, uti hunc locum Euthymius *de sævis & immitibus Dæmonibus* exponit. Et quidem rectè. Nam hic locus præsentissimum est adversus Diaboli insultus remedium: Unde Taulerus cum à Dæmone tentaretur, objecit ei hunc locum Psalmographi dicens: *Quid in me juris habes horrenda bestia; Ego sum Dei filius & imago, tu autem fera arundinis increpanda à Deo cum tuis tauris & vaccis:* Ich bin GOttes Kind / Erbe / Eigenthum und

und Ebenbild durch seines Sohnes Blut und Tod/ Aufferste-hung und Himmelfahrt theuer erkaufft/ du aber als ein heßliches Rohr-Thier/ gehörnter Ochsenkopff und Monkalb bist als Got-tes Feind verworffen/ verdammet/ und in die Hölle gewisen/ daß du allda mit Ketten der Finsternus gebunden/ zum grossen Tage deß Gerichts behalten werdest. Ita etiam veræ Ecclesiæ membra, quando vident, se non posse Diaboli dolo, ejusque μεθο-δείαις resistere, seriò orent: Increpet Dominus in te Satan: Et cum Apostolo: *Deus pacis conterat Satanam sub pedes nostros citò*, ἐν τά-χει (nomen pro adverbio) Rom. XIV, 20. h. e. Diaboli regnum destruatur ministerio evangelizantium; qui *pedum nomine* veniunt Rom. X, 15. Interim Diabolo non maledicamus. *Quando enim impius Satanæ maledicit, maledicit ipse animæ suæ* i. e. dum impius execratur Satanam propter malitiam ejus, semetipsum execratur, quia est imitator Diaboli Sir. XXI, 30. Nec obstat nostræ sen-tentiæ exemplum Petri, *qui Simoni Mago maledixit* his verbis: *Pe-cunia tecum sit in perditionem* Act. VIII, 20. Nam Petrus Simoni Mago *non* maledixit *impotenti iræ affectu abreptus, sed Spiritu San-cto motus, autorem, conatus & pecuniam dignam ostendens perditione*, uti loquitur Pelargus in *b. l. p. 178.* Deinde novimus maledictio-nes & imprecationes Sanctorum Prophetarum & Apostolorum esse denunciationes futurarum pœnarum, & omina, quæ quidem nihil mali optant, sed & nihil boni portendunt, & futuram pœ-nam impiis prænunciant, si in impietate & malitia sua contuma-citer perseverant. Sicut David ex Prophetico Spiritu dicebat: *E-rubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei* Psalm. VI. 11. Hinc Augustinus *l. 5. contra Faustum Manich. cap.* 22. ita scri-bit: *Maledicta, quum ex Prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio Spiritu prænunciantis.* Et Beda Venera-bilis *in Act. Apost. c. 8.* ita disserit: *Sancti viri, cùm maledictionis sen-tentiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium adspiciunt, & mala foràs exurgentia, quia male-dicta debeant ferri, cognoscunt.* Quod notandum contra *eos, qui in malitia aliqua deprehensi omnem culpam Diabolo, à quo seducti sint, adsignant:* Da muß alles der Teuffel gethan haben. Quum tamen verum sit illud Chrysostomi *Hom. 5. Oper. Imperf. Diabolus borta-*

ri potest, sed cogere non potest. Maturè igitur Diabolo precibus & exercitiis verbi divini resistamus. Nam *pium hominem nec Dæmon malus, nec fatum tenet,* inquit Lactantius *l. 2. c. 16. de orig. c. 22.*

CII.

Sed quid de Usu signi Crucis censendum? Duos hîc invenio de signo crucis, de imagine Christi, & de Exorcismo errores, quorum prior est CALVINIANORUM, qui hîc peccant in ἐλλείψει, defectu, dum *nec signum crucis, nec imaginem Christi crucifixi ferre possunt;* Sic enim Patriarcha ille Calvinianæ gentis Beza ait: *Fateor, me ex animo crucifixi imaginem detestari.* Deinde Anabaptistæ & Calvinistæ exorcismum, qui in nostris Ecclesiis in usu est, propter horridas, quas ipsi fovent, de peccato originis hypotheses omninò damnant & rejiciunt. Sed novimus exorcismum esse ritum antiquum, & multas pias ac salutares admonitiones nobis ob oculos ponere. Præterea, quemadmodum non credimus corporalem infantis obsessionem: ita nec credimus corporalem ex infante Diaboli ejectionem, sed spiritualem. *Nam sancta Ecclesia cotidiè spiritualiter facit, quod tunc per Apostolos corporaliter faciebat,* inquit Gregorius *Hom. XXIX. Evang. T. 2.* Alter error est PONTIFICIORUM, qui hîc peccant in ὑπερβολῇ sive excessu. Nam sicut contendunt, *tantam esse quarundam ceremoniarum efficaciam, ut per illas certæ res reddantur aptæ ad mirabiles effectus corporales & spirituales producendo:* ita etiam existimant, *signo externo crucis, quatenus digito in aëre transversim formatur, inesse efficaciam, quâ Dæmon fugetur.* Hinc etiam duplicem constituunt crucem, unam vocant *transeuntem,* quæ *digitis formatur in aëre,* alteram *permanentem,* quæ *vel in plano pingitur, vel in solida materia effingitur.* Utrique etiam tribuunt efficaciam, quòd vel sola ista crux Dæmonas & spectra fuget. Imò Bellarminus Cardinalis ille illustrissimus, quô elogiô eum Lucas Brugensis ornat *l. 2. T. 3. de Sacram. c. 31. lit. B. C. col. 216.* scribit: *Patres unanimiter statuere, miram esse signi crucis in Dæmonibus pellendis & profligandis efficaciam, etiam ubi adhibeatur ac usurpetur citra ullam devotionem, atque pium adfectum.* Quod probare conatur *exemplis Judæorum* & *Ethnicorum* utpote *Juliani Apostatæ* apud Nazianz. *orat. 1.* Josephi Ebræi *apud Epiphan. Hæres. 3.* & alius cujusdam Ebræi apud Gregor. *l. 3.*

Dial.

Dial. c. 3. Sed craſſus hic eſt error. Tribuit enim externo crucis ſigno id, quod unicè paſſioni & merito Chriſti eſt tribuendum. Deinde Scripturæ S. manifeſtè contradicit. Hæc enim fidem omninò requirit ab iis, qui cum Diabolo feliciter pugnare & victoriam reportare volunt, uti videre eſt Eph. VI, 16. I. Petr. V, 9. I. Joh. V, 4. 5. Hiſce locis meritò addimus exemplum filiorum Scevæ, qui, cum non crederent in Chriſtum, fruſtra conati ſunt Dæmonia nominato JESU nomine ejicere Act. XIX, 13. 14. 15. 16. Ex quo loco contra Pontificios tale producimus argumentum: *Si per invocationem nominis Jeſu Dæmonia ex hominum cordibus ejici non poſſunt absque fide, multo minus vel per uſum ſigni crucis, vel per uſum reliquiarum Sanctorum, vel per uſum rerum conſecratarum, vel per exorciſmos expelli poſſunt.* Quos tamen modos omnes & efficaces eſſe & neceſſarios contendunt Jeſuitæ, & inter hos maximè Tyræus *lib. de Dæmoniacis, Part. 3. à cap. 4. usque ad cap. 46.* Hinc efficaciam & neceſſitatem aquæ benedictæ probare conantur exemplo cujusdam ebrioſi, quòd Diabolus non potuerit in ejus os intrare propter guttam aquæ benedictæ. Item exemplo cujusdam militis, qui ſe conſperſerat aquâ benedictâ, cui dixerit Diabolus: *Vide ne me tangas:* vid. Plaz. *Lucum Succiſ. Loc. C. p. 605.* Efficaciam & neceſſitatem ſigni crucis ſtatuminare conantur exemplo cujusdam mulieris, quæ tormentis expoſita confeſſa eſt, ſe à Dæmone plusquam quinquagies in quendam locum fuiſſe deportatam, ut ibi puerum affinis ſui occideret, tamen prævaluiſſe nunquam, eò, quòd ſemper illum invenerit ſignô crucis à parentibus benè munitum. Videatur Spinæus *de Strygib. cap. 17. & ſeq.* Fabianus Juſtinanus *in cap. VI. Tob. v. 8. 307.* Sed otioſis fabulatoribus hæc nugamenta relinquimus. Nec eſt *α.*) quòd Pontificii obvertant, *nos ipſos adhibere ſignum crucis.* Quod quidem non negamus. Adhibemus enim ſignum crucis I. *In communi vita,* & quidem juxta monitum *B. Lutheri*, qui in Catecheſi Minori ita inquit: *Manè cum ſurgis è lecto ſignabis te ſigno ſanctæ crucis.* Verùm cum Pontificiis hâc ſignaturâ non utimur, quaſi in ſeſe eſſet ad pellendum Satanam & ſpectra efficax, ſed eam cum pia antiquitate adhibemus tanquam ceremoniam liberam & piam, quæ orationi adjecta animos fidelium ad Chriſtum crucifixum evehat, fi-

duciamque in ipsum ostendat. Deinde signum crucis adhibemus II. *In Ecclesia, vel sacris solemnibus*, utpote *in publica absolutione, benedictione*, & cumprimis *in baptismi administratione*. Nam (1.) minister Ecclesiæ signum crucis adhibet, quando infantem his alloquitur verbis: *Accipe signum crucis sanctæ in fronte & in pectore.* Sed hoc signum crucis in fronte & pectore infantis formatur non superstitionis, aut naturalis cujusdam efficaciæ causâ, sed ut significetur receptionem in gratiam, & regenerationem ad vitam æternam constare infanti baptizato solius Christi crucifixi meritô. Movet etiam infantem recipi in numerum eorum, qui credunt in Christum crucifixum ac veterem hominem in ipso per baptismum crucifigendum *Rom. V, 6.* quum & in hac vita cruci ipsum fore obnoxium. Et quamvis Beza *Epist. 8. p. 75. & Epist. 12. pag. 99.* hanc ceremoniam ut superstitionem maximè abominandam, & omnium horribilissimæ illi hyperduliæ crucis primum aditum patefacientem omninò rejiciat, tamen Hemmingius in cæter s (præter universalem gratiam) ex asse Calvinianus eam non improbat, sed approbat *in Hist. Dom. J. C. p. 117.* Deinde minister Ecclesiæ signum crucis adhibet, quando Diabolum his compellat verbis: *Adjuro te immunde Spiritus, ut exeat ab hoc servo JESU Christi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen!* Verùm quemadmodum Exorcismum in nostris Ecclesiis non habemus pro parte baptismi essentiali, nec statuimus eum esse absolutè necessarium, nec credimus corporalem quandam infantum obsessionem, & Diaboli ex illis ejectionem, quam urgent Cælestinus Papa! *Epist. 1. ad Episcop. Galliæ cap. 12.* & Bellarminus sequutus Canonistas *lib. 1. de Bapt. cap. 25.* (est enim ἐξορκίζειν h. l. non jurejurando obstringere, uti hoc vocabulum usurpatur *Matth. XXVI, 63.* sed obtestando arcere, quo sensu Apostolus hâc voce utitur *I. Thess. V, 27.*) sed obsessionem & ejectionem spiritualem, de qua solutâ spirituali obsessione ipse Salvator phrasi exeundi *Matth. XII, 43. Luc. XI, 24.* Nec tribuimus exorcismo usum effectivum, quasi vi verborum istorum infans ex regno Satanæ liberetur, sed utimur eô, ut ritu humanitùs introducto, cujus usus merè est σημαντικὸς & τυπικὸς. Ita etiam usum signi crucis habemus pro re indifferenti, quæ ex libertate Christiana vel adhiberi

vel

vel omitti poteſt. Nam preces ex vera fide in Chriſtum profectæ Dæmonas fugant, licet externum iſtud fidei & profeſſionis ſignum non accederet. Nec eſt β.) quòd Tyræus nobis opponat *Chryſoſtomum*, qui *Hom. 66.* ad populum Antiochenum ſcripſiſſe legitur; *reliquias Sanctorum Dæmonas ſiſtere & torquere*, *& vinctos ab illis ſolvere ſæviſſimis vinculis*. Nam ſermo ille non eſt Chryſoſtomi, quia ex homiliis ad populum Antiochenum viginti & una tantùm reperiri dicuntur manu ſcriptæ in antiquis Bibliothecis, fatente Bellarmino *lib. de Scriptor. Eccl. ad ann. 358.* Nec γ.) noſtram ſententiam infringunt *exempla* ſuperius adducta. Nam (1.) dubitari jure poteſt de ejusmodi relationum veritate (2.) vim pellendi Dæmonas non poſſe externo crucis ſigno, aut reliquiis Sanctorum ineſſe, ſupra demonſtratum eſt. (3.) Dæmones ſi fugerunt ad ſignum crucis, non aliô factum eſt nomine, quàm ut errores de Chriſto, de invocatione Sanctorum, de purgatorio &c. ſtabilirentur & longiſſimè propagarentur. Nec eſt, quòd δ.) *Sacra Scriptura* aut divinam virtutem ut *I. Cor. I, 18.* aut *reconciliationem Col. I, 20.* aut ſimilem efficaciam *cruci* tribuat. Nam in illis locis Sacer Codex nomine crucis non ligneam crucem, externum crucis ſignum, ſed acerbam Chriſti mortem in lignea cruce non peractam intelligit. Et tantum ἐν παρόντι de hoc Zetemate.

CIII.

Quid verò de Sententia *Leſſii* pronunciandum, qui in Quæſtione, quæ ſint Magiæ fundamenta recenſet Diabolum, ut facilius hominibus curioſis hanc artem commendaret, excogitaſſe quædam principia & fundamenta, quibus poſitis hæc Ars videretur licita & in naturalium rerum Concurſu, Cooperatione, Sympathia & Antipathia fundata. Primum eſt, Mundum & ſingulas mundi partes eſſe animatas anima intelligente, quæ & ipſis vitam tribuat, & vim intelligendi & ſentiendi habeat. Secundum, Nomina deorum & dearum, ut Jovis, Junonis, non eſſe nomina malorum dæmonum, ſed animarum iſtarum naturalium. Quatenus enim quæque animarum iſtarum habet vim intelligendi, eatenus vocari nomine maſculino: quatenus autem animat corpus, feminino. Itaque Plutonem & Proſerpinam nihil eſſe aliud quàm animam terræ, quatenus duplicem illam vim habet: Neptunum &

Thetym, animam aquæ: Jovem fulminatorem, & Junonem, animam aëris: Phanetam & Auroram, animam ignis. novem Musas & novem Bacchos, esse animas novem cœlorum: animas septem planetarum significari nomine Saturni, Jovis, Martis, Solis, &c. quibus etiam alia nomina & epitheta tribuunt. Vocat enim Saturnum patrem deorum, dominum temporis, dominum altum, magnum, sapientem, arcanæ contemplationis auctorem, absconditorem, custodem & ostensorem, auctorem vitæ & mortis. Lunam vocant Dianam, Lucinam, Proserpinam, Hecatem, reginam cœli, summam numinum, reginam manium, elementorum omnium dominam, rectricem mundi, calcantem tartarum, &c. similia plurima epitheta divinitati propria cæteris tribuunt. Hæc duo fundamenta excogitata sunt, ut quando magi expressè invocant dæmones, non videantur ipsos invocare, sed animas stellarum, vel elementorum, quas dicunt esse bonas virtutes, à Deo in ministerium & utilitatem hominis, qui illis uti noverit, per mundum distributas. Sed hæc omnino vana sunt: Primò, Absurdum enim est dicere, terram, aquam, aërem, ignem, esse animata anima rationali & sentiente. Si enim habent animam sentientem, etiam debent habere vegetantem, quæ sentienti subservit, & sanguinem spiritumque illius functionibus suppeditat. Debent etiam habere organa suis figuris & temperamentis distincta; Non enim potest esse sensio sine organo convenienti, ut Aristoteles lib. 2. de anima probat, & omnia sentientia nobis nota declarant. Item si illa anima intelligit, bruta, plantæ, saxa & metalla non solùm sentient, sed etiam intelligant: erunt prædita sapientia, scientia, arte, prudentia: tenebunt logicam, physicam, metaphysicam: mathesin, theologiam, & similia, quæ nullus sanæ mentis dixerit. Rursus, partes elementorum dum separantur à toto, vel retinent animam, & sic erunt innumerabiles animæ in singulis elementis: vel amittunt eam & rursus unitæ toti recipiunt, & sic morientur assiduè, & resurgent. Denique illæ animæ cùm sint intelligentes, erunt liberi arbitrii: ergo justæ vel injustæ, beatæ vel miseræ, in via vel in termino: quorum nihil probabiliter dici potest. Secundò, Absurdum etiam est, cœlum & stellas animatas ponere: est enim contra communiorem sententiam SS. Pa-

trum

trum & Theologorum, & numeratur à D. Hieronymo epistola ad Pammachium & Avitum inter errores Origenis. Nicephorus etiam lib. 17. hist. cap. 28. inter anathematismos, quos Synodus 5. Constant. contorsit in Origenem, ponit etiam hunc: *Si quis dicit, cœlum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cœlos sunt, animatas quasdam esse & materiales virtutes, anathema sit.* Eadem sententia erroris damnata est à Facultate Parisiensi, tanquam occasionem idololatriæ præbensi Unde Conradus Wimpina lib. de superstitioue c. 7. & 8. docet, diabolum philosophis inseruisse opinionem de anima mundi, ut cultum divinum tribuerent creaturæ & partibus mundi. Hinc ferè omnes Platonici vel magi fuêre, vel magiæ favêre: adeò ut etiam Marsilius Ficinus ab hac peste non fuerit omnino immunis, ut patet ex lib. 3. de vita cælitus comparanda. Præter rationes prædictas, quibus illud refutari potest, hæc una sufficia, quod sacra Scriptura & Religio Christiana nullas agnoscat creaturas rationales præter homines & Angelos. Si aliæ essent, non deberent ignorari, cùm ad eandem societatem pertineant. Nec obstant quædam locutiones Scripturæ, ut docet Damascenus lib. 2. de fide orthodox. cap. 6. in fine, sic scribens: *Nullus etiam cœlos aut luminaria arbitretur animata; inanimata enim sunt insensibilia. quare si Scriptura dicit: Lætentur cœli, & exultet terra, Angelos, qui sunt in cœlo, & homines, qui in terra, ad lætitiam vocat. Novit etiam Scriptura prosopopœia uti, & de rebus inanimis tanquam animatis differere, ut, Mare vidit & fugit, &c.* Similiter non obstat, quòd quidam Patres cœlo animam & spiritum tribuere videantur; quia intelligunt animam assistentem, non informantem, quæ nihil est aliud, quàm intelligentia motrix cœli, ut Peripatetici loquuntur. Vide D. Thomam 1. p. quæst. 70. art. 3. His adde, Etiamsi essent tales animæ, parum tamen juvare posse magicas operationes, tum quia alligatæ essent suis corporibus, nec rebus humanis possent interesse; tum quia non possent juvare nisi per virtutes astrorum, nimirum per lumen & influentias, (si tamen præter lumen & calorem sunt influentiæ) quæ minimè ad effectus magicos sufficiunt. Præterea vel illæ animæ essent bonæ, vel malæ: si bonæ, non vellent juvare ad opera vana & noxia, qualia ferè sunt magorum: si malæ, quid opus est ad illas

con-

confugere, cùm dæmones ad juvandum in hujusmodi ſint paratiſſimi? Ex his patet, nominibus illis non animas invocari, quæ nullæ ſunt, ſed dæmones, qui ſe fingunt eſſe animas ſtellarum & elementorum, ut ſub his nominibus ipſi colantur. Tertium fundamentum eſt, Præter Angelos bonos & dæmones malos, eſſe multa genera dæmonum bonorum, quorum alii ſint cœleſtes, & præſint ſtellis, & animabus illarum: alii elementares, ex quibus alii ſint ignei, alii aërei, alii aquatici, alii terreni. Ita tradit Agrippa lib. 3. cap. 16. Eadem eſt ſententia Platonicorum. Sed eſt contra Scripturas, & Eccleſiæ doctrinam, quæ nullos dæmones niſi malos agnoſcit. vide D. Aug. lib. 8. de civit. cap. 13. & 14. & ſanè ſi boni ſunt, quomodo juvant ad opera vana, & curioſa, ad oſtentationem, ad maleficia? quomodo homines decipiunt, & in varias fraudes impellunt? ſi boni, cur magia ſub pœna mortis in Veteri Teſtamento prohibita? cur damnata ab Eccleſia? cur olim proſcripta à Republ. Romana? ſtatim enim Evangelio illuceſcente Reſpubl. Romana, etſi perſiſteret in infidelitate & cultu idolorum, tamen magiam cœpit cognoſcere eſſe pernicioſam, & malorum ſpirituum auxilio ſubnixam; ut ex geſtis Martyrum conſtat, & L. 2. C. de maleficis & mathematicis. Quartum fundamentum eſt, Animam humanam, quando in magnum deſiderium exardeſcit, habere ſufficientem poteſtatem ad imprimendam verbis, ſcripturis, imaginibus, & characteribus vim quamdam, quæ naturaliter efficax & energiam habeat ad effectum deſideratum, modò illa proportionem quamdam ad hunc effectum habeant, quæ in eo ſignificando ſita ſit. v. g. ſi alicui velis inferre noxam aliquam, adhibenda ſunt verba, vel alia ſigna, quæ noxam illam aliquo modo deſignent: ſi concitare ad amorem, debent ea adhiberi, quæ amorem ſignificent, depictis duobus ſeſe mutuò complectentibus, vel alia ratione: ſi ad odium duobus inter ſe pugnantibus. Quintum eſt, Imagines & characteres ſiderum & ſignorum cœleſtium ſub congrua ſibi conſtellatione fabricatos, concipere vim ſiderum, ad occultos & mirabiles effectus, ad quos ipſa ſidera valent.

CIV.

Sed anne hæc ſint fundamenta Magiæ, meritò dubitamus.

Nam

Nam *primò* principia debent esse universalia, & fundamenta debent poni, quibus omnis innitatur, qui sese Diabolo consecrat. At quæ Lessius ponit, non sunt universalia: quot enim quæso Sagæ & veneficæ quæ nihil norunt de Mundi Indole, an partes omnes & singulæ sint animatæ, quæ non tantùm ignorant Nomina Deorum & Dearum esse Nomina animarum naturalium, sed ne Nomina ipsa sciunt, aut unquam audiverunt vel fando acceperunt, quæ præter Angelos bonos & Dæmones malos esse multa genera Dæmonum bonorum, qui prosint, cum non perspectam habeant naturam bonorum & malorum planè nesciunt, quæ animæ vim illam negant, quæ denique imagines & characteres siderum & signorum cœlestium sub congrua sibi constellatione fabricatos concipere vim siderum ad occultos & mirabiles Effectus, ad quos ipsa sidera valent, non curant, neque animum unquam ad cœlum attollunt, aut Imagines quasdam imprimunt, Magis forsan hæc persuadere Diabolum concedere possumus iisque peritioribus, qui quandam in rebus naturalibus consecuti sunt scientiam. *Secundò* fundamenta hæc esse Magiæ non commodè dicitur, cum aliud sit fundamentum alicujus artis, aliud occasio & modus deveniendi ad illam. Sanè si exactè hæc reputentur non tam fundamenta Magiæ esse deprehenduntur, quam modi quidam, quibus Diabolus perducere solet in propensionem Magiæ. *Tertiò*, quot sunt Magi etiam ex eruditioribus, quot fæderati Dæmonis, qui hasce sententias non amplectuntur, sed in opposítas potius inclinant, quot ex illis qui Mundum non animatum esse statuunt, Keplero abnunciant terram esse animal quoddam magnum lib. 4. cap. 7. Harmon. Campanellæ vitalem actum centro illius tribuenti lib. 3. c. 5. de sensu rerum omnium, qui Tychoni Epistola ad Rothmannum cœlum animatum esse, ipsaque cœlestia corpora animantia quædam Cœli, vitali spiritu prædita contradicunt, multò minus Mundum esse rationalem admittunt, & norunt quis Juppiter, ubi illius Sepulchrum, quæ irata Marito Juno ipsi objecerit &c. Interim probamus, quæ in istiusmodi fundamentorum concussionem adducit Lessius ibidem.

CV.

Vidit discrimen illud inter doctiores & rudes Magos *Jaco-*

bus Rex Angliæ, quapropter in lib. 1. dæmonologiæ cap. 3. & 4. ita differit: Latior campus ille, quem mihi aperis: ſed ſumma rerum faſtigia, quantum poſſum, ſequar. ut duo ſunt hominum genera, qui ad hanc peſtem alliciuntur, docti indoctique: ita duplicem objicit inſidiator ille eſcam, duo humanæ cu ioſitatis incitamenta & nutrimenta, queis in artis profeſſiouem incautos trahat. Hæc ego Diaboli *dictata* appello & *rudimenta.* Acuitur eruditorum curioſitas & alitur *Judiciariâ Aſtrologiâ*, quam *dictatorum* nomine intelligo. Plerique enim multùm progreſſi in literis, parùm verò (proh dolor) in regeneratione Spiritus & novitate vitæ, indignantes nihil eſſe in humanis ſcientiis, quod non trivialibus quoque pædagogiis vulgatum ſit; conantur non cœleſtium modò rerum notitiâ in ora hominum venire, ſed ad figurarum quoque præſcientiam per cœleſtes motus adſcendere: quod cùm primo intuitu licitum videatur, utpote è rerum naturalium ſpeculatione exortum, magis magisque inde alliciuntur: & animadversâ multorum apoteleſmatum veritate cauſas eorum ſcire volunt; adeoque lubricam hanc curioſitatis ſcalam gradatim aſcendentes, tandem eò deveniunt, ut deficientibus Phyſicis artibus, non niſi per magicas & illicitas inexpleto mentis deſiderio ſatisfieri poſſe putent. Hic ſtatim deprehendentes per varias figuras, idoneis adjunctis exorciſmis, multiformes excitari ſpiritus, dubitationum & ænigmatum interpretes; totum hoc, quicquid eſt, inhærenti aut alligatæ figuris virtuti adſcribunt, & divinitati verbis ipſis innexæ; jactitantes ſe acumine ingenii ſui infernas Plutonis domos ſubjugâſſe, & in Tartara & Stygem imperium tenere: cùm tamen revera hominum miſerrimi æternam in ſervitutem ſe hoſti ſuo manciparint; nihil auctâ, quam venditant, ſcientiâ, niſi per ipſius mali, infernarumque pœnarum notitiam: quod Adamo contigit poſt eſum fructus vetiti. Obſecro etiam, ne obliviſcaris dicere quæ ſunt Diaboli *Rudimenta. Rudimenta* Diaboli primùm voco, quod vulgus *virtutem* dicit *in verbis*, *berbis*, *& lapidibus*; quando iſta absque ratione phyſica cum incantamentis adhibentur; ſuperſtitioſos præterea actus, ritusque; & alia inuſitata, animalia, quæ Lydii lapidis, nempe rationis, examen non ferunt. Cuperem exemplis id illuſtrari: nam quod dicis paulò generalius videtur.

detur. Ego anilia carmina intelligo, quibus curantur incantatæ pecudes; aut adversus maligni oculi fascinum præservantur, appensis ad caudas aut pilos aucupariæ sorbi ramusculis, variisve herbis: quibus carminibus sanatur odontalgia, sistitur hæmorrhagia; claudus equus curatur, vannus invertitur, & omninò quicquid verbis agitur, nullo medicamento ad partem læsam applicato, ut mos est medicorum: præterea *nodos ligulæ*, quibus nuptiarum tempore suspenditur aut tollitur usus veneris, & similia ab hominibus festivis joco fieri solita. Postquam enim homines curiosi, sed scientiæ & pietatis inanes, hæc talia comperiunt reipsâ evenire (eveniunt autem pleraque non facultate aliquâ verbis & nugis insitâ, sed Diaboli insidiis) inanis gloriolæ pruritu ex illo artificio famam mereri volunt. Itaque si non pudorem & bonam mentem penitus decoxerint, ejus artis, quam licitam putant, idoneum magistrum quærunt: aut si omninò profligati fuerint & rudes, Diabolum ipsum sine ambagibus conveniunt, & honoris aut lucri studio cum illo stipulantur. At licita mihi videntur quæ tibi Diaboli *Dictata* & *Rudimenta* appellantur, utpote multorum sæculorum consensu probata; præsertim verò Astrologia, nobilissima pars Matheseos. In cœlestibus corporibus, stellis fixis & errantibus duo ab initio observarunt eruditi; nempe eorum cursus & motus, quorum scientia *Astronomia* nominatur (quasi dixeris τὸν τῶν ἀστέρων νόμον. id est, astrorum legem) quæ Mathematicarum scientiarum una est, non licita modò, sed & laude dignissima. Alia illa *Astrologia* dicitur (quasi ἀστέρων, λόγος, id est astrorum sermo) in duas partes divisa: Prior medicamentorum simplicium facultates, annique tempora, & animantium morbos ex siderum influentiâ dijudicat. Pars hæc quidem nulla est Matheseos, at tota pendet ab Astronomia; cum quâ licet utilitate vel honestate certare nequeat, moderatè tamen usurpata non habenda est illicita. Posterior sic fidit astrorum influentiis, ut rerumpublicarum & privatorum hominum prospera vel adversa inde pronunciet: exercituum præterea victorias fugasque, & singulorum certaminum eventus, longitudinem & brevitatem humanæ vitæ, certaminum equestrium successus, & alia paradoxa, quibus describendis Cardanus & Cornelius Agrippa curiosiùs quàm utiliùs stilos exercuerunt.

runt. Ex posteriore hac (quæ *pars fortunæ* olim dicta est) tanquam radice innumeri pullulant rami; tota illa *Genethliaca vanitas*, cum *Chiromantia, Geomantia, Hydromantia, Aëromantia, Pyromantia*, & sexcentis hujusmodi, quorum apud Gentiles veteres non minor usus fuit, quàm cultus. At Christiana religio fidem his omnem abrogat, usumque interdicit; cùm nulla physica nitantur ratione: & Diaboli *dictata* mihi nominata sunt. At eruditorum non pauci à te dissentiunt. Non diffiteor. Verùm meæ sententiæ mihi rationes non deessent, si non ea dissertatio me ab instituto averteret, & diem aliena quæstione absumeret. Unum tamen iis respondebo, & quidem ex sacris literis, quibus refragari nullo modo Christianis licet; interdici nobis apud Jeremiam, *ne iis hominibus auscultemus, qui ex astris & Planetis vaticinantur*.

CVI.

Materia aliàs dividitur in Materiam circa quam sive Objectum, vel in qua sive Subjectum, ut ex Metaphysicis supponimus, & quia hic dantur quædam circa quæ versatur Magia, quædam verò in quibus est & hæret Magia, quapropter primum de Objecto; Objectum autem vel est reale, vel personale, reale sunt ritus *primò* superstitiosi, quales e. gr. descriptiones Circuli, signorum picturæ, sanguinis missiones & quæ sunt cætera. *Secundò* characteres, quos effigiant imprimis impressi cunis, portis & aliis locis. *Tertiò* verba, qualia variant in infinitum ferè, quæque adhiberi solent in morbis, in brutis & hominibus. Exemplorum farraginem licet reperire in libello illo diabolico, cujus titulus est *Manuel on Enchiridion de pieres contentant les sept pseaumes penitentiaux, diverses oraisons de Leon Papæ & plusiers, autres oraisons contre les ferile du Monde à Lyon 1584*. item in loca, sed ut loquitur Author planè Catholica ac valdè pia exorcismorum Ratione pro tempore pestis apud Voetium p. 606. Personale sunt vel Homines, vel etiam Bruta, imò non tantùm animata, e. g. herbæ Bruta homines, sed etiam inanimata e. g. Aër, aqua, ignis, terra & quæ in illa sunt. Materia in qua sive Subjectum Magiæ sunt partim integræ Gentes, partim singulares personæ, & quidem suspecti Magiæ fuerunt, vel infecti Persæ, quorum impia audit Relligio, Thessali unde Thessalicæ artes, Ephesii, Romani, Gallorum Druidæ,

dæ, Britanni, Cabalistæ, Choatræ ad Mæotin populi, Mathematici cum Gigantibus belligerantes, Bothnici septentrionales, Lappi, Finnones, Biarnii Tartarorum Hordæ, Arabes qui assumpto in cibo corde Draconum vel Hepate ab avibus non secus atque ab oraculis auguria captabant teste Volaterano lib. 13. cap. 4. Indi, Hyrcani, Assyrii, Ægyptii, & Æthiopes. In Gallia Magiæ olim Nomine celebris fuit, sub Carolo nono Rege integer Cœtus & Numerus, ita ut Triscalanus ex illis ultra 30000. Regi in illa esse & versari affirmaret. Singulares verò personæ Bileamus, Simon Magus, Elymas, qui in Scriptura nobis exhibentur, ex profanis Numa, qui cum Ægeria Congressus suos simulavit, Apollonius Thyanæus, de quo septem libros edidit Philostratus, Julianus Apostata, cujus Epistolas ad diversos edidit Jacobus Cujacius peculiari Volumine græcanicas mutuas complectente Anno M DC VI. pag. 135. Faustus & Wagnerus, de quo tamen dubitavit B. noster Schickhardus, accensent illis quidam Abbatem Trithemium Peapolitanum quondam Spanheimensem Maximiliano Cæsari, familiarem & Cornelium Agrippam, qui duos Tomos edidit, quorum unus agit de occulta Philosophia. Alii ex Theologis annumerant Gregorium septimum, Benedictum nonum, Johannem decimum tertium, Sergium quartum, Benedictum octavum, Alexandrum sextum. Sanè Felix in Concilio Basiliensi factus Papa sortilegos & veneficos ab Adolescentia sciscitatus dicitur ab Antipapa Eugenio, apud Plessæum in Mysterio Iniquitatis pag. 1219.

CVII.

De Theophrasto Paracelso an in Classem Magorum sit referendus? quæstio est inter eruditos. Sunt qui illius causam agunt & absolvunt ab hoc crimine, sunt qui immunem non fuisse existimant, quod quidem probant *primum* ex persona hujus hominis, qui sæpius Dæmone fuit agitatus. *Secundò*, ex Informatione hujus Doctoris, qui Discipulos suos ad Magiæ studium incitavit, animavit. *Tertiò* ex commendatione Magorum: infamem enim illum Judæum Techallum Magum extremè impium commendavit, & non fuit unquam aliquis hoc in genere suspectus, quem non defendit, nempe Magos Ægypti, Bileamum & cæteros Zygeinos nicromanticos,

cos, agyrtas, imò Campanam Virgilii & cujusdam Hispani Diabolos advocantem & repellentem, Speculum magicum in quo omnia videri possint, laudat & insinuat lib. 15. de Morbis invisibilibus pag. 183. & de occulta Philosophia pag. 289. unde etiam Paracelsistæ quidam Magiæ sese suspectos reddiderunt. Videatur *Sonnerus*, qui ita: Prodiit superioribus annis Philippus Theophrastus Paracelsus, homo infausto sidere ad omnes bonas artes atque honestas disciplinas corrumpendum natus, qui velut alter Prometheus non Minervæ, sed Dæmonis auxilio cœlos conscendit, novamque artem, ceu novum sapientiæ ignem & immortalitatis prædium suffuratus, in terrarum orbem detulit. Vicit impius nugator impudentiâ, inscitiâ, temeritate, doctrinæ monstris & insaniâ, non modò in arte medicâ, sed omnes omnium disciplinarum hæreticos, transfuga levissimus, nuspiam sibi constans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, sæpissimè autem inter rusticos aleator & potator strenuus. Multa olim contra sensum & rationem prisci philosophi delirarunt, ut Democritus ex atomis omnia conflavit, Anaxagoras nivem nigram esse contendit, Zeno negavit motum, & audio nuper fuisse, qui ignem esse frigidum asseruerit, (credo ne quid esset tam ineptum, quod non aliquis Philosophus dixisset) attamen horum omnium absurditates & deliria multis parasangis superavit sycophanta Paracelsus, quod hinc quæso cognoscite. Primùm ut facilius omnem salutarem doctrinam, & reconditam in veterum monumentis sapientiam nobis eriperet ac sepeliret, præcepit palàm in libro de caduco matricis, ne quis linguas addisceret, aut in eis sese exerceret. Logicam veri & falsi unicam magistram, Naturæ & Sapientiæ lumen obscurare, pestis, odii, rixarum, litiumque matrem esse, ebrius sanio ubique clamitavit, ne qui eâ uterentur, animadversis illius imposturis, pellem ei detraherent. Venerandam venerandæ antiquitatis sapientiam, sensu & naturæ luce investigatam, infinitis laboribus partam, ratione stabilitam, totque seculorum auctoritate comprobatam, vanitatis ac stoliditatis accusavit, contemsit, irrisit: aliam nobis & longè sublimiorem, si diis placet, ex impuro & ebrioso cerebro, dictante cacodæmone suo, cum pestilenti crapulâ evomuit. Scire enim debetis, Auditores, nunquam eum ad

scri-

ſcribendum acceſſiſſe, niſi ad inſaniam eſſet potus. Retulit mihi Baſileæ ſummus quidam vir, de cujus fide dubitare non debeo, Johannem Oporinum celebrem illum Baſilienſem Typographum, quum amanuenſis operam Paracelſo biennium præſtitiſſet, ut admirabilis doctrinæ, quam profitebatur, fieret particeps (perſuaſerat enim ei, ſe ſex menſibus totam artem medicam perfectè traditurum eſſe) hanc ſolam ob cauſam eo ſe miniſterio tandem abdicaſſe, quod Paracelſus non niſi ebrius ad ſua myſteria explcanda accederet, & in medio hypocauſto columnæ πτυφ ωμλ@ adeoque numine ſuo plenus aſſiſtens, manibus capulo enſis comprehenſo (quod illud hoſpitium eſſet dæmonis, qui vitro incluſus reſponſa faſcinatis dare ſolet) imaginationes ſuas eructaret: quodque inter dictandum velut œſtro percitus & furiis agitatus, inſtar Pythiæ cujuſdam vatis, exardeſcere ac horribiliter vociferari ſoleret: dæmone nimirum illa plauſtra convitiorum & δοξιμανίαν monſtroſam ſuggerente, quam ſanus excogitare nunquam potuiſſet, adeò ut metu concuſſus & conſternatus Oporinus, ſæpiſſimè dictata calamo ſequi non potuerit. Idem ex Oporino audivit magnus ille Thomas Eraſtus, & cum Oporino teſtatur clariſſimus Theologus Henricus Bullingerus, qui ſæpè cum Paracelſo eſt congreſſus. Magiam certè nefandam & omnes diabolicas artes non modo ipſe ſedulò coluit atque exercuit, ſed etiam diſcipulis ſuis (facinus indignum & vindicibus flammis expiandum) ſtudioſè diſcendas eſſe, autor fuit, Cacodæmonem non aliter quàm ſocium ſuum appellans. Porrò ut novæ atque ſublimis ſapientiæ opinionem ſibi conciliaret, à divinis initium fecit, ſuumque os impudicum & ſacrilegum in Theologiam ingeſſit, in quam tantum monſtrorum, tantum impietatis & blaſphemiarum à ſocio ſuo doctus intulit, ut ea vel recenſere exhorreſcam. Deinde cùm Theologica profeſſio non ſatis illi in quæſtum cederet, ne guloſus helluo ſiti exareſceret, Medicorum invaſit poſſeſſionem, ſpe opimioris prædæ, ac primum quidem Chirurgiam, ut ajunt, non infeliciter exercuit. Mox tamen & heic inſanâ gloriæ cupiditate & innovandi pruritu incitatus, ne tam anguſtis ſeſe limitibus coërceret, aut minus in hac arte, quàm in Theologiâ ſapere videretur, laxato libidinis & malevolentiæ freno, latius graſſatus eſt,

cœ-

cœpitque universam veterum Medicinam, dogmaticam illam Hippocratis & Galeni, ceu ineptam & inutilem, magno fastu contemnere ac superciliosè rejicere: imò ut perniciosam exagitare, quæ imaginariis tantùm niteretur hypothesibus, in externis, inutilibus, venenatis rerum qualitatibus esset occupata, internam essentiam, cœlestem, astralem, & animam non attingeret, neque vera corporum neque morborum principia nosset, multò minus salubria remedia rectamque curandi rationem traderet: adeoque omnes huc usque fuisse pseudo-medicos, pseudo-philosophos, pseudo astrologos (pro iisdem enim habet harum disciplinarum professores) se verò in naturæ adyta penetrasse, interna rerum principia, cœlestia, astralia, & immortalia analysi chymicâ invenisse, veramque morborum curandorum rationem habere cognitam, ut prærepta nunc Apollini laude, solus gloriari possit:

Inventum Medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Et *Sennertus* de Consensu & Dissensu Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis: Quid Paracelsus de Magia doceat, breviter attingamus. Omnia enim, quæ de Magia in suis scriptis sat copiosè & prolixè affert, hic recensere, nec instituti nostri est, nec operæ pretium. Qui plus temporis in hæc cognoscenda impendere cupit, legat inprimis libros ejus de Philosophia Sagaci, Archidoxeos Magicæ, de Philosophia occulta. Libro quem inscripsit Labyrinthum Medicorum errant. *cap. 9. Magiam* dicit *artem artium aliarum, omniumque rerum aliarum occultarum inventricem, ex eaque, non autem Galeno, non Avicenna, aut talibus discendam esse Medicinam.* Et, *de Pestilitate tractat. 2. pag. 345.* Medico discendam esse Magiam & cognatas artes, Astronomiam, Pyromantiam, Chiromantiam, Hydromantiam scribit: asseritque, *Johannem Evangelistam, Mosen, Aaronem, Eliam, Enoch, Davidem, Salomonem, Danielem, Baruch, Jeremiam, Hezechielem, & omnes Prophetas Magos fuisse.* Præterea *in fine lib. de occulta Philos. Magiam esse per se occultissimam artem, & summam sapientiam rerum supra naturalium: Et quicquid humana ratione aliás agnosci non potest, id Magia investigari posse scribit, eandemque Theologis esse cognitu necessariam putat, nullumque Theologum fuisse, qui sine Magiæ cognitione Diabolum ejecerit*

cerit & spiritum expulerit Idem affirmat, *lib. 5. de morbis invisibilibus pag. 113. Magos Ægyptios arte hac miracula edidisse, & licet Scriptura illis artificibus duriora nomina imponat:* (rauhe Namen gibet) *artem tamen illam à Deo fuisse.* Ibidemque docet; *Deum arte hac Diabolum donasse, & valdè peritum in lucem naturæ posuisse: hanc autem ipsi eripi posse: artem usurpandam, Diabolum relinquendum esse: ideoque nos in hoc mundo versari, ut minor à majori discat: atque ita usum artis, qualis in se est, transgressionem legis sive peccatum non esse.* Ibidemque scribit: *Hoc nobis persuasissimum esse debere, Deum condidisse Medicinam, nobisque ob oculos considerandam posuisse, ideoque si per Characteres nobis aliquid boni sint, eodem loco eos habendos esse, ac si plantæ essent; ac etiamsi diaboli sint, eodem loco id habendum esse, ac si essent pixides ex Pharmacopolio. Et si diabolus verbum pro herba sumit, sit,* inquit, *nobis instar herbæ, verba ejus sunt species, Characteres ejus composita & Syrupi.* Ibidemque docet: *Si Deum toto corde amemus, etiamsi diabolus nobis afferat argentum, aurum, juvet nos, exhibeat nobis medicamenta, eripiat nos ex carcere, credendum esse, hoc jussu Dei fieri.* Et ut breviter ejus mentem explicemus, ac totius ejus Magiæ fundamenta in pauca contrahamus, summam suæ sententiæ Paracelsus, *ibidem pag. 111.* exponit: *Salus,* inquit, *ex inimicis nostris, & à manibus eorum, qui oderunt nos: & cogitandum esse dicit: Deus me creavit, Deus me redemit, pro omnibus bonis, quæ mihi vel ab inimicis vel amicis (* puta Diabolis & Angelis*) accidunt, ipsi sit laus & gratia.* Et si, quæ alia passim de Magia tradit, in omnem partem versemus: res tandem eò redibit: Effectus magicos pendere vel à cœlo, vel à spiritibus sive bonis sive malis: utraque, cœlum scilicet sive astra & Spiritus, homini subjici, & cœlorum ac astrorum vires cogi in Characteres, verba, ceram & alia posse: Spiritus quoque ipsos, ut serviant hominibus, cogi atque adigi posse: & hoc modo Magiam, quam veram, concessam & legitimam putat, non differre opere à Sagarum illicita Magia, sed saltem modo quodam. Verum enim Magum fide & imaginatione, (alibi & preces addit,) cœlum & Spiritus sibi subjicere: Sagas verò idem conjurationibus facere. Magiæ autem sex species constituit Paracelsus, *lib. 1. Philosophiæ Sagacis cap. 4.* Primam dicit esse interpretationem si-

gnorum præternaturalium, quæ inter res naturales quidem appareant, naturaliumque corporum ſpeciem habeant; præternaturali tamen modo à Deo in natura conſtituantur. Talemque Magiam fuiſſe interpretationem ſtellæ, quæ Magos ex Oriente in Judæam deduxit. Huc etiam pertinere interpretationem Prophetiarum & Apocalypſium. Secundam ſpeciem ſtatuit eſſe transformationem corporum viventium; qualis coram Pharaone tempore Moſis accidit: quò etiam Chriſti transfigurationem refert. Tertiam ſpeciem, ait, docere, facere verba, quæ omnes vires habeant, quæ à cœlo in herbas demittuntur, qua omnia, quæ Medicus per medicamenta efficit, verbis præſtari poſſit; eamque appellat *Characteralem.* Quartam ſpeciem dicit docere facere Gamaheu, Gamahæa, Gamahæos vel Gamohæas, (alii enim aliter appellant) id eſt, imagines & ſculpturas, quibus mirandis Characteribus & figuris cœli vires imprimantur; quæ omnia præſtent, quæ alias ex rebus naturalibus compoſita inſtrumenta faciunt. Sicut enim clavis ſeram aperit, gladius vulnerat, thorax ferreus munit: ita eadem inviſibiliter peragi poſſe per imagines ex influentia ſuper cœleſti lapidibus inſculptas. Quinta ſpecies eſt, quæ imagines conficit ſimiles his, quibus eæ deſtinantur, quibus quicquid infligitur, ii patiantur, quorum ſunt imagines. Hac Magiæ ſpecie dicit in imagine Cerea vel alia poſſe quem affari, configi, paralyticum, cœcum, impotentem ad Venerem reddi, rurſumque ſanari, hæcque Magia illi dicitur *Altera in Alteram.* Ultimam ſpeciem conſtituit Cabaliſticam. Cabala autem apud antiquos doctrinam non propria inventione aut meditatione inventam, nec ex libris aut ſcriptis aliorum hauſtam, ſed vivâ voce à patribus acceptam & quaſi per manus traditam ſignificabat, nihilq; aliud erat quam myſtica quædam, ſymbolica, & ænigmatica Theologia; Cabaliſtarumque erat, traditionibus majorum fidem habere, licet nullam rationem protulerint, nec in dogmata inquirere. Et triplicem eam quidem faciunt, primam, qua Adamum dicunt doctrinam à Deo acceptam tradidiſſe filiis, qui eam reliquis patribus tradiderint. Alteram, qua Deus in monte Sinai Moſi 40. illis diebus, quibus cum eo commoratus eſt, legis explicationem tradiderit, quam ipſe rurſum Joſuam docuerit: hac tamen conditione & mandato

dato addito, ut eam paucis tantùm quibusdam, iisque ſapientibus revelarent, quam illi rurſum aliis ſapientibus, ſed paucis communicarent. Factumque id continua ſucceſſione uſque ad Esdram, qui convocatis omnibus ſenioribus de ſingulis, quod à majoribus acceperant, exceperit, & in 70. libros retulerit, quos tamen paucis, & non ante annum ætatis quadrageſimum legere licuerit. Tertiam à Rabbinis inventam, qui literas & ſyllabas Bibliorum in numerum vertunt, mutant, & occultos inde ſenſus eliciunt. Exempla videantur in Lexico Schindleri. Verum cum de Judæorum Cabala non agat Paracelſus atque ipſe, *eodem in libro cap. 6.* Hebræis parùm tribuat, eosque in naturâ nihil cognitum habuiſſe, ſtupidiſſimosque aſinos fuiſſe ſcribat: Judæorum illa ſomnia examinare quod Eraſtus, *part. 2. diſp. contr. Paracelſ. pag. 275.* fecit, hoc loco opus non eſt, ſed de Paracelſi Cabala dicendum. Cabala autem Paracelſi rationem ac modum tradit, quo characteribus, ſigillis, figuris, verbis admiranda & aliis impoſſibilia perficiantur, ac Magiâ Cabaliſticâ præſtari poſſe docet, ut, quis poſſit audire vocem ultra mare, aliquis habitans in Occidente loqui cum aliquo habitante in Oriente. Quæ enim voces naturaliter exaudiri poſſunt per paſſus 100. easdem beneficio Magiæ dicit exaudiri poſſe per 100. milliaria Germanica. Item quod iter curſor vel equus naturalibus viribus menſis ſpacio abſolvit, id per hanc Magiæ ſpeciem uno die poſſe abſolvi. Ac tales equos habuiſſe Magos Sabæos, eosque Magica non naturali vi equorum Bethlehemum veniſſe, *lib. 1. de Vita long. c. 9.* ſcribit. Et quicquid natura operatur annuo ſpacio, id ipſum menſe perfici poſſe etiam in fructibus maturandis pollicetur. Hoc modo Trithemium cœnam ex Italia vel Gallia petiiſſe prolato verbo: Affer, referunt. Tandem Bartholomæus Anhorn refert, daß von Theophraſto Paracelſo geſchriben werde / daß er in einer fürnehmen Statt in dem Würtenberger Land all ſein Gelt verzehret / und drauff ſeinem Hofmeiſter ein Centner Bley einzukauffen befohlen / welches er in Stuck zerhawen / in einen Tiegel werffen / und auff glüende Kohlen ſetzen laſſen: als nun das Bley zerſchmoltzen / habe er ſeinem Diener ein kleines Papyrlin / mit einem blutrothen Pülferlin gegeben / daß er ſolches in das zerſchmoltzene Bley ſchütten / wol

untereinander rühren/ und hernacher in eine eiserne Form giessen solte; welches er gethan/ und seinem Herzn widerumb angesagt/ das zerschmoltzene und gegossene Bley sehe auß als wann es das klareste und schönste Gold wäre/ deme Theophrastus geantwortet: Ja; Gold soll es seyn/ dann mit Bley kan ich nicht viel außrichten/ habe drauff seinen Würth gebetten/ das Gold dem Müntz-Meister zu bringen/ welcher sich ab seiner Kostbarkeit nicht gnugsam verwundern köñen/ und jhme den Werth darfür an geprägtem Gold und Silber bezahlet. Ja ein denckwürdig Exempel solcher zauberischen Führung durch den Lufft/ hat sich vor etwas mehr als hundert Jahren/ in der löblichen Statt St. Gallen/ mit einem Spil- und Fazmann/ genannt der Steucheler/ zugetragen; welche Histori mir/ dem Authori dieses Buchs/ in Anno 1638. Herz Georg Huber/ damahlen Consul Reipubl. San-Gallensis emeritus, ein Herz von 86. Jahren erzehlet/ wie er solches in seiner Jugend/ auß deß Steuchelers/ der nunmehr zimlich alt war/ eigenem Mund/ folgenden Innhalts/ gehört. Als auff eine Zeit/ eine grosse Tag-Satzung zu Baden in Schweitz gehalten/ und die Herzen Ehren-Gesandten der löblichen dreyzehen/ und zugewandten Orten/ in dem Herren-Garten daselbst/ ansehenlich tractiret worden/ kam der obgedachte Steucheler/ ein Spilmann zu St. Gallen/ unter das Multerthor auff die Bruck/ und fande bey einander auff den Bäncken der Bruck/ etliche fürnehme Bürger/ und Theophrastum Paracelsum (welcher selbiger Zeit zu St. Gallen gewohnet) sitzen/ stunde bey jhnen still/ und sagte: Jetzt werden sich die Herzen Gesandten zu Baden im Herzen-Garten lustig machen/ dann ich hab gehört/ die angestellte Gast-Mahlzeit werd heut gehalten werden: wann ich jetzt auch dort wäre/ wolte ich mit meiner Zwerchpfeiffen ein Trinckgelt auffheben. Worüber Theophrast zu jhm gesagt: Hast lust ein Trinckgelt zu verdienen/ so gehe heim/ lege andere Kleider an/ nimm deine Pfeiffen zu dir/ und komm wider hieher/ ich will dir ein Pferd geben/ darauff du in einer halben Stund zu Baden seyn kanst. Der Steucheler sagt: Herz Theophrast/ ich weiß wol/ daß jhr mehr könnet als andere Leut/ ich will heim/ und meine Pfeiffen holen.

Geht

Geht heim/ legt andere Kleider an/ nimmt seine Pfeiffen zu sich/ kommt wider unter das Multerthor/ und sagt: Herr Doctor/ ich bin gebutzt/ wo ist das Pferd/ darauff ich in einer halbeu Stund zu Baden seyn kan? Theophrastus sagt/ gehe hinauß zur Schieß-Hütten/ da wirst einen weissen Schimmel gesattlet angebunden finden/ löß jhn ab/ sitz auff/ und hüte dich/ daß du kein Wort redest/ biß du wider absitzest/ du wirst in einer halben Stund zu Baden seyn. Der Steucheler gehet hin/ findt den Schimmel bey der Schieß-Hütten angebunden/ löset jhn ab/ sitzet auff/ und fahret durch die Lufft/ in einer halben Stund nacher Baden/ ist sonst zu räisen 16. starcke Stund weit. Der Schimmel lasst sich zu Baden an der Schloßhalden auff die Erden/ und verschwindt/ so bald der Steucheler abgesessen: Der Steucheler gehet hin in den Herren-Garten/ und fanget an mit seiner Zwerchpfeiffen für den Herren Ehren-Gesandten künstlich auffzuspilen. Als jhne der Gesandt von St. Gallen gesehen/ und zu jhme gesagt: Steucheler/ bist du auch da? welcher Teufel hat dich hieher getragen? Antwortet der Steucheler: Ja Herr/ Ja Herr; der lebendig Teufel und kein Heiliger: und erzehlet/ wie er vor einer halben Stund noch in der Statt St. Gallen gewesen/ und was sich mit seiner geschwinden Räiß zugetragen/ wie oben gemeldet: Aber/ GOtt solle jhn wol behüten/ er begehre auff diesem Schimmel sein Lebtag nicht mehr zu reuten. Ut miremur Olaum Borrichium tam industrium sese exhibuisse in Defensione Paracelsi.

CVIII.

De Zoroastro, quem inter Magos referunt eruditi hæc habet Ursinus: Certum vixisse Cyri ævo Zoroastrem aliquem Magum famosissimum, cujus gloriæ plurimi inviderint, nomenque usurpare quidam jam tum ausi fuerunt p. 33. 34. & p. 51, 52, 53. & plures fuisse docet p. 25. & 26. Qui *Zerodast* Muhamedi dicitur, & est ipse *Zoroaster*. Authorem n. Persicæ superstitionis & Philosophiæ, qui זרדוסת *Zardust*, ipsis Persis vocatus est, i. e. *amicus ignis*, Græci vetustiores ζωροάστρην corruptè nominârunt: recentiores propiùs verum nomen expresserunt ζαράδης, ζαράδας, atque etiam ζάρα-

τ☉. Idem vocatur proprio nomine Persico *Mog* מג, unde Græcis Μάγ☉. At ex eo Magi iidem Græci fecerunt *μῶχον*, quem Sophum volunt fuisse. Iliacis temporibus antiquiorem, ita ad *Sulpit. Sever. ex Salmas.* observat. *Horn. p. 266.* At an primus fuerit Inventor Magiæ dubium est, quibusdam in affirmativam, quibusdam in negativam inclinantibus, priorem sententiam amplectitur *Voetius*, qui ad Quæstionem de prima Origine Magiæ respondet non posse illam ostendi, à quo ubi & quando orta sit demonstrari, non posse magis, quam cujusque Idololatriæ superstitionis apostasiæ seu transitus à vero Dei cultu ad Gentilismum. Rectius *Eusebius* & *Lactantius* ab illo *cap. 22.* citati dixerunt, hanc malos dæmonas simul cum aliis artibus invenisse. Quo ipso haut obscurè innuunt, primum inter homines inventorem non posse designari, nec etiam quærendum esse. Hoc saltem in genere affirmari potest, cum idololatriâ quasi eodem ovo prognatam esse. Ad hæc, ut homines ex Asiâ post exscensum ex arcâ Noachi in alias orbis partes propagati sunt, sic & cujuslibet vitii consuetudinem, & nominatim superstitionis, idololatriæ, magiæ, apostasiæ seu Gentilismi. Inter Asiaticos in Persiâ, Syriâ, Babyloniâ quasi sedem hujus nefariæ artis fixam, & scholam apertam fuisse; eò Græcos tanquam ad mercatum profectos fuisse, & rivulos ex illo fonte in Græciam derivâsse. De quo *Plinius lib. 30.* & ex eo *Polydorus:* Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem ad hanc discendam navigâsse, hanc reversos prædicâsse, & in arcanis habuisse. Supra notavimus, quomodo Platonica philosophia occasionem dederit magiæ, & non pauci Philosophi Platonici partim magica promoverint sive scientes sive inscii, partim excoluerint. A vicinis Asiaticis, Cananæis, Syris, Chaldæis, Ammonitis, Moabitis &c. ad Israëlitas manâsse constat ex Scripturâ *Levitic. 18. & 20. 2. Reg. 17. Daniel. 2. Jerem. 10.* Vide eruditum tractatum *Seldeni de Diis Syris.* De successione & propagatione magiæ in apostatico Judaismo, ex libris ipsorum & quotidianâ praxi multa colligi possent: nisi temporis compendio studendum esset. Unum non est prætereundum, non nisi magnâ cum cautione & delectu medicis Judæis utendum, tum propter odium & hostilitatem eorum contra vitam & sanitatem Christianorum (de quo in *disp. de Judaismo*)

daiſmo), tum etiam propter non vanam magicæ & ſuperſtitioſæ medicinæ ſuſpicionem. Olim *Chryſoſtomus homil. 6. c.* Judæos graviter & fusè inceſſebat, tum Judæos non ſine ſuperſtitionibus medicantes, tum Chriſtianos operâ eorum utentes. Dignus omninò locus, qui legatur ad judicium de participatâ magiâ, idololatriâ, ſuperſtitione, rectiùs formandum: contra laxos & perversè moderatos, qui hæc & ſimilia nomine præciſitatis exſibilant, & tepidorum aut carnalium axillis pulvillos conſuunt. De magia inter Gentiles antiqui & novi orbis dominante & inter Muhammetiſtas, quin & inter ipſos Chriſtianos unà cum hæreſibus & idololatriis erumpente ex topographis, & hiſtoricis, obvium cuique cognoſcere. Verum *primò* non eſt conſequens in Zoroaſtro non poteſt oſtendi origo aut Perſis. Ergò non poteſt oſtendi origo ſimpliciter. *Secundò* talia ponit Voetius, ex quibus concludi poteſt origo Magiæ, nam Euſebium & Lactantium ſequitur, qui dixerunt malos Dæmones illam cum aliis artibus inveniſſe, & hoc in genere affirmari poſſe cum Idololatria, quaſi eodem ovo prognatam eſſe, at ſi hoc jam ante Diluvium ſemina Magiæ invaluerunt ſecundum illos, qui cum Hieronymo aſſerunt plærosque Hebræorum arbitrari, tunc ſcil. poſt natum Enoſchum Sethi filium primum in nomine Domini & in ſimilitudine ejus fabricata Idola eſſe. in quæſt. ebraicis, cum Jarchio & Paraphraſta Onkeloſo eo inclinant, qui cum Arabe in Pentateucho Editionis Eſperianæ verba Moſis exponunt: tunc inceperunt homines deficere à cultu Dei, qui denique cum Danæo & Seldeno reddunt verba *Gen. 4.* tunc profanatum eſt in invocando Nomen Jehovæ, ſed rejecimus hanc ſententiam ſive interpretationem olim in Notis noſtris ad caput 4. Gen*eseωσ*. Interim tempore Therachi jam extitiſſe, non incepiſſe Idololatriam patet ex *Joſua 24. v. 2.* Theodoreto quæſt. 18. & Chryſoſtomo Homilia 31. in Geneſin. *Tertiò*, ſi poſt diluvium demum Idololatria cæpit & cum illa Magia, quem nominabimus Authorem ejus niſi Chamum impium illum & degenerem Noachi Filium, quem Pſeudoclemens libro quarto Recognitionum ſcribit: Magiam hominibus ante diluvium à mulieroſis illis Angelis traditam Ægyptiorum Conditorem Meſraimum didiciſſe à Chamo patre, & Chamum à poſteris hujus artis admiratoribus

Zo-

Zoroaſtrem ſeu vivum Aſtrum propterea fuiſſe dictum & pro Deo habitum. Id ſequutus Caſſianus collationis octavæ cap. 21. *Quantum*, inquit, *antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noë, qui ſuperſtitionibus iſtis & ſacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, ſciens nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librum in arcam prorſus inferre, in quam erat cum patre juſto ac ſanctis fratribus ingreſſurus, ſceleſta ac profana commenta diverſorum metallorum laminis, quæ ſcilicet aquarum inundatione corrumpi non poſſent, & duriſſimis lapidibus inſculpſit. Quæ diluvio peracto eâdem quâ celaverat curioſitate perquirens, ſacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ ſeminarium tranſmiſit in poſteros.* Inde invaluit hæc opinio Chamùm fuiſſe Magum, & carmine Magico patrem, dum dormiebat nudus, ita devotaſſe & obligaſſe, ut deinceps ad mulierem non potuerit affectari, & Magicos libros ſcripſiſſe, quorum partem combuſſerit Ninus, alterâ ſuperſtite. Nam hodieque extat impium opus continens elementa & praxim artis Necromanticæ ſub titulo *Scripturæ Chami filii Noæ.* Sed Chami memoriam fictitiis criminibus infamare nihil opus eſt, cum vera ſuppetant ſatis ſuperque, quorum nomine conſtat à patre meritò fuiſſe maledictum. Chamum quidem pravi contortique ingenii fuiſſe oportet, cum non modo ex pii patris dedecore voluptatem ceperit, ſed & eum traduxerit apud fratres. At non ſequitur fuiſſe Magum, aut eundem cum Zoroaſtre. Certè tempora non conveniunt; Chamo enim multis ſæculis recentiorem eſſe conſtat magum illum Zoroaſtrem, cujus oracula Græcè edita cum Pſelli & Plethonis Scholiis circumferuntur. Illum quidem Pudoxus apud Plinium ſex millibus annorum ante Platonem vixiſſe prodidit, id eſt multo ante mundum conditum. Nec multo agunt modeſtius, qui ibi citatur Hermippus, & Plutarchus in Iſide, & Hermodorus Platonicus apud Laertium in procemio, qui eundem faciunt quinque annorum millibus bello Trojano vetuſtiorem. Sed has annorum chiliadas mutavit in centurias totidem ignotus author apud Suidam. Et his omnibus vetuſtior Xanthus Lydius nonniſi ſexcentos annos numerat à Zoroaſtre uſque ad Xerxis tranſitum. Laertius ubi ſupra: Ξάνθος γὰρ ὁ Λυδὸς εἰς τὴν Ξέρξου διάβασιν ἀπὸ τοῦ Ζωροάστρου ἑξηκόσια φησὶν ἔτη γεγονέναι. Quin Apuleji Floridorum lib. 2. legitur Pythagoras doctores habuiſſe *Perſarum Magos*

Magos ac præcipuè Zoroastrem omnis divini arcani antistitem. Ita vixerit Zoroastres diu post Trojana tempora. At plerique scriptores æquo faciunt antiquiorem, quia Magum illum confundunt, cum Bactrïanorum Rege Zoroastre Nino æquali. Unde Trogus lib. 1. *Postremum illi* [Nino] *bellum cum Zoroastre Rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes Magicas invenisse.* Et Arnobius lib. 1. *Ut inter Assyrios & Bactrianos, Nino quondam Zoroastreque ductoribus, non tantum ferro dimicaretur & viribus, verum etiam magicis & Chaldæorum reconditis disciplinis.* Et de eodem Augustinus de Civit. Dei lib. 21. cap. 14. *Magicarum artium fuisse perhibetur inventor.* Et paulò pòst: *A Nino Rege Assyriorum cum esset ipse Bactrianorum Rex bello superatus.* Orosius lib. 1. cap. 4. ubi de Nino: *Zoroastrem Bactrianorum regem, eumdemque Magicæ ut ferunt artis repertorem pugnâ oppressum interfecit.* Sed Ctesias, ex quo Diodorus, Bactrianorum Regem in quem dimicavit Ninus, Ὀξυάρτην *Oxyartem* appellat, non Zoroastrem, neque magum fuisse dicit, aut viribus hostium magicas artes opposuisse, quamvis hoc bellum referat multo pluribus quam quisquam alius veterum. Pone tamen Bactris regnasse magum Zoroastrem; Quid hoc ad Chamum Noæ filium, cui Bactriana non obtigit, sed Africa, & Asiæ portio in Africæ finibus à Bactris remotissima? Itaque ut à Zoroastre Oxyartes, ita Cham ab utroque plane fuit diversus. Et Magiam à Chamo tam falsum est post diluvium fuisse invectam, quam ab Angelis ante diluvium. Quod videtur sumpsisse spurius Clemens ex Enochi libro apocrypho, ubi in earum artium censu quas ab Angelis magistris edidicerunt antediluviani homines etiam Magiæ fit mentio in hæc verba: ὁ ϛ' ἰαφαρμαρὸς ἐδίδαξε φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας, καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια *undecimus autem* Angelus *Pharmarus nomine docuit veneficia, incantationes* [Magorum] *artes, & incantatorum sacrificia expiatoria.* Credat Judæus Apella non ego. Φαρμαρὸς corruptum ex Φαρμακεὺς vel פרמקוס Φαρμακὸς, quâ voce à Græcis mutuatâ Ebræi veneficum significant. Itaque sic dictus est Angelus, qui docuisse putatur τὰς φαρμακείας. Non possum non addere locum insignem de Zoroastre ex Agathiæ lib. 2. ubi de Persis: *Alienis verò ac veluti adulterinis institutis utuntur, Zoroastri Oromasdæ filii disciplina deliniti. Ille ve-*

rò Zoroaster aut Zaradus (is enim fuit binomius) quando primum floruerit & leges condiderit liquido non constat. Persæ verò hujus ætatis sub Hystaspe simpliciter fuisse dicunt, ita ut valdè ambigatur neque certò sciri possit, an Darii pater aut alius quispiam hic Hystaspes fuerit; Quocunque verò tempore floruit, author eis & dux Magicæ religionis extitit. In his de Zoroastris ætate Agathias ita dubitat, ut palam faciat se iis non assentiri, qui volunt tam esse antiquum. Alioqui non poneret in incerto an ille Hystaspes, cui Zoroastres fuit æqualis, Darii fuerit pater qui Cambysi successit Cyri filio. Quanquam autem non subscribamus PseudoClementi Chamum cum Zoroastre confundenti cum his longè recentior sit, non tamen improbabile artibus magicis operam dedisse Chamum & semina illius accepisse ab antediluvianis, qui ut in cæteris vitiis planè fuerunt obruti, ita nobis dubium non est relicto vero Deo etiam Idololatriæ se mancipasse, & magiæ operam dedisse, unde deinde inter Asiaticos diffusum hoc venenum & ex Asia discedente Chamo & posteris illius in Africam propagatum.

CIX.

Non tantùm autem Magia sibi legit viros, sed & fœminas in Subjectum. Exhibet nobis Scriptura Pythonissam in Endor *1. Sam. 28. v. 7.* ubi in Ebræo est אוב Ob Græcè Pytho, quæ vox aliâs utrem significat: quod Pythones strictis & compressis dentibus, aut ex ventre tanquam ex utre, aut ex pudendis partibus vocem redderent. Sic enim solebant Pythiæ Sacerdotes Apollinis, cum sederent in tripode & ob eam causam dicebantur ἐγγαστριμύθοι. *Actor. 16. v. 16.* mentio fit puellæ cujusdam, quæ Spiritum talem habuit & magnum quæstum Dominis suis attulit, adeoque ex earum classe fuit, quæ aliâs in Templo Apollinis Delphici juxta Parnassum ascendebant mensam tripodem, ut Dæmonem Pythium in ventres suos advocarent, ibique primum tanquam furiis agitatæ sparsis crinibus & alienatâ mente, deinde pacatæ & tranquillæ Responsa dabant. Si profanos consulamus Scriptores, producunt illi Medeam, Hecatem, Circem Magdalenam de la Cruc, Hispanicam, Canidiam, Franciscam Senensem, & alias quamplurimas. Appellantur à Græcis Empusæ, Lamiæ, Mormolyciæ, Striges. De Lamiis scribit Duris libro secundo de

rebus

rebus Lybicis. Fuisse Lamiam formosissimam mulierem & pellucem Jovis. Id Junonem indignè tulisse & filium, quem ex eâ Jupiter sustulit occidisse, eam verò turpissimum in modum deformasse, impatientem itaque tantæ injuriæ cæpisse primum furere, deinde etiam alios liberos trucidare. Esse autem hoc genus mulierum in Lybia in sinu maris arenosi & naufragos homines hærentes forte in Syrtibus statim ab illis devorari. Adde quæ habet Philostratus in vita Apollonii Thyanæi libro 4. cap. 8. In fœminæ magis obnoxiæ sententiæ vid. Nicol. *Esse ita Exempla & confessiones Sagarum confirmant, cum de conventibus suis confitentur, ubi semper plures mulieres, quàm Viros agnoscunt.* V. Remigium l. 1. Dæmonol. cap. 15. *Ex Veteribus* Fabius *veneficium in fœminâ facilius creditum in declam. docet.* Plinius *in veneficio fœminarum scientiam prævalere* l. 16. c. 2. ait. In lege *de veneficis puniendis.* Exod. 22. v. 18. *Vox Hebræa in fœminino posita est, quòd plures semper in hoc crimine mulieres, quam Viri, Quanquam vulgatus masculinè maleficos reddiderit.* Rabbini in Pirke auoth *proverbialiter dicunt*, qui mulieres *(in polygamiâ nempe,)* multiplicat, veneficas multip. *Ut quævis enim præ alterâ marito placeat, etiam per Sagas & veneficia quærunt.* Ratio est, *quia* partim *sexus naturâ imbecillior est, qui ad credendum & consentiendum magis pronus, eoque facilius falli & aliquò induci potest, indeque ad seducendum habilior: Sic Evam Sathanas decipere aggressus est, non Adamum,* Gen. 3. v. 1. Tim. 2. v. 14. Partim *affectibus iræ, vindictæ, libidinis, curiositatis, magis & inordinatiùs subjacet ac tegitur, ut modum non ita inveniat, cum enim Vires Corporis non ita habeat, occultè per maleficia se vindicare quærit:* Et *imprudentia ac stoliditate magis ducitur, ut non consideratè rem attendat. Unde facilius Dæmon se insinuare, & in casses suos deducere potest:* Partim *loquacior est, & quæ mala novit, compares vix celare potest, eoque ad plures in errorem inducendos paratior est, quod in suis maleficiis Dæmoni gratissimum est.*

CX.

De Multitudine hæc habet *Danæus:* Mira sunt, Theophile, quæ nuper quidam Lutetiam Parisiorum redeuntes narravere, Nimirum tribus abhinc mensibus infinitum penè veneficorum hominum numerum in Gallia deprehensum esse, de quorum crimine à

summo ipso Parisiensi Senatu jam pronuntiatum est, quotidieque judicia exercentur, prout hujus sceleris rei ad eum ex variis provinciis adducuntur varii. Et quod magis mirere, hujusmodi etiam ex quolibet hominum ordine annotantur quidam, imprimisque nobiles, tum viri, tum fœminæ, docti etiam, & qui rerum cognitione habentur insignes. Quid enim de vulgo hominum imperito illo & ignaro dicam? quales agricolæ, vinitores, pastores, coloni, artifices, reliquique ejusdem generis, & ii etiam vel jam senes & adhuc juvenes, è quibus certo certius est penè innumerabiles esse veneficos & Sortiarios. *Theo.* Neque tu nihil, neque omnia dicis, Antoni, quando affirmarunt fide digni homines etiam corpore mancos & debiles, quales cæci, in eorum numero reperiri: Inter quos unus nomine Honoratus cæteris notior capitis supplicio senatus decreto Lutetiæ affectus est, de quo planè incredibilia narrantur, cùm ipse è sodalitio xv. viginti virorum, ut vocant, id est, è trecentorum cæcorum collegio esset. Et sanè quod ad me attinet, nihil necesse erat in eam sententiam, de qua tamen ambigunt multi, me magis confirmari, nimirum esse quosdam veneficos & Sortiarios. De quo sum bene persuasus, idque jam pridem, & tam firmis, ut spero, rationibus, ut qui eas intellexerit, amplius apud se de eo non sit dubitaturus: tum deinde in eo ipso sum planè confirmatus, quòd variis in mundi regionibus hujusmodi maleficos homines animadverti. Nam qui non tantùm Galliam nostram, sed reliquos celebres orbis populos & partes perlustrarunt, accusatos & convictos, & damnatos hujus sceleris quàm plures viderunt ipsi. Et ne percurram omnes, una Sabaudica natio tot, tantos, tamque confertos horum hominum greges habet, ut exstirpari nullo modo possint, quidquid judicum illius loci severitas in puniendo, & diligentia in perquirendo conetur, adeò ut vel in una civitate homines plusquam 80. numero, unius anni spatio capitis pœna mulctati audiantur. *Ant.* Hoc certè quod refers stupendum maximè est. *The.* Aliud addam atque etiam admirabilius, eò jam audaciæ & furoris quosdam ex iis venisse, ut palàm & ingenuè profiteantur se, si quem magni nominis virum pro duce nacti semel fuerint, tanto esse numero, tamque magno, ut vel contra unum aliquem regem bellum apertè gerere audeant,

de

de quo ſperent artis ſuæ auxilio tam facilè ſe victoriam reportaturos, quàm olim Hunni de Sigeberto Francorum Rege, magicis incantationibus obtinuerunt, quemadmodum Gregorius Turonenſis Epiſcopus & Francorum Hiſtoriographus, lib. 4. c. 29. eveniſſe tradit.

CXI.

Nominibus Scriptura utitur præcipuè iſtis, quibus genera sortiariorum, Magorum & Sagarum ſive Veneficarum deſignat. Primum damnatæ divinationis genus quod ex ſuperioribus locis colligitur, eſt eorum qui *Coſemum* ab Hebræis, à Latinis autem Divini appellantur. Ii ſunt qui arcana quadam & ſecreta cum Satana communicatione divinant, qui ſunt reliquis aſtutiores longèque callidiores. Nec enim ſe detegi volunt, videnturque potius prudenti quadam rerum conjectura, aut quodam inſtinctu Dei quàm ulla damnata ratione futura prædicere, quia ſuum illud, quod cum Diabolo habent, commercium ſtudioſè celant. Unde fit ut nonnunquam in bonam partem, atque pro prudentibus viris, vox *Coſemim*, in Scriptura ſumatur, uti apud Iſaiam c. 3. Secundum divinorum genus appellatur *Aobot* ab Hebræis: à Latinis vel Græcis potius Pythonici, Galli hoc genus hominum eſſe dicunt, qui dæmonem familiarem & domeſticum habere dicuntur. Hi apertè & citra diſſimulationem cum Satana colloquuntur & communicant, eoque tanquam famulo ad imperata exequenda utuntur, itaque cum eo converſantur. Vocabitur autem *Aobot*, quòd cùm impulſu illius ſui dæmonis divinant, tanquam ex utre quodam obſcuram & confuſam vocem è ventre emittunt, quod Delphis ex tripode Pythoniſſa etiam faciebat, idque fœdiſſima & horrenda prorſus ratione. Reliquæ ſex divinationis ſpecies hoc diſcriminis cum ſuperioribus duabus habent, quòd quanquam etiam ipſæ opera & arte Satanæ fiunt, tamen in his ſex ſequentibus Satan ipſe per ſe neque agit neque coram colloquitur cum iis qui divinant, ſed interpoſito alterius nomine, aut ſignis quibusdam & mediis adhibitis, quæ ipſe tamen præcipit & demonſtrat. Tertium igitur divinorum genus eſt eorum, quos Latini dicunt Necromantios, qui ex mortuis opera diaboli futura præſcire deſiderant. Quod genus etſi abſurdiſſimum jam ætate

Homeri in uſu fuit, cujus ipſe meminit lib. 11. Odyſſ. Qua quidem in re etſi intervenit Satan, & agit hoc totum, celato tamen nomine alienaque perſona interpoſita id facit. Quartum genus ii ſunt, qui appellantur ab Hebræis *Megonim*, (à quo fortaſſe Magi dicti videri poterant, ſed alii ſunt quos Magos appellamus) à Latinis Aſtrologi & Mathematici. Hi futura prædicere ſe poſſe putant ex quorundam ſignorum, locorum, & ſtellarum obſervatione, earumque ſitu & aſpectu, ut vocant. Quales olim Romæ Augures qui ex certis regionibus quas in aëre deſcribebant, vaticinabantur: quales hodie Aſtrologi judiciarii. Quintum genus appellant Hebræi *Menachesim*, Latini verò Magos, qui & ipſi à diabolo Divinitatem didicere ex certis figuris, characteribus, delineationibus, & certorum etiam verborum ſuperſtitioſa demurmuratione ſuper te propoſita. Itaque artem ſuam exercent quibusdam ſymbolis, quæ docuit præcepitque malus iſte magiſter Satan. Tales ſunt Hydromantii, & ex eo genere fuit illa divinatio per ſcyphum, de qua Gen. 44. verſ. 5. facta mentio eſt. Sextum genus ſunt *Idegonim* Hebraicè: Latinè Arioli, qui bonam, ut ajunt, fortunam prædicunt. Hi ex objectis ſibi rebus, non autem à ſe conquiſitis & effictis divinare pollicentur. Id quod ex eadem Satanæ ſchola prodit. Hujusmodi ſunt hodie ſomniorum conjectores: chiromantæ, qui ex manuum lineamentis quæcunque futura ſint, præſagire ſe poſſe profitentur. Tales olim fuerunt fulgurum & tonitruorum interpretes: tales quoque qui ex extis victimarum augurabantur, aut ex cantu, aut ex eſu avium, qui & Extiſpices & Oſcines dicti ſunt. Qui omnes probabili quadam conjectura niti videntur velle, non autem vana ſuperſtitione. Septimum genus ſunt Hebræis *Mecaſephim*, Latinis Præſtigiatores & Faſcinatores. Hi incantationibus & meris illuſionibus oculorum agunt & faſcinant homines, videnturque ea repræſentare, quæ pollicentur, decipiunt tamen. Hujusmodi fuerunt incantatores Pharaonis, qui hoc ipſo nomine etiam appellantur, Exod. 7. v. 11. Octavum denique & ultimum divinorum genus eſt eorum quos Hebræi *Chobarim* vocant, Deuter. 18. v. 11. Latini Sortilegos, qui certis locis aliquando colliguntur cum Satana, & multa maleficia perpetrant. Vides igitur quàm ſit antiquum hoc totum

Sata-

Satanicorum divinorum genus, & ut ab iis illi qui hodie Sortiarii vocantur, ſint & profecti & nominati.

CXII.

De hiſce Magis & Sagis, Lamiis & Empuſis quidam putant obſideri illos & illas à Diabolo idque ideo, quia *primò* non tam ipſi quam Diabolus in ipſis operoſus eſt, & quicquid agunt, virtute Dæmonis agunt. *Secundò*, quia ut pii aguntur à Spiritu S. ita iſtiusmodi devoti Diabolo aguntur ab illo, ab eodem ducuntur, reguntur & diriguntur. *Tertiò*, quia Diabolus Imperium in illos ſibi acquiſivit, validum in ipſos exercet, atque præ cæteris hominibus illos ſubjugat, ita quidem ut confœderati illius dici poſſint, utpote, qui ſanguine ſuo ſe illi obligant, mancipant & ſubſcribunt. In contrarium tamen ſunt alii, qui non concedunt Spiritum hunc obſidere hæc ſua mancipia, ſed auxiliari ipſis, miniſtrare venena, juvare in operationibus & quæcunque alia circa illos & illas tentare, idque probant ex eo, quia *primò*, qui obſidentur à Dæmone corporaliter inhabitantur, & torquentur ita, ut nunc oculos torqueant, nunc membra diſtendant, nunc in globum ſeſe incurvent & convertant, quod de Magis, Lamiis & id generis hominibus dici nequit. *Secundò*, quia obſeſſi non ſponte ſeſe ſubjiciunt Tyrannidi Diaboli, & liberè volunt illum ita ſibi præſentem eſſe, ſed inviti ſubſunt illius Imperio, & multa patiuntur ab hoſpite illo, cruciatus ſentiunt nefandos, ut in ſpectaculum miſeriæ proſtent; Sagæ verò & veneficæ ſponte ſeſe addicunt Diabolo, neq; ita torquentur ab illo, nec tam patiuntur, quam agunt. *Tertiò* quia obſeſſi quandoq; linguas loquuntur alienas, peregrinas, Ingenio pollent plusquam humano, vincula dirumpunt & catenas quib⁹ alligantur, diſſolvunt, ut vel ex Hiſtoria evangelica conſtare poteſt *Matth. 8. v. 28.* at quis unquam talia deprehendit in Magis aut illis, quæ ſeſe devoverunt & conſecrarunt maligno iſti Spiritui.

CXIII.

Nos poſteriori ſubſcribimus ſententiæ nempe neque Magos, neque Lamias & Sagas inter obſeſſos eſſe computandas, non quod negemus dari obſeſſos & obſeſſas, ſed quia indicia non apparent apud iſtiusmodi homines, quæ nos ducunt in naturam & Indolem ob-

obsessorũ cognoscendam. Dari enim obsessionem quoq; corporalem docet *Thyræus*, qui ita: Ostendunt illæ hanc receptissimam apud Judæos fuisse opinionem, ut crederent homines à Dæmonibus possideri posse. Docent non aliud sensisse Christum Dominum, eundemque pro hac, magna argumenta subministrasse. Demonstrant posterioribus temporibus hac Diabolum potestate in homines usurum. Denique probant Apostolos Dæmonibus in obsessis hominibus terrori fuisse, exitumque imperasse. *Judæorum opinionem* prodit ipsorum oratio, qua Christo Domino, per summam contumeliam objiciunt; quod Dæmonium habeat. *Nonne bene dicimus nos*, inquiunt, *quia Samaritanus es tu & Dæmonium habes?* Ab hac non discedit illa ipsorum eorumdem: *In principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia* & illa: *Quid ipsum auditis, Dæmonium habet*. Atque ita quidem Christi hostes viri alioquin non ignorantes. Cum his sentiunt, quicunque Dæmoniacos ad Christum, ut curarentur, afferebant. *Christi sententiam* primùm declarat regula sive ratio, quam in quibusdam Dæmonibus ejiciendis vult observari; quæ est, ut cum oratione conjungatur jejunium: *Hoc genus Dæmoniorum*, inquit, *non ejicitur* , *nisi in jejunio & oratione*. Declarat deinde ad jam dictas calumnias & criminationes placida responsio. Neque enim negat fieri posse , ut Diaboli homines ingrediantur (qua responsione omnem facilè à se contumeliam depulisset) admittit id fieri posse: se ab iisdem obsessum & occupatum negat: negat se in *principe Dæmoniorum Beelzebub Dæmonia ejicere*. Majus his argumentum est, quòd plurimos Dæmones ipsus , dum communem nobiscum in terra vitam ageret, profligarit ex humanis corporibus: Neque uno id, sed pluribus locis: diversis etiam & non una, apud omnes, ratione: ipsis etiam Dæmonibus clamantibus, & testificantibus vim sibi fieri, & suis domiciliis atque sedibus se pelli. *Futurum etiam denunciat*, quòd posterioribus, & sequentibus temporibus hanc in humana corpora Dæmones potestatem essent habituri. quando verò? Dum Apostolos mittit in orbem terrarum, cum *potestate Dæmones expugnandi:* dum docet venturos in novissimo die, qui sibi aditum ad cœlum patere volent; propterea, quod *Dæmonia ejecerint:* dum asserit doctrinam suam in universo orbe, Dæmonum ab obsessis corporibus expulsione, confirmatum iri:

Signa,

Signa, inquit, eos, *qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c. Ad hunc Judæorum ſenſum & conſenſum:* ad Chriſti facta, judicium, & promiſſiones, accedit *exemplum Apoſtolorum.* Non ſemel ipſis à Domino data poteſtas *Dæmones ejiciendi. Sed* & Dæmones per ipſos ejectos fuiſſe hæc eorundem declarat oratio: *Domine, etiam in nomine tuo ſubjiciuntur nobis Dæmonia.* Non autem eſſe hoc hominum genus obſeſſum patet ex indiciis & requiſitis, quæ apud eundem *Thyræum* leguntur, quorum primum ut in hominibus Dæmones ſint, Alterum, ut etiam poteſtatem in eosdem acceperint. Horum ſi alterum deſit, non bene homines à Dæmonibus obſideri dixerimus. Utrumque ex iis, qui in ſacris literis obſeſſi leguntur, colligere licebit. Prius probat, quòd dicantur Dæmonia homines *intraſſe*, & ex iisdem *ejecta:* Poſterius, quod eosdem *vexarint;* reddiderint *mutos, cæcos, ſurdos,* atque nunc in *aquam*, nunc in *ignem* præcipitarint: nunc per *agros* atque *montes* agitarint. Illa non bene dicuntur, ſi non in hominibus Dæmones fuerunt: hæc omninò confirmant ipſos in Obſeſſos poteſtatem aliquam habuiſſe. Porrò ad prius illud non ſufficit, ut eo modo in hominibus ſint Dæmones, quo res quædam alicubi eſſe dicuntur, ubi aut ipſarum virtus eſt, aut ipſæ operantur. Multis rebus ſic adſunt, & inſunt Dæmones, quas tamen Obſeſſos eſſe nullus dixerit: requiritur, ut revera, atque adeò αὐτοπροσώπως adſint & inſint. Sed tamen quia modi, quibus quædam aliis inſunt, varii ſunt; (quædam enim inſunt, ut accidentia ſuis ſubjectis quædam, ut partes ſuis totis: quædam, ut tota quædam, & abſoluta alicui ſuppoſito: quædam, ut motores iis, quæ movent) quomodo Dæmones hominibus obſeſſis ineſſe credendi ſunt? Non inſunt, ut *accidentia* ſuis ſubjectis. Neque enim accidentia ſunt hi Spiritus. ſunt veræ & perfectæ ſubſtantiæ; atque adeò omnibus omninò his inferioribus perfectiores. Non inſunt, ut *partes* ſuis totis & compoſitis. Hominisve partem aliquam eſſe dicemus Dæmonium obſidens? Quam quæſo? corpus, an animam? Tot enim & non pluribus partibus homo conſtat. Corporis locum ſupplere nullus dixerit: Ut animæ vices gerat fieri nequit: niſi animam prius è corpore migrare dicamus, atque adeò hominem ipſum eſſe deſinere, quàm Dæmonium adveniat;

veniat; quamvis nec tum verè hominis partem Dæmonium dixeris. Credi etiam non debet, *duas* hîc *perfectas naturas* concurrere, atque in una hypostasi recipi. In solo Christo Domino duas naturas, humanam & divinam, una hypostasis suscipit. Hoc ipse sibi, divina dispensatione, proprium vendicat. Præterea, quæ hypostasis quam naturam, præter suam propriam, hîc sustentabit? An hominis Dæmonum? an Dæmonum hominis? At priusquam Dæmones hominem ingrediantur, & suam ipsi hypostasim habent, & suam habet homo: & quemadmodum nec homo unquam suam; ita neque suam aliquando Dæmones deserent. In hominibus igitur, quos obsident, Dæmones sunt, ut *motores* in corporibus, quæ movent. ita scilicet, ut nullam corpori hominis qualitatem imprimant: nullum ipsi dent novum esse: nec propriè unum quid cum obsesso homine constituant. Hoc unum duorum, quæ necessaria diximus, ut à Dæmonibus homines obsessi dici possint. Veruntamen hoc non sufficit: requiritur deinde, *ut potestatem aliquam in eos, in quibus resident, acceperint:* eos possunt affligere, torquere, vel aliqua alia molestia afficere. Quoniam verò de hac potestate alias plura dicenda sunt, idcirco hoc loco præsens Caput concludimus: si duo Corollarii loco adjecerimus. Primum est, consequi ex dictis; non omnes eos dici debere à Dæmonibus obsessos esse, qui gravès ab iisdem patiuntur persecutiones; non dico in anima solùm, aut bonis externis; sed in ipso quoque corpore. Quanta à Dæmonibus in corpore perpessus est Sanctissimus Job? quanta plurimi Sanctorum aliorum? An idcirco à Dæmonibus obsessos fuisse dicemus? Quandoquidem primum eorum, quæ hîc necessaria diximus, desideratur; hoc est, quia in iis Dæmones sedes suas non habuerunt, sed extra ipsos positi, mala hæc inflixerunt, nequaquam Obsessos fuisse dicendum est. Alterum est, multos Obsessos dici non debere, in quos etiam ipse Diabolus ingressus est. *Post acceptam buccellam in Judam ingressus est Diabolus*, sacra attestante historia: sed tamen non dixerimus facilè Judam Obsessum fuisse. Quid ita? quia non satis est Dæmonium hominem intrasse, ut Obsessus dicatur; requiritur præterea, ut in eundem sæviendi, vel agendi à Deo obtinuerit facultatem. Quanquam quòd Judam intrasse dicitur Satanas,

ita intelligendum ſit, quod Judæ ſuggeſſerit peſſimam cogitationem Chriſti vendendi, ut Euthymius eo loco, & Didymus lib. 3. de Spiritu Sancto expoſuerunt. quod ipſum patet ex Johanne 13. *Cum*, inquit, *Diabolus miſiſſet jam in cor, ut traderet eum Judas.* quaſi idem ſit intrare, & immittere in cor, ut traderet.

CXIV.

Si dicas etiam Magos, etiam Lamias futura prædicere, quod aliâs obſeſſorum ſit, Ergò per Diabolum, qui illos & illas inhabitet, occupet & ſibi ſubjiciat, reſpondeo utrasque quidem prædicere, ſed diverſo modo: Obſeſſi *enim non per ſe, ſed per Sathanam, & hic per ipſos:* Divini *per ſe & pro ſe, licet non à ſe, ſed à Sathanâ. Quæ per* obſeſſos *Dæmones loquuntur, obſeſſis ipſis ignota ſunt, & ubi raptus obſeſſionis ceſſat, oblita: Quæ* divini *à Dæmone habent, nota & retenta, non aliter, ac quæ hominum revelatione cognoſcuntur. Quæ* obſeſſi *dicunt, de illis non prius Sathanam conſulunt, ſed inviti ad dicendum coguntur, illisque ut inſtrumentis Dæmon utitur.* Divini *nonniſi conſulto Sathanâ dicunt, & ſpontè conſulunt, & conſulta revelant, ac Sathana velut inſtrumento divinationis utuntur. In divinando homines Dæmonis operâ utuntur, In obſeſſis Diaboli hominibus utuntur. Ibi Dæmones Præceptores, hic Rectores & Motores ſunt. Ibi actus non ſine peccato divinantis eſt, hic ſine eo eſt.* Divinus *malum graviſſimum Sathanam conſulendo committit:* Obſeſſus *malum graviſſimum patitur, non propriè & motu proprio committit.* A divinis *juſta ſupplicia ſumuntur, non obſeſſis.* Per Accidens *fieri poteſt, ut divinus ſimul ſit obſeſſus, ut puella Pythonica* Actor. 16. *Alia quædam ſub Maximino Imp. apud* Baronium T. 2. Ann. *Et* alia *ſub Hugone Epiſcopo Linconienſi apud* Surium T. 6. Delphica *Apollinis Virgo Sacerdos & divinatrix, &* Sibyllæ *interdum apud* Boiſſardum de divination. aliosque. *Hocque modo divinus* duplex *conſtitui poteſt*, vel, *qui inhabitantem ſpiritum habet, ut obſeſſus*, vel, *qui aſſiſtentem, ut divinus. Ille ignota non cognoſcit, etſi revelet: Hic revelat & cognoſcit. In illo Dæmon in homine loquitur: in hoc homo loquitur, ſed à Dæmone inſtructus.*

CXV.

Adſtipulantur Theologi, qui ita: Præſcientiâ futurorū S. Scriptura SOLI DEO tribuit, & quidem 1. Καταφατικῶς *affirmativè*, ut videre

dere est I. Sam. XVI, 7. *Dominus videt* ללבב in cor, Targ. מחשבה *cogitationes cordis* I. Reg. VIII, 39. *Tu solus* לבבך *nosti cor omnium filiorum hominum.* Conf. Job. XXVIII, 24. Psalm. CXXXIX, 1. 2. 3. 4. I. Johan. III, 20. 2. Ἀποφατικῶς *negativè*, & Exclusivè, quòd solus Deus sit præscius, vid. Job. XLII, 2. Ps. CXXXIX, 45. Ebr. IV, 13. Et hæc nota I. contra ALBANENSES, qui Anno Christi 796. contendebant, *Deum non præscire ex se aliquid malum, sed per adversarium suum Dæmonem.* II. Contra SOCINIANOS, qui Albanensium vestigia legunt, negantes *Deum præscire futura hominum peccata.* Sic enim Socinus *in Prælect. Theol. c. 8. 9. & 11.* differit: *Nulla ratio, nullum Scripturæ testimonium proferri potest, ex quo apertè colligitur,* DEUM *mala ex voluntatibus hominum dependentia, scivisse, antequam fierent.* III. Contra PONTIFICIOS, *qui ex defunctis hominibus tantùm non Deos faciunt, dum illis hoc tribuunt, quòd occultæ nostræ necessitates, & cordis nostri gemitus illis non sint incogniti;* Sed missis Albanensibus, Socinianis, & Pontificiis ad propositam quæstionem respondemus per distinctionem. Distinguimus enim inter ea, quæ pendent 1. *à propria Dei potestate.* Sic internos cordium recessus & abditas mentis cogitationes nec præscire, nec cognoscere potest Diabolus, quia *solus Deus novit corda filiorum hominum*, uti modò audivimus ex I. Reg. IIX. 39. quem quem locum B. Hunnius ita eleganter enucleat: *Nec mali Angeli quantumvis alioquin sagaces hominum cogitationes à priori perspiciunt. Quamquàm enim norint eas cogitationes, quas ipsi vel piis vel impiis suggerunt, eas tamen, quæ vel à Spiritu Sancto in piis excitantur, vel à mente hominis sive pii, sive impii proficiscuntur, scire nequeunt Dæmones, nisi vel sermone exprimantur, vel aliis indiciis, velut ex abscondito cordis ita proferantur, ut ratiocinando de iis statuere possint.* Hæc ille. Unde & rectè dici solet, *nullam creaturam scire posse ea, quæ intus in animo hominis latitant, nisi aliunde ipsis patefiant.* Deinde distinguimus inter ea, quæ pendent 2. *ab arbitrii hominis libertate.* Hæc enim Diabolus certò prædicere non potest. Solummodò enim ex temperamenti constitutione aliquid colligit. Vid. Geier. Prælect. Acad. in Daniel. p. 123. Denique distinguimus inter ea, quæ pendent 3. *à rerum naturalium causalitate.* Ita concedimus Diabolum ex subtilitate naturæ, temporum experientia,

habet

habet enim plurium, quàm quinquies mille annorum experientiam, ut loquitur Cyprianus *ad Fortunatum* ex revelatione Scripturæ quædam prædicere & præscire posse. Ita Diabolus ex Scripturæ revelatione, ex concionibus & miraculis Christi, & sic à posteriori novit, Christum esse Messiam Luc. IV, 34. Actor. XIX, 15. Si verò quis ulterius ex me quærat: An etiam Diaboli plenè & planè cognoverint, Christum esse verum promissum Messiam, & ὁμοούσιον Dei Filium? iterum distinguo *inter statum Christi Exinanitionis & Exaltationis*. De statu exaltationis nullum est dubium, quùm Dæmones viderint efficacissimum Christi descensum ad inferos, & mox insecutam gloriosam resurrectionem, ut de eo non possint non esse certi, modò non per superbiam, odiumque in Deum infensissimum, de quo ipse Dominus concionatur Gen. III, 15. ignorare se simulent. De statu igitur exinanitionis hîc est quæstio. Affirmativa videtur probari posse ex Matth. IIX, 29. ubi Diaboli in duobus Dæmoniacis vociferabantur, dicentes: *Quid rei nobis tecum est* υἱὲ τοῦ θεοῦ, & ex Marc. I, 24. Luc. IV, 34. ubi Diabolus in obsesso: *Sine, quid rei nobis tecum est Jesu Nazarene? venisti ad perdendum nos?* οἶδά σε *novi te, quis sis, nimirum ille sanctus DEI* i. e. *Messias*. Negativa autem patere videtur ex Matth. IV, 36. ubi Diabolus Christum tentat his verbis: *Si Filius DEI es, jube, ut lapides hi panes fiant. Si Filius es DEI, præcipita te deorsum.* Sed affirmativam amplectentes Scripturæ ἐναντιοφανὲς ita conciliamus, ut dicamus, ex loco Matth. IV. hoc saltem colligi, quòd ante baptismum Christi vel nihil planè, vel parum saltem divini de Christo suspicatus fuerit Dæmon, nisi quòd miraculosam ejus nativitatem nonnihil pensitaverat, quod tamen non adeò ipsum multum movit, præprimis cum Christum in teneris juventutis suæ annis nihil singulare vidit agere, quod vel minimum Divinitatis suæ signum esse posset. Quum autem in baptismo ad Jordanem vocem Patris audit dicentis: *Hic est Filius meus dilectus*, itemque testimonium, quod Johannes Protobaptista de Christo edidit, nempè illum esse agnum Dei, qui totius mundi peccata tollere deberet, in mentem ipsi iterum venit miraculosa ejus nativitas. Quum autem ex alterâ parte nihilominus videret, Christum esse aliis hominibus similem, pauperem scil. & abjectum, ideò dubius

 fuit,

fuit, qualis sit intelligendus Dei Filius, an *naturalis* & ὁμοούσιος, an saltem *per excellentem quandam adoptionem*, quomodo etiam Ariani & Sociniani de Filio DEI loqui amant. Hæc prima fuit ansa, qua de Divinitate Christi Diabolus incepit conjecturare, quæ conjecturæ postmodum accedentibus Christi miraculis exspirârunt.

CXVI.

Sed cum quandoque hoc Malum erumpat in aliqua Urbe vel pago, vel alio cœtu, ut processus instituendi, supplicia intentanda, Gladius, Ignis & cæterera instrumenta exstirpandis sint adhibenda, quæritur, an ex illo concludi possit cœtum illum, ut contaminatur istiusmodi personis, ita quoque Religionis veræ defectu premi, adeoque ubiubi sit Magia copiosior, ibi etiam sit hæresis validior. Pontificii Scriptores hîc debacchantur in Lutheranos, atque censent illos longè magis abundare istiusmodi hominibus, quàm Ecclesiam ut vocant Romano-Catholicam *Thyræus* lib. 2. de Dæmoniacis cap. 21. tam impudens est, ut etiam non vereatur nostros Doctores iisdem accensere. Verba illius ita habent: Quamplurimi eorum cum Diabolo egerunt, vel ab eodem, tanquam à Magistro, sua dogmata acceperunt. Hoc docent de Simone Mago Egesippus: & Cyrillus: de Basilide Theodoretus: de Marcione Innocentius:, de Menandro Epiphanius: de Theodoto Eusebius: de Carpocrate Tertullianus: de Buda Cyrillus: de Montano rursus Eusebius: de Massiliano Theodoretus: de Eutyche idem: de Berengario Polydorus Vergilius. Nostro etiam tempore id de iis, quos ex se procreavit, ipsemet Lutherus testatur: de Carolstadio, inquam, libro contra Carolstadium: de Oecolampadio, libro de Missa angulari: de Anabaptistis, libro contra ipsos. Testantur idem de Davide Georgio Basilienses Prædicantes in Historia de ipso: de Andrea Osiandro Erasmus Alber. libro contra Carolstadium: de Joanne Knopæo Archibaldus, libro de Confessione Calvin. de Marco Cuuikano, Lutherus in Sympos. cap. 37. de Campano Lindanus, libro de fugiendis Idolis: de Bucero Lutherus in Colloquio Witteb. anno 1537. Idem hoc de seipsis duo, omnium præcipui, coryphæi memoriæ prodiderunt. Nam Zwinglius clarè scripsit, teste Erasmo Alber. libro contra Carolstadium,

se

ſe ſuum, de Euchariſtia, placitum *à Spiritu quodam accepiſſe, de quo dicere nequeat, albusne fuerit, an niger.* Lutherus verò pluribus foliis perſequitur (lib. de angular. Miſſa) quemadmodum Diabolus *ad ſe venerit: ſe honorificè ſalutarit: ſibi argumenta plura, quibus ad Miſſam aliaque veteris diſciplinæ dogmata deſerenda commotus ſit, grandi & terribili voce propoſuerit.* Et duo ſummi Imperatores, Maximilianus I. & Carolus V. diabolicæ conſuetudinis non obſcurè Lutherum notarunt. illi quidem, dum eum procul à ſe abduci juberet, quod in ejus humeris inſidentem Diabolum videret: hic verò, dum eum non hominem, ſed Diabolum, qui hominis perſonam induerit, in publico & ſolemni Edicto appellavit. Wormatiæ anno 1521. Bredemb. lib. 7. Collat. cap. 41. nec tantum ille, ſed & *Martinus Delrio,* qui ita: Invaſerunt prius Bohemiam Huſſitæ poſtea Lutherani &c. Subjicit cauſas mihi inquirenti, cur hæreſin comitetur aſſiduè magica commodum occurrit, quas meus quondam Doctor *Joannes Maldonatus* Societatis Jeſu Presbyter, vir doctus juxta & ſanctus diſertiſſimè prodidit, cum de Dæmonibus publicè Lutetiæ Pariſiorum profiteretur, ille cauſas commemorabat quinque &c.

CXVII.

Ita patiuntur calumniam, qui à Luthero nomen habent, ut ipſe quondam. At fruſtra: nam *primò*, quis neſcit Epheſum, Philippos &c. fuiſſe Urbes, in quibus Paulus Eccleſiam plantarit, Chriſto collegerit Animas, Verbum diſſeminarit, quod copioſum fructum attulit & tamen infames erant Magiæ, ut conſtat ex *Actor. 19. v. 19. Actor. 16. v. 16.* adde *Eph. 2. v. 1. 2. 3.* Commentariumque Grotii, imò ipſum Serpentem intravit Diabolus, in paradiſum irrepſit, atque parentes noſtros decepit & ab integritate concreata dejecit *Geneſ. 3. v. 1. 2. & ſeq.* In proverbium abiit Deum nullam conſtituere Eccleſiam, ubi non ſimia illius Diabolus ſcil. Capellam quandam coordinet & adjungat. *Secundò* oppoſitum potius inferendum, quod ſcil. ubi Hæreſis ſerpat Magia plærumque locum non habeat, quia Diabolus ſufficienter per Hæreſin decipit, nec opus habet, ut alteram quoque manum Magiæ moveat, & hæretici quantum ad hoc, ſunt nimis perſpicaces, ut deteſtentur illud commercium cum Dæmone, norunt, quam abomi-

minandum illud ſcelus & abhorrent, plærumque Magiæ operam dant mulieres, non viri, laici non eruditi, vetulæ quæ facilè decipiuntur, non Theologi, qui artes Sathanæ eludunt, conſidera Photinianos peſtilentiſſimum genus hominum in Doctrina, & ne quidem unum facilè produces, qui Magiæ operam dederit, aut adhuc inter illos cum Magis conſueſcat. *Tertiò* in Pontificios hæc fata cudenda, tum quia ante Exortum Lutheri & Evangelii prædicationem, omnia ſpectris fuerunt plena, Clauſtra & Cœnobia librorum magicorum & Monachorum præſtigiatorum abundabant, quod docere poſſunt Clauſtra in noſtro Ducatu, inprimis Hirſchaugienſe, Blabyrenſe & Mulifontonum; tum quia in Academiis Pontificiorum publicè prælecta fuit Magia, adoleſcentes curioſi in illa informati, Spiritus familiares venum expoſiti, adeò quidem, ut Voſſius ſatis mirari non poſſit tantam fuiſſe ſuperioribus ſeculis cæcitatem & inſcitiam, ut Salmanticæ & illa Magia, quam dicunt θεουργίαν & alteram quam γοητείαν nominant ſcholis publicis doceretur, quemadmodum in tertio de natura Dæmonum tradit Joannes Laurentius Anacias Theologus Tabernas & ejus fide Georgius Raguſcius Theologus, Medicus & Philoſophus Patavinus lib. 2. de Divinatione Epiſt. 6. tum quia faſciculus temporum hæc habet: *Tempus effæminatum incipit circa annum Domini 1000, in quo fides chriſtiana valdè cæpit deficere & declinare, &c. auguriis & maleficiis intendebant, & erat Sacerdos ſicut populus.* Memorati ſunt ex ſacro ordine à Mart. Delrio in diſquiſ. ſequentes: *Johannes Teutonicus Canonitus Halberſtadienſis; Monachus ille* qui in gratiam Ducis Aureliani incantabat Regem Carolum, de quo Meyerus in Annalibus Flandriæ. *Palumbus Presbyter Necromanticus* potens Romæ, cujus meminit D. Antoninus in Hiſtor. *Dominicani illi Bernæ exuſti* 1509. de quorum artibus diabolicis Hiſtorici plures à Delrio ſedulò annotari. *Ægidius Canonicus Luſitanus.* Ut *Nonnas Satanæ ſuccubas, Clericos Satanæ incubos, ariolos* & ſimiles Bileamos nunc prætercam. Hiſtoria Sagæ iſtius Cordubenſis Magdalenæ de la Cruz & alterius Mariæ de Viſitatione Abbatiſſæ recentior eſt, quam ut aliquem latere poſſit; extat hujus hiſtoria Hiſpanicè à Cypriano de Valera edita, & poſtea in idioma Belgicum traducta. Prior ab ipſis inquiſitoribus fidei, Ma-

giæ damnata fuit. Recens etiam eſt captivatio, & liberatio per Pontificem Paulum V. 1607. Abbatis Brandolini, qui accuſabatur artibus magicis horrenda multa facinora ſua ad actum perduxiſſe. De quo M. Paulus Venetus in Conſideration. Cenſurarum Pauli V. &c. Taxat homines iſtius ordinis Navarrus: *Quare ſuperſtitionis eſt credere, quod poſſunt excommunicari locuſta, bruchus, aut aliud genus vermium & animalium irrationalium, quanquam religiosè uti poſſumus contra ea, aqua benedicta, precibus, & adjurationibus ſanctis fundatis in divina bonitate & miſericordia, & ſuis ſanctiſſimis verbis & inſtitutione Eccleſiæ Catholicæ. Quibus ſolis utinam uterentur, qui audacter promittunt ſe ejecturos ea ab illa, aut illa regione, ſi illud aut illud ſibi detur, quandoquidem nihil quod ſuperat vires naturales, & effectum Sacramentorum, & inſtitutiones Eccleſiæ, & revelationem particularem, poteſt promitti tam certo atque ipſi promittunt, nec pretium peti ſine ſpecie cujusdam ſimoniæ.* Anno 1608. In Gallia prope Lutetiam Presbyter quidam cœtui Magorum erat à ſacris, & *ſacra ſacerrima ibi faciebat*, ut loquitur Hiſtoricus, *lemures larvasque Orci exciebat*, cum illis multa infanda locutus. Addi poteſt nupera hiſtoria Presbyteri Maſſilienſis Gaufredi, peculiari volumine deſcripta à Monacho Michaelis, & Lutetiæ Pariſiorum excuſa; in qua non ſolùm horrenda narrantur de miſeri illius faſcinis, & Magiæ abuſu ad fœdam libidinem, & mulierum ac puellarum ſeductionem; ſed etiam de vi & ratione variorum exorciſmorum, & Dæmonum cum exorciſtis colluſione, in gratiam Romanæ ſuperſtitionis, poſtquam, miſer ille tandem à Senatu Aquenſi, præſide Ampliſſ. viro Guil. Du Vair vivicomburio addictus à temporalibus flammis, ad æternas tranſiit. Ante tempora reformationis, quæ nugæ & ſuperſtitiones Magicæ, quæ vanæ obſervantiæ non exercitæ à quibusvis etiam Clericis, cæcis cæcorum ducibus, quas ibi adhuc maximè vigere videas, ubi reformatio illa non admiſſa? Circulo ſe munire adverſus Diabolum videtur vulgare tunc fuiſſe. Vide quid de Sacerdote & milite quodam referat Cæſarius, hiſtoricus tuus & confer judicium Martini Delrio; de ſtatua aut capite æneo loquente, Gerberti poſtea Sylveſtri Papæ, Alberti Magni Epiſcopi Reg. Baconis Minoritæ cum cæremoniis & obſervationibus huc facientis, non le-

ves ſunt præſumptiones & diſceptationes apud Pontificios; nonnullis ea apertè Magiæ condemnantibus; aliis ad humanum artificium id omne referentibus. In Francia & Italia ſolent venales reperiri dæmones vaſculis, ſpeculis, phialis, annulis alligati & incluſi, ut refert Creſpetus; & poſſe hoc fieri à Magis putat Catholicus Poeta Ronſardus. Alberti Magni Magica & delira philoſophemata de virtutibus lapidum, qui hactenus ſub ipſius nomine, nemine contradicente, lectus fuit, excuſari non poſſunt. Ex. gr. Lapidibus inſtillatam virtutem à ſyderibus, futura prænoſcendi, &c. & plures ejusmodi vanitates in libro de mirabilibus agnoſcit Delrio, ſed librum illum non eſſe Alberti affirmat, lib. 1. Petrus de Alliaco Cardinalis & Epiſcopus Cameracenſis vir alioquin ſua ætate eximius, minus Arithmantiæ indulſit, ſcripto vigintiloquio de concordantia Aſtronomiæ cum Theologia & Hiſtoria; item apologiis & aliis ſcriptis huc pertinentibus, quæ uno volumine edita. De quo hæc exſtat cenſura Jeſuitæ Pererii: *Eat nunc igitur Petrus de Alliaco & iſtam Aſtrologiam amplexetur, exoſculetur, præfracteque defendat, &c. qui nec veritus eſt ſcriptis prodere diluvium Noeticum & ortum Chriſti Domini, aliaque ſumma prodigia & miracula, etiam ſyderalis ſcientiæ peritia ex aſtrorum obſervatione prænoſci ac prædici potuiſſe. Sed quo manifeſtius appareat, quam ſit impia & execranda iſtorum doctrina,* &c. *Et Petrus Aliacenſis iſtiusmodi figmentis (Abumazaris ſcilicet atque aliorum Arabum & Judæorum) ſtultiſſimè credens, ac vaniſſimè gaudens, &c.* Petrus Hiſpanus *poſtea Pontifex Johannes* XXI. eidem Aſtrologiæ ſuperſtitioſæ confiſus & longam vitam in Pontificatu ſibi pollicitus, ſubitò Viterbii infelici morte periit menſe Pontificatus octavo, referente ex Stella & Valerio Delrio. Quid quod Spineus de Strigibus teſtetur cap. 13. in ſola Comenſi Diæceſi millenarium ſæpe Numerum Sagarum excedere, quæ ab Inquiſitoribus anni Decurſu examinantur & ſæpe ultra 100. ſingulis annis comburuntur, quod Remigius in Dæmonolatr. in Hiſpania, Flandria, Lotharingia, Leodienſi Epiſcopatu afferat ingentem eſſe Sagarum copiam, quod tantus Magorum & Sagarum numerus in Epiſcopatu Moguntino, Bambergenſi, Herbipolenſi, ut tota penè oppida & pagi fuerint exuſti nec Canonici, Jeſuitæ, Sacerdotes, Conſiliarii.

liarii, Jurisconsulti, Medici, Nobiles aliique ab hoc crimine fuerunt immunes, ut Historia annorum hujus Seculi 26. 27. testatur, videantur Schleidanus & Meteranus continuatus, & sanè si Hæresis & Magia ita essent connexa, vel maximè deberet abundare Saxonia Magis, Sagis & Veneficis, cum tamen nihil de illis locis constet, cum ex illa Regione Hæresis Lutherana, ut vocatur, initium cœperit, originem duxerit.

CXVIII.

In specie autem respondemus *primò* Marcionem dictum esse primogenitum Satanæ non ex commercio cum Diabolo magico, sed ex hæreσεων abundantis pravitate, cujus Author Diabolus, quos Paulus notet *1. Timoth. 4.* planum est, nempe Pontificios Doctores, qui Conjugium prohibent Clericis, Delectum ciborum instituunt, comparat Judæ Ischariotæ, Satanæ domicilio Ambrosius hæreticos, qui fuit non corporaliter sed spiritualiter obsessus, & mendacia cudunt illi ex Diabolo, quatenus à verâ viâ salutis abducunt. *Secundò* Simon Magus non tam fuit hæreticus dogmatizando Christo contraria, quam Magus insignis præstigiis ludendo, ubi constat ex *Actor. 8.* Basilides, Marcion, Menander, Theodotus, Carpocras, Beda, Montanus, Massilianus, Eutyches, Berengarius partim non fuerunt hæretici, sed monstra hominum qui disseminabant tales Errores, à quibus etiam recta ratio abhorret, partim non dicuntur Magi expressè à Patribus, sed insulsi, qui dogmata sua hauserunt non à Spiritu S. ex Scriptura, sed à Diabolo & Spiritu atro ex Inferno, partim non sunt fide digni, qui talia produnt, ut constat de Polydoro Virgilio, qui in multis hallucinatus. *Tertiò*, quod Andream Osiandrum ex Erasmo Albero obsessis annumerat, putida est calumnia. Nihil de hoc habet Cardanus Italus, qui Thema ipsi erexit, quodque extat in illius operibus, nihil de hoc Tobias Adami, qui in vitis Theologorum ipsius cursum vitæ descripsit, nihil de hoc Wigandus Episcopus Pomaziensis in Scripto contra ipsum edito, nihil infensissimi hostes de hoc contra ipsum. Consimiliter olim calumniatus est in Nomen Osiandrinum Sturmius ille Argentoratensis, de quo in Antisturmio altero Lucas filius illius. Verba quia non sunt obvia,

addam: Habuit Parens meus patrem Andream Osiandrum, fabrum ferrarium, qui in Guntzenhausen, oppido Franciæ Orientalis, totos triginta annos Senator, sæpe etiam Consul fuit: tenuis quidem fortunæ, sed bonæ famæ, & non vulgaris inter suos authoritatis. Huic præter parentem meum fuêre filii alii duo, Georgius Osiander, quem pater artem fabrilem docuit: hunc ego Joannem Osiandrum, fabrum ferrarium, sæpe Norimbergæ vidi: cum ille parentem meum animi gratia quotannis ferè visitaret: is etiam in ædibus parentis mei, sexagenario major, piè in Domino obdormivit. Parentis mei Avus fuit agricola in pago, non procul à Guntzenhusio oppido: huic nomen fuit Conrado Osiandro: neque hic Conradus, neque ipsius filius Andreas, faber, literas ullas didicit. Unde autem illis hoc cognomentum sit, novit Dominus: ego certè ignoro. Quære autem, Sturmi, ex civibus Guntzenhusianis grandævis: si aliter dixerint, ego mendax fuero: si idem referent, quod ego, tum tu calumniator fueris. Quàm verum autem est illud tuum de parentis cognomine: tam etiam verum est illud, quod de torque aureo ab ipso gestari solito scribis: utrunque confictum est à tui similibus vanis hominibus. Annulum, quo literas obsignare solebat, in digito gessit: aureum torquem nec habuit, nec gessit: tu autem Sturmi, nugas congeris: itaque non Orator es, sed nugigerulus: cui esto rectè dicere possum: O os, ô frons: si modò aut tibi, aut tuis sociis est frons ulla. In Luthero verò quæ prodit cum Cornelio à Lapide & Fevardentio non urgent, tum quia narratio hæc est hostium, quibus fidem jura derogant, tum quia ipsi narrant, Baronem nihil vidisse nisi Monachum Cucullâ indutum, tum quia etiam Cacodæmon stat ad dextram Sacerdoti summo ut ei adversetur, *Zachar. 3. v. 1.* & Christum ipsum statuit super pinnas Templi *Matth. 4. v. 5.* quid si hac ratione voluisset suspectum reddere, Lutheri ministerium? & quod Carolus ipsum Diabolum vocarit ex mala Informatione de ipsius Doctrina profectum esse ἐξαγώνιον est.

CXIX.

Prolixius Theologi nostri B. Virum vendicant contra illos, qui ita blaterant, imò calumniantur: Quùm igitur *Vita* & *Fama* pari passu ambulent, & universis Christianis gemino thesauro peropus

pus sit, Bonâ scil. Conscientiâ, si Deum respiciamus, & Bonâ Famâ, si ad homines attendamus, ideò libet hîc paululum immorari, & B. nostri Lutheri VITAM, DOCTRINAM, MORTEM & SEPULTURAM à calumniis adversariorum vindicare. *Ad calumnias enim tacendum non est, non ut contradicendo nos ipsos ulciscamur, sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus*, ut loquitur Basilius Epist. 36. VITAM B. Lutheri suggillant Campianus, Pistorius, Ungersdorffius & alii, contendentes ipsum fuisse *meribibulum*, *incestuosum.* Becanus l. *de Eccles. q. 3. Concl. 10. num. 105.* scribit: ipsum fuisse *infamem, & concessisse libidines. Concl. 11. num. 126.* Fornerus & alii tribuunt Luthero, *quòd rusticorum seditionem exciverit, quòd fuerit homo contentiosus, pertinax, vehementis ingenii, impatiens, & qui nisi per omnia sibi consentientes ferre non potuerit.* Salmero *in cap. II. Epist. Petri* in ipsum detonat, *quòd sacratam Deo monacham in matrimonium sibi copulaverit, quòdque permiserit viris, ut cum languent uxores, in servas vel ancillas irruant.* Eccius ipsum appellat *caput Draconis, vanissimum hominem.* Et quod dictu horrendum, electum illud Christianæ Ecclesiæ organon *Diaboli mancipium, à Diabolo ductum & agitatum fuisse*, Diabolicâ calumniâ impudentibus buccis clamitant. Vid. Pistorii Anat. Lutheri. Conrad Vetters zwölff unterschiedene Tractat von D. Luthern. Ungersdorffii Glückwünschung Part. 2. cap. 23. p. 294. Sed hisce vitæ Lutheri calumniatoribus opponimus unicum Erasmi testimonium, *præclari illius viri, & Argi oculatissimi in cernendis simul & Aristarchi diligentissimi in taxandis Ecclesiæ Romanæ erroribus atque abusibus benè multis, quem nisi pusillanimitas & ἀνθρωπαρέσκεια in diversum rapuisset, sive, quod quidam non invenustè ait, Placentiam prætervectus rectà Veronam cursum direxisset, nullum ferè salutarius post θεόγλωσσον ϗ θεάνδρον Lutherum Ecclesia habitura fuisset omnis eruditionis Theologicæ ταμεῖον* quô elogiô Erasmum ornat B. Glassius *in Præfat. Grammaticæ Sacræ.* Sic autem Erasmus disserit de vita Lutheri in Epistola ad Thomam Cardinalem Eboracensem l. 11. edit. ult. Epist. 1. *Hominis* (Lutheri) VITA *magno omnium consensu probatur; Jam id non leve præjudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur.* Similiter in literis ad *Electorem Saxonem* datis, perhibet, *sibi Lu-*

theri doctrinam & vitam non displicere: Se autem improbare intemperiem quorundam Theologorum, qui Lutherum, nullius adhuc erroris convictum, pro hæretico & Anti-Christo exclamant. En testimonium ab hoste. Conf. Meisner. Anti-Leſſ. pag. 443. ſeqq. ejusdemque Excub. Papiſt. Depulſ. theſ. CXXI. p. 277. Nec obſtat, quòd nobis ſubindè objiciant, *vitam B. Lutheri in monaſterio actam.* His enim cum Apoſtolo reſpondemus: ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει, quales aliquando fuerit, nihil mea refert. Gal. II, 6. Ita qualis olim fuerit Lutherus, nihil noſtra refert: Novimus & Paulum ante converſionem fuiſſe hoſtem Chriſti, & perſecutorem Eccleſiæ acerrimum Act. XXII, 4. 5. DOCTRINAM B. Lutheri dente Theonino arrodunt Serarius & cumprimis Becanus, qui *lib. 3. de Eccleſ. q. 3. Concl. II. num. 129.* ita ſcribit: *Lutherus à Diabolo accepit DOCTRINAM ſuam de abroganda Miſſa.* Conf. ipſius Diſput. de Vocat. Miniſtr. Viennæ 616. inſtitutam th. 66. Quibus non immeritò annumeramus M. Rudolphum Goclenium Calviniſtam Marpurgenſem, qui in *theſibus ſuis Apolegeticis* ſcribit: *B. Lutherum horridiores phraſes ſæpè multumque inculcâſſe.* Vid. Schediaſmata D. Finckii *Schediaſm. 1. p. 2. & 3.* Sed haſce Adverſariorum calumnias ſurdâ aure prætermittimus. Novimus enim B. Balduinum eas penitus contudiſſe in quodam ſcripto, quod contra Jeſuitam Serarium *de Lutheri Magiſtro* edidit, quo lectorem brevitatis ſtudio remitto. Novimus etiam ipſum B. Lutherum ſcriptis ſuis utiliſſimis hæc mendacia ſatis profligâſſe, in quibus Pontificii ne apicem quidem ejus doctrinæ monſtrare poterunt, quam infernalis ille ſpiritus vel tolerare ſaltem, nedum pro ſua agnoſcere poſſit. Nec obſtat a.) quòd *Megalander noſter non ſemel in ſcriptis ſuis Diaboli mentionem faciat, de tentationibus ejus infenſiſſimis graviter conqueratur, colloquia item, diſcurſus, diſputationes, & converſationes, quas cum Diabolo ipſo de rebus etiam fidei habuerit, ipſe deſcribat.* Novimus enim apparitiones, tentationes, collocutiones Diaboli neminem Diaboli mancipium, à Diabolo ductum, agitatum, in doctrina inſtructum & informatum arguere. Novimus ipſum Salvatorem à Diabolo tentatum, cum ipſo collocutum & in deſerto converſatum fuiſſe Matth. IV. à verſ. 1. uſque ad ℣ſ. 11. Quis verò inde colligeret, Chriſtum fuiſſe Diaboli

boli mancipium. Nec b.) doctrinæ B. Lutheri quicquam decedit, quòd *T. 6. f. 87. Jenens. Germ. in l. de Missa angulari & unctione Sacerdotum Anno 53*. dicat: *Diabolum in corde suo disputationem de Missa incepisse*. Nam Lutherus nequaquam hac fine disputationem illam cum Diabolo habitam consignavit, ac si eum in abrogatione Missæ privatæ præceptorem agnosceret, siquidem jam ante ex verbo Dei cognoverat, quòd Missa privata cum institutione Christi pugnaret. Sed ut suô exemplô comprobatum daret, quàm lubricô nitantur Papales illæ rationes fundamentô, & quàm omninò non possit illis mens christiana in tentationibus Diaboli acquiescere, quas in stabilienda Missa privata afferre solent. Vide integrum Lutheri locum & distingue *inter tentationes & informationes Satanæ*. Lutherus nunquam Satanam sed Christum doctrinæ suæ autorem agnovit. Hinc in lib. *contra falsò appellatum spiritualem Clericorum statum fol. 107.* ita scribit: **Ob ich mich einen Evangelisten von Gottes Gnaden nennete/ trauete ich mich dasselbe eher zu beweisen/ denn euer einer seinen Bischöfflichen Titul oder Nahmen beweisen könte. Bin dessen gewiß/ daß mich Christus selbsten also nennet/ und dafür hält/ der meiner Lehre Meister ist/ und auch seyn wird an jüngsten Tage/ denn sie nicht mein/ sondern sein lauter Evangelium ist.** Interim se à Satana tentatum in multis profecisse dixit. Nam per tentationem profectus noster & fit. Non enim sibi quisquam innotescit, nisi tentatus, nec potest quisquam coronari, nisi vicerit, nec vincere, nisi certârit, nec potest certare, nisi inimicos & tentatores habuerit, inquit Augustinus. vid. Saxon. Evangel. B. Henrici Höpfneri Sect. I. P. II. c. 1. p. 59. MORTEM B. Lutheri suggillant tùm Calviniani, tùm Pontificii. Calviniani calumniantur, *ipsum præ mœrore mortuum, quum Apologiæ Tigurinorum ab Henrico Bullingero scriptæ respondere non potuerit*. Vid. Vitam Bullingeri p. 21. Sed Princeps Hassiæ Philippus vidit tàm impudens esse hoc Zwinglianorum effatum, ut anno Christi 1564. suis mandârit, ut à talibus calumniis abstinerent. vid. Melch. Adam. pag. 486. PONTIFICII (viri illi linguæ) omnes asserunt, mortem Lutheri fuisse malam & infelicem, sed de mortis genere non unam eandemque fovent sententiam. Quidam contendunt, Lutherum

sibi

sibi ipsi violentas manus intulisse, ita Luthero *αὐτοχειρίαν* tribuit Thomas Bozius *de Signis Ecclesiæ T. 2. lib. 23. c. 8.* Quem locum etiam adducit Cornelius à Lapide, qui *ad cap. II. post. Epist. Petri* scribit: *Lutherum, cum vespere lautè cœnasset, noctu desperatione & furiis Dæmonum actum sibi injectô laqueô necem intulisse, asseruit ejus famulus postea ad orthodoxam fidem conversus.* Quidam calumniantur, Lutherum *morte repentinâ obiisse.* Ita Bellarminus *l. 4. de Eccles. c. 17. §. Lutherus*, ex Cochlæo de vita Lutheri hæc adducit: *Lutherus morte repentinâ sublatus est. Nam cum vespere opiparam cœnam sumsisset, lætus & sanus, & facetiis suis omnes ad risum provocâsset, eâdem nocte mortuus est.* Quidam eò impudentiæ progrediuntur, ut *eum à Cacodæmone sublatum fuisse* calumnientur. Ita Guilielmus Bessæus Jesuita Gallus *in Concept. Theol. Sabbath. post cineres, p. 102.* de morte Lutheri disserit: *Lutherus benè potus, & cibis distentus absque ullo pietatis signo cubitum secedens apud inferos pernoctavit.* Unde & Costerus in venenato suo carmine de morte Lutheri ita canit:

Infelix ex alvo animam diffudit ARIUS,
Hunc sequeris nimiô vane Luthere mero.

His omnibus pollicem premit Fabianus Justinianus, qui in *Comment. in cap. VI.* Tobiæ ita scribit: *Ipsummet Lutherum subitaneâ & improvisâ morte à suo Cacodæmone sublatum, peremtumque plurimi censent, quòd vocati ad eum Medici morbum vel ignorare se faterentur, vel apoplexiam fingerent.* Franciscus Innocentius Priorschius magnæ authoritatis Monachus dixit: Er wolte stracks Lutherisch werden/ wenn man beweisen könte/ daß Luther natürlichen Todes gestorben/ und ehrlich wäre begraben worden/ der Teuffel habe ihn leibhafftig von der Elbe weggeführet. Sed si neque amico laudanti, neque inimico detrahenti credendum, quis Bozio, Cochlæo, Cornelio à Lapide, Bellarmino, Bessæo, Fab. Justiniano, Priorschio & aliis juratis Lutheri hostibus crederet. Extat historia de morte Lutheri à viris fide dignis, qui ipsi agonizanti adstiterunt, descripta videlicet à Justo Jona, Michaële Cælio, Johan. Aurifabro Vinariensi, qui coram Deo & in conspectu Christi testantur, quòd sanctâ fide & bonâ conscientiâ historiam obitûs Lutheri referant, quæ habetur *Tom. 8. Jenens. Germ.* quam videat

videat lector veritatis amans eique addat B. M. Johan. Mattheſii concionem *XIV. de vita Lutheri.* Sleidan. *l. 16. Comment.* imò ipſum Jacob. Auguſt. Thuanum Hiſtoricum Pontificium *l. 2. Hiſt. p. 30.* Quæ omnia Pontificiorum mendacia de morte Lutheri effuſa, facili negotio diſſipare, & in jugulum calumniantium redigere poſſunt. Denique SEPULTURAM Theandri allatrant *κατὰ τὸ ἦθος ϗ ἔθος* Pontificii, pejores hâc in parte Ethnicis, de quibus Camerarius *Hor. ſubciſiv. P. 2. p. 44.* ſcribit, quòd inter alias leges etiam hanc diligenter obſervârint: *Defunctum non maledictis adficies, ſed beatum prædices.* Unde & Ovidius ita canit:

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit,
Tunc ſuus ex merito quemque tuetur honos.

Verùm mortuo Luthero nondum quieſcunt Pontificii, ſed denuò fluctus irarum ſuarum evomunt, & cœno calumniæ poſt mortem ipſius corpus adſpergunt. Fabulantur enim, *corpus* electi Dei organi, *ob intolerabilem fœtorem in itinere fuiſſe relictum.* Ita quoque Tannerus Ingolſtadienſis Jeſuita mortuo Hunnio his verbis inſultabat: Hunnius non attritus viribus, nec ſenectâ confectus; ſed corpore vigens & pollens, maximè eô ipſô tempore defloruit, quando ſecundùm corpus floruit. Sequuntur igitur Pontificii præceptum Machiavelli: *Mendaciis rem age, ſi vera non ſuppetant.* Sed *mendacia non diu fallunt, tandem luci cedunt tenebræ,* inquit Cyprianus l. 1. Epiſt. 3. Novimus enim non ſolùm B. Hunnium honeſtam ætatem eſſe aſſecutum, ſed etiam Lutherum, poſtquam Spiritum ſuum in manus Dei ſemel iterumque commendâſſet, in patria Islebia die 18. Februar. qui erat Concordiæ ſacer Anno 1546. placidè ex hac vita ſine metu ac motu diſceſſiſſe, annos natus LXIII, ipſiusque corpus honorificè Wittebergæ fuiſſe ſepultum, & quidem *bonorificentius, quàm multorum Principum corpora,* uti Melanchthon, Mattheſius & alii teſtantur. Nos piiſſimis Lutheri manibus hiſce acclamamus verbis: עליו השלום. Maneat nomen ejus in benedictione, doctrinæ genus ab ipſo traditum, quod hodiè anguſtis conſtringitur terminis latius ſeſe extendat & vigeat in Eccleſia & cordibus hominum, uſque ad adventum gloriæ (glorioſum) magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti Tit. II, 13.

CXX.

Depulsis his calumniis transimus ad alteram excutiendam, quæ scil. imponit Reformationi *primò* sequelam Magiæ & Magorum, atqui si secuta est, secuta quoque est Reformationem Eliæ, secuta est Reformationem Christi, secuta est Angelum volantem per cœlum cum Evangelio æterno Apoc. 14. v. 6. quod oppidò absurdum. *Secundò*, quod in Suecia Finonia & Lapponia grassentur homines magiæ dediti, illud non est ex Reformatione, quæ quamplurimos domuit & eo ipso, quo reformat, vetustatem abolet, sed ex veteris fermento, dum scilicet sub regno tenebrarum dominabantur nigræ artes & tenebræ plusquam cimeriæ, quas etiam in extremis oris expugnare aggressus est Rex gloriosissimæ memoriæ Gustavus Adolphus. *Tertiò*, si Danæus strigum Conventum ordinarium fatetur Genevæ prope summam ædem, multò magis tribuit in hoc opere vicinis testatus, quod una Sabaudica natio confertos Magorum greges habeat, ut nulla judicum severitate possint extirpari. Causas autem, quas addit ex Maldonato nullæ sunt. Non *prima*, quia non solent obsideri hæretici, ut idola habent inhabitantem Dæmonem, nec eo modo habitat in illis, si habitat secundum Hieronymum. Non *secunda*, quia non omnis hæresis initio violenta est prorsus & vehemens, Scriptura aliter loquitur de hæreticis Rom. 16. v. 18. 2, Corinth. 11. v. 13, 14. Non *tertia*, tùm quia pestilentia non semper sequitur famem, nec hæresin varia curiosarum artium genera, cum quandoque hæretici destentur Diaboli præstigias. Non *quarta*, quia solent quidem Dæmones uti hæreticis ad fallendos homines, sed Dogmatum perversorum sparsione, non verò præstigiarum operatione, aut cum illis tacita vel expressa confœderatione. Non *quinta*, nam ad negligentiam Diabolus solet seminare zizania, secundum illud Matth. 13. Errorum, non præstigiarum & annon hâc ratione accusantur Episcopi in Papatu negligentiæ cujusdam, cujus rationem aliquando Deo Judici universæ carnis reddituri. Quod tandem comparat Calvinismum, Lutheranismum & Anabaptismum tribus immundis spiritibus de Draconis ore, & de ore Bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ exeuntes malè comparat, tum quia Lutheranismus nihil commune habet cum Cal-

Calvinismo & Anabaptismo, tum quia hi tres Spiritus immundi fuerunt Draconis, Bestiæ & Pseudoprophetæ, tum quia maximè quadant in Pontificios.

CXXI.

Observarunt hoc nostri Interpretes, & proinde sequentia adjecerunt: Habemus explicationem miraculorum, quæ jactant Jesuitæ & iis similes creaturæ Pontificis. Possunt enim signa edere, sed non Spiritu Dei verum efficaciâ dœmoniacâ, sicut nuper aliquis in bello Bohemico se prodidit, prophetandi & signa edendi virtutem præ se ferens, cujus quoque imago passim circumlata est. Ribera tres Dæmones, quos spiritus familiares vocant, intelligit, sicut Magi solent mittere spiritus quò volunt. Sed ejusmodi spiritus non seorsim, absque hominum operâ, cum Regibus terræ agunt aut colloquuntur, vel signa edunt. Sin autem hominibus singulari pacto aut ceremoniâ uniantur, faciunt per illos quæcunque possunt, & multa alia ad eorum voluntatem expediunt, nec dubito illorum θαυματέργων non paucos, cum ejusmodi spiritibus familiaritatem colere. Quare tantò vigilantius attendendum, ne quis ab Antichristi apparitoribus & emissariis, per fallaciam signorum inescetur, cum haud frustra de iis Spiritus Sanctus præmonere voluerit. Quemadmodum enim boni Pastores & Doctores Spiritu Christi afflantur ex ore ejus, Joh. 20. v. 22. Sic Pseudo-Prophetæ spiritus mali instinctu loquentes, adspirantur ab ipso, inque ejus virtute prophetant & miracula faciunt, 1. Reg. 22. v. 22. 2. Cor. 11. ℣. 14. 15. in Angelos lucis & ministros justitiæ se transformantes. Etenim ut nostrate proverbio dicitur, quo Diabolo vetitum ipsi ire, mittit suos nuncios & legatos. Nec obstat, quod nomen Christi prætexunt. Nam Zedekias ille falsus propheta Spiritu se Jehovæ loqui profitebatur, & passim invenimus, tales tàm olim fuisse sub Veteri & Novo Testamento, quam nunc sub finem mundi futuros, sicut capite 13, 11. expresse legimus, Pseudoprophetas Pontificios Agni cornua prælaturos. Quamobrem vitandæ fraudi spiritus Dæmoniorum hîc appellantur, qui se ex Christo loqui mentientur.

CXXII.

Audiamus ex Calvinianis *Voetium* ita disserentem de hac materia:

ria: Q. An aliquo colore Pontificii nostræ Ecclesiæ in reconventionem quasi, & lege talionis, magiam exprobrare possint? ℞. *Neg.* Signum est causæ desperatæ, & conscientiæ cauterizatæ sive excogitatis commentis, apertisque mendaciis, sive nequiter fabricatis calumniis, retaliare velle, & in adversarium retorquere; ut illo quasi sepiæ atramento effuso, minus videant imprudentes lectores, te eo manifestè teneri, quod justè tibi impositum. Clamat hoc peccatum in cœlum, cum nomine justæ ac nudæ defensionis, aut moderaminis inculpatæ tutelæ insignitur, & mendacia ex propriâ affirmatione defenduntur, ac satis superque coram toto mundo probata jactantur; cùm tantum dicta sint, & quibuscunque provocationibus Scriptores urgeantur, nihil aliud nisi suas aut suorum mendaces affirmationes repetunt, & priores posterioribus, tanquam stylobatas substruunt. Hæc methodus Pontificiorum in retorquendis in nostras Ecclesias criminibus, schismatis, hæresios, profanitatis, idololatriæ, magiæ, rebellionis, tyrannidis &c. Ratio in promtu est, quia nos priores talibus telis Papatum & Papam oppugnavimus, & multis in locis depressimus: Ergo. Dolus an virtus quis in hoste requirat. Quasi tantundem faciant mendacium & veritas; & quasi Judæi, Gentiles, Muhammedistæ, Epicurei per moderamen inculpatæ tutelæ fidem Christianam apostasiæ atque impietatis, aut fures ac latrones prætorem ipsos justè accusantem vicissim furti ac latrocinii in foro soli ac poli accusare possent. Sed dato, quem falsò accusatum in aliquo, an justa & legitima Christiani defensio fiet per hamaxas mendaciorum adversario, aut alteri alicui, quem tibi deligere ac illi substituere placuerit, ingestas? Ut alia crimina in nos retorta nunc mittam, solummodò hic tribus verbis perstringo de magiâ. Jesuita Lorinus in Commentar. ad 2. Petr. 2. v. 15. ait nostros, si non palam idem factitant quod Bileamus, *certè favere* magiæ, *media tollentes quibus coërceatur dæmones, & usum ac familiaritatem cum iis tanquam suis magistris gloriosè profitentes.* Ibidem subjicit dæmoniacas fabulas de Lutheri magistro & Zwinglii somnio; quas in *Desper. causâ Papatus lib. 2. sect. 2. c. 10. 23.* refutavimus. Addit de Carolostadio *communem esse opinionem.* Sed ubi & penes quos est communis opinio? An penes Lojolitas, aut alios Antichristi satellites? Quid

si nos

si nos dicamus, communem opinionem esse non tantum penes nos, sed & penes multos Papistas, elogia illa quæ cecinit Academia Parisiensis cum supremâ curiâ, Jesuitis verè competere, an argumentum hoc à communi opinione admittent? Et communis opinio est apud Ecclesias omnes orientales, & occidentales, quæ Papam non agnoscunt, eum esse apostatam, aut Antichristum. Nos de Carolstadio quid diximus in 2. *part. dispp. tit. de Prophetiâ*. Per *genium* Calvini non ingenium, sed dæmonem quem paredrum intelligi posse aut debere, idiota linguæ latinæ imperitus si diceret, magis tolerandum esset. Quis usus sit vocis *genii*, & quod vulgò notare solet animum, mentem, ingenium alicujus, aut illud quo maximè viget, polletque, ex *Lindebrogio ad Censorinum de die natali p. 13. Barthio in Rutilium p. 123. 124. Vossio lib. 1. de Idololatria cap. 18.* & *Naudeo cap. 12.* discendum est. Similem vocis hujus usum Pontificiis stylo latino loquentibus non infrequentem esse ajo. Ut Lipsianum illud, prætercam; unus *Delrio* non vulgaris antea philologus, postea factus theologus, in dedicator. disquisit. magicarum ad Electorem & Archiepisc. Coloniensem anno 1599. *Certe, quod ab ingenio meo nequibunt id saltem à sapientis & docti principis felici genio consequentur.* An hinc colligent socii, Archiepiscopo illi fuisse Dæmonem familiarem? *Cornelius à Lapide in Actor. 8. v. 8.* recoquit rancidam fabulam de Lutheri familiari dæmone, & modio salis ex *libro de missâ angulari* saxonicè scripto, & addit *ibidem*, à modernis hæreticis magiam *laudari ac defendi*. Qui illi sint, & quibus scriptis hoc egerint non indicat: ne mendax ἐπιχυτοφόρῳ deprehenderetur. Idem in 2. *Pet. 2. v. 4.* eandem fabulam de Luthero sed paululum auctam cum reliquis ex Lorino descriptis reponit. Sed pergit Lorinus: *Ex quo hæreses nostro ævo emerserunt, & ubi grassantur; constat plus magorum exstitisse, quam plurimis retrò sæculis. Lege Delrii proloquium in disquisitiones suas magicas.* Legimus, & invenimus eum in præmissâ epistolâ apologeticâ ad Inquisitionem generalem Romanam nihil aliud dicere; quàm *hæresin sortiariorum & strigimagorum totâ ferme Europâ deplorandis incrementis quotidie gliscere:* Quin & ibid. lineis mox sequentibus exsertè distinguere hostes suos hæreticos sortiarios & strigimagos, ab hostibus suis hæreticis Lutheranis & Calvinia-

vinianis. *Job. Robertus* Jesuita *tract.* edidit tit. *metamorphosis magneticæ Calvino-Goclenianæ.* Cur nomen Calvini cum Goclenio copulatur? Millenæ ejusmodi copulationes reponi possent, nominis Papistici aut Jesuitici, cum nomine Ravellaci, Cottoni, Jacobi Clementis, Balthasaris Gerardi, Garneti, Winteri, Barcii, Gauterii, Pasmanni, &c. Sed hæc transeant. De incremento magiæ post inchoatam reformationem, quamvis historicè verum non est, uti ex *malleo maleficarum* aliisque scriptis ostendi posset: nam passim in Papatu, publicè tunc dominante & omnia occupante, tantum crimen apud ipsos clericos habitum non fuit; & ad praxin, ejus quippe tam familiarem, & tenebris ac crassæ istorum temporum idololatriæ tam consanguineam, magis connivebatur. Quod de illis partibus, ubi reformatio obtinet, effutit Lorinus, nimis crassum est mendacium, cujus arguere eum potest inter alias diœcesis Trevirensis, ut & acta Judicum in Regnis, politiis & territoriis Romanæ sedi adhærentibus. De Galliâ suâ, & quidem specialiter de illâ parte, unde nostra religio maximè exulat, hoc est, de tractu Tholosano ingenuè fatetur Tholosanus lib. 34. syntag. cap. 21. §. 9. *Succedunt & detectis imposturis hæresium, illisque senescentibus statim magicæ artes &c.* Et §. 10. *Erubescerem certè hoc dicere, ni me exempla firmarent, quæ in oculis omnium in Galliâ sunt. Nam & Tholosæ hoc anno 1577. tot maleficæ & sortilegæ in senatu undique reæ peractæ sunt, ut omnium reorum, qui à duobus annis ante fuerunt, quorumcunque criminum numerum superarent, & maleficiorum cumulum vincerent, ferè plus quàm quadringentæ &c.* Quin & Jesuita à Lapide ex Rescio de sectis, refert hoc sæculo esse sectam *diabolistarum, qui gloriantur se esse sortiarios, & diaboli charactere insignitos; quem ubi vino incaluere, nudatâ carne ostendere non verentur. Auditum est ex ipsorum confessione, quod numerus eorum usque ad sexaginta millia in Galliis excreverit.* Si vera se scribere putarint, hos diabolistas Ecclesiæ Romanæ filios esse ignorare nequeunt, unâ cum omnibus *deistis*, spiritibus fortibus, & Epicureismum illic profitentibus contra quos varii Pontificii scriptores & inter eos celebris *Marinus Mersennus* stylum strinxere; uti indicavi in *diss. de Atheismo.* Nostræ Ecclesiæ in Gallia filios & subditos non esse, ex eo constat; quod Pontificius clerus, curiæ episcopales & supre-

mæ

mæ curiæ ſæculares ipſorum nominibus, famæ, bonis, corporibus tam diu non peperciſſent. Jam verò cum nulla alia religio & communio in Galliâ toleretur præter Romanam & noſtram; & diaboliſtæ, deiſtæ, ſpiritus fortes, de quorum incremento in Galliâ conqueruntur, in noſtrâ communione non ſint, in Papali eos fuiſſe & eſſe neceſſe eſt. Ita ut nimis verum ſit, quod ex *Pareo in Apocal. 9.* ſuprà citavimus. Et certè omni ſuperſtitione & idololatriâ (quæ dæmonum cultus *1. Corinth. 10. v. 20.* profligatâ, non magis porta aperiri poteſt magiæ, quam per ſuperſtitioſiſſimum & idololatricum Papatum claudi. Sub regibus Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. reformatis iſtius regni ſimile quid ab adverſariis impoſitum, quod nocturnos ſeu antelucanos cœtus ad exemplum antiquæ eccleſiæ (apud *Juſtinum Martyrem apolog. 2. ad Antoninum*) agere cogerentur: & hinc Turoni cœperunt appellari *Huguonots*, à ſpectro ſeu dæmone illic nocte graſſante, quem vocabant regem *Hugon* ſeu *Huguet:* quaſi reformati eſſent diſcipuli & ſectatores hujus ſpiritus tenebrarum, quippe qui nocte ad ſacra ſua convenirent. Hanc etymologiam habet præter *Thuanum Hiſtoricum* celebris J. C. *Stephanus Paſchaſius in epiſtolis lib. 4.* Olim piis Albigenſibus & Waldenſibus idem objectum ſub Alexandro III. & Innocentio III. unde factum ut in ſermone gallico voce *Vaudoix* Waldenſis nominaretur magus. Sed illorum innoxia vita ex teſtimoniis adverſariorum aſſerta à nobis in *Deſper. cauſâ Papatus:* ubi alios autores indicamus. Antiquis Chriſtianis idem crimen impactum, uti conſtat ex *Origine contra Celſum lib. 6. p. 305. 306.* & *lib. 8. p. 425.* edit. lat. gr. *Hæſchelii* in 4. Quid dico de Chriſtianis, ipſi Domino Jeſu in terris verſanti hoc objectum. *Matth. 10. v. 24. 25.* Nec deſinunt poſt glorioſam aſcenſionem Judæi, & Gentiles eandem blaſphemiam in ipſum evomere. Vide *Originem c. Celſum lib. 1. p. 7.* & *pag. 31.* refert à Celſo introduci Judæum, qui fingebat Jeſum in Ægypto didiciſſe mirificas & magicas iſtius gentis artes, inde reverſum iiſque artibus fretum pro Deo ſe voluiſſe haberi. Et rurſum *pag. 54.* refert ipſum Celſum omnia miracula à Chriſto edita concedere, ſed communia ei facere cum præſtigiatoribus non minora miracula pollicentibus, eumque Ægyptiacis circulatoribus, paucis obolis mirificas illas artes

artes venditantibus &c. *Augustinus lib. 1. de consensu Evangelist. c. 8.9.* refert & refutat mendacium de libro quodam Christi ad Petrum & Paulum scripto de magiâ, per quam miracula sua patrasset. *Arnobius lib. 1. c. Gentes* testatur opinionem hanc apud Gentiles invaluisse, quòd Christus fuisset magus. Si ergò Dominum Jesum Beelzebub, si Apostolos & primos Christianos appellârunt magos; æquo animo ferendum est, ut ab illis qui magiæ tenentur, illius criminis participatio in nos retorqueatur. Hoc enim non magis verisimiliter ab illis fit, ac retorsio idololatriæ, quam primus, Jesuita *Richeomus* in proscenium adduxit tit. *D'idololatrie Huguenote;* cui anno 1609. tanquam apologiam contra ministri reformati Valverdiensis oppositum scriptum tit. *idololatrie Papistique*, submisit alterum *tract.* tit. *Pantheon Huguenot discouvert & ruiné*, Regi Galliarum dedicatum. Sed fortè quis excipiat, à magiæ participatione non posse nostros in totum purgari, quòd capitalibus suppliciis eam non æquè coërceant, ac Pontificii. *Resp.* 1. Si cessatio aut tolerantia aliqua jam aliquot annis in fœderato Belgio obtinuerit, non Ecclesiæ nostræ, aut antecessoribus ejus, sed prætoribus & judicibus imputanda esset. Nam apud nos non tenetur illud crimen pertinere aut communiter, aut tantùm ad forum ecclesiasticum, uti in Papatu. Quod ad Ecclesias nostras illæ tum praxi tum doctrinâ vel minimam speciem magiæ, idololatriæ, superstitionis *procul abigunt:* imprimis *publicâ suâ liturgiâ cap. de administratione cœnæ* hoc abundè profitentur. *Resp.* 2. Magistratus nostri magis nunc cessant à suppliciis; non quòd magicas artes probent, aut permittendas putent. Sed ob istas causas 1. *quia* læmæ fallacium probarum, aliæque magicam aut similem quam superstitionem Deique tentationem sapientes ab oculis eorum abstersæ sunt: & hinc est, quod supplicia in frequentiora sint. Quod idem in Galliâ, Belgio & Germaniâ Papali, atque alibi jam ab annis aliquot evenisse, negari non potest. 2. *quia* per lucem reformationis ita discussæ sunt apud nos tenebræ superstitionum, spectrorum, magicorum maleficiorum, ut rara aut rarissima criminum istorum exempla judicibus offerantur. Quod si tamen offerri contingeret, ostenderent illi leges contra magos, & divinaculos hic abrogatas non esse. 3. *quia*, cautè & timidè ad supplicia hic procedunt,

cedunt, ob difficultatem quam inveniunt in cognoſcendo hoc crimine. Nôrunt enim præſtare, ut per errorem aliquot ſontes evadant quam ut unus inſons plectatur; & nihil dubitante conſcientiâ faciendum eſſe, præcipuè in re tanti momenti. Difficultas illa jam ante 50. & amplius annos ſedes fixit in animis judicum noſtrum, ita, cum fœmina quædam Gorcomienſis magiæ accuſata ſupplicio capitali exemta fuit, cauſam coram curiâ provinciali Hollandiæ ſtrenuè agentibus Advocatis quibusdam, inter quos primipilus Pontificiæ religioni addictus, ut ex fide digno audiiſſe memini. Ex illo tempore in illâ, & hâc noſtrâ, vicinisque provinciis vix de ſuppliciis ſagarum, aut de ſagis auditum fuit. Cùm tamen non diu antè Gorcomii vetula quædam paupercula nomine *Anna Muggen*, & hîc Ultrajecti una atque altera vivicomburio ſublatæ fuiſſent.

CXXIII.

Quanquam autem Diabolus decipiat Magos, Sagas veneficas & iſtiusmodi homines, ad tempus etiam foveat, plærumque pactum cum iis ineat, ad certum periodum annorum (quanquam ſæpius fallat in eadem, vel numeros mutando, vel in ſubſcriptione aliquid deſiderando, vel æquivocationibus ludendo, vel aliis modis) tamen tandem qui acceſſit ſub ſpecie colubri blandientis ſeſe exhibet illis Leonem ferocientem, qui quod promiſſum eſt, exigit, qui quod factum eſt exequitur, & vel Sagis in captivitate detentis ſeſe auxilio ſuo ſubducit, & pœnis atque ſupplicio extremo relinquit miſeras, vel ipſe violentiam infert & exanimat. de Simone Mago refertur, quod ad preces Petri ex aëre dejectus oſſa confregerit & poſtea expiraverit, ſed Fabulam ſapere videtur, tùm quia volatus ille, quem Simon Magus tentaſſe dicitur ſuſpectus, tum quia Petrum Romæ fuiſſe doceri nequit, contrarium demonſtrante Ottio ſeculari Tractatu & Spanhemio, tum quia certamen illud planè confictum, de quo vide B. Danhauwerum in Chriſteide Certiora Exempla produci ſolent, de Gilberto Mago, qui obriguit & in Inſulam lacus Veterum Catinâ ligatus eſt.

CXXIV.

Formalis Cauſa conſiſtit in Operatione: ſi enim cauſalitas cauſæ Efficientis eſt Operatio, ſive Actio, & hic erit in hâc Materia, in

hoc Objecto. Secundò si esse, distinguique est ab operatione tali & tali, utique ipsa erit forma Operatio, cum in accidentibus forma generalis esse soleat. Tertiò, si habet Materiam circa quam occipatur Operatio Dæmonis sive Magi, si Objectum quod variat mutat, hoc vel illo Modo tractat, utique erit illa Operatio forma in hoc puncto. Nam quemadmodum scire est actio scientis, quæ versatur circa Objectum scibile, quemadmodum agere est Operatio Practici, circa hoc vel illud practicabile occupatum, ita & hic sese res habebit, ut Operatio Magi sit id, in quo formaliter consistit Causalitas Magiæ.

CXXV.

Finis Operationum Magicarum, si ratione Dæmonis consideretur, non datur, cum aliâs finis & Bonum dicantur ad Convertentiam, interim intermedius finis dici potest Primò, Ostentatio potentiæ & virium suarum, ut sc. demonstret sese efficacem esse in filiis incredulitatis, Eph. 2. viribus pollere admirandis, tum in scientia, quâ superat hominem, tum in Praxi, qua longe est illi superior. Secundò, ludificatio hominum: nam, quia sæpè per præstigias agit, per ludibria decipit & dementat, ideòque etiam illud intendere solet, & nunc explorat, nunc terret, nunc aliâs vane & prodigiose ludificat. Tertiò ad Idololatriam, sive sui cultum Inductio, dum sc. se DEUM seculi ostendit, 2. Cor. 4. Simiam Omnipotentis, Operum illius Imitatorem, qui quæ DEUS facit æmulanter exprimere studet, peccatis delectatur, illa promovet, & se coli amari, & honorari vult à suis, inde etiam baptizare solet suos, fœderare sibi, stigmate signare, sanguinem illorum sitire: Unde Eusebius præparationis Evangelicæ lib. 4. cap. 2. apertissimè testatur, Dæmones artes maleficas & multa obscœna excogitasse, eo fine, ut iis illecti homines horum Spirituum principem & Archi-Dæmonem tanquam supremum DEUM putarent. Quod ut clarius explicem, in summo illo totius divini cultus capite, quod sacrificio nititur, id ipsum disquiramus. Beatus Augustinus libro 10. Civitate DEI cap. 7. hoc discriminis adsignat inter bonos Angelos & malos, quod Eudæmones illi, & probi Angeli. *Quoniam, nos mortales & miseros, ut immortales beatiq; simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cujus & ipsi nobiscum*

cum

eum sacrificium se esse noverunt. Præclara ejusdem Beati Augustini interrogatio cap. 16. ejusdem libri. *Utrum eis credendum qui se religionis ritibus coli volunt, sibi sacra & sacrificia flagitantes à mortalibus exhiberi, an eis qui hunc omnem cultum uni* DEO *creatori omnium deberi dicunt, eiq; reddendum verum pietate præcipiunt, cujus & ipsi contemplatione beati sunt, & nos futuros esse promittunt.* Paulò pòst. *Respondeant, ait, an sacrificandum sit Diis vel Angelis, qui sibi sacrificari jubent, an illi uni, cui jubent hi, qui & sibi, & istis prohibent.* At verò cap. 19. ejusdem libri postquam docuit non alteri visibile sacrificium offerendum esse quam illi, cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos & ipsi esse debemus. Post aliquantum adjungit: *Sed nec ob aliud fallaces illi dæmones superbè sibi hoc sacrificandi munus exigunt, nisi quia vero* DEO *deberi sciunt. Non enim revera, ut ait Porphirius & nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Qui ergo divinitatem sibi arrogant Spiritus non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subjectoq; dominentur, intercludentes iter ad* DEUM *verum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam præter illum.* Adde quæ de Jamblicho differunt. Dæmones utroque sacrificii genere niminùm delectari, tum ex profanis primum, tum sacris scriptoribus, constat. In prima illa testium acie, Magiæ sive Professores, sive sectatores collocare æquum est, quandoquidem magistrorum voluntas illis probè cognita erat. Quanquam insigniores Magos, qui ante Christum vixerunt, appositè commemorare possem, tamen cum illorum facile principes jam attigerim suprà, & in immensum alioquin excurreret dissertatio, ab iis abstinebo, licet tamen unius Pythagoræ testimonium plurimum faciat ad institutam de Magico sacrificio disputationem. Ipsum autem Pythagoram Magum fuisse disertè ostendit Jamblicus in illius vita, præsertim capitibus 13. 19. 28. & id firmat Tertullianus lib. de Anima. Ammian. lib. 21. & hoc jam ab aliis tractatum. Præstat verò illos enumerare, qui post Christi adventum vixerunt. Ab Jamblico Prophyrii discipulo ducendum exordium, quem magum fuisse, non tantùm Photius Bibliothecæ c. 94. in Jamblico, verum etiam Eunapius Ethnicus notat tùm in Jamblico, cùm in Ædesio. In illius vita narrat ipsum Jamblicum inter

ter fundendum preces, magicas credo, à suis visum ab humo plusquam cubitos decem sublimem raptum, & sublatum corpus, & vestimentum in aureolum colorē mutatum, mox finitis precibus in pristinam speciem corpus rediisse, ac tum demum in terram descendisse. Subdit aliud, cùm Jamblicus à Sacrificio magico, quod in suburbiorum uno privatum cum discipulis suis peregerat, in urbem rediret, instar Sibyllæ. Virgil. 6. Æneid.

Non vultus non color unus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corde tument, majorq; videri
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore D*ei.* - - -

Ita Dæmone Jamblicum agitante, animo alienato, & voce velut intercisa, atque oculis aliquando in terram defixis atque immotis, aliam viam à priore, qua in urbem reverterentur, ineundam esse suos admonuit, quia illa altera prior, illoto cadavere, polluta esset, quod verum esse nonnulli è suis qui istam capessere contra præceptoris monitum voluerunt, deprehenderunt, etsi nihil eorum apparuisset anteà. Petrus Martyr Mediolanensis libro de Insulis nuper inventis Doctores, anniculos pueros puellasque, quibusdam ritibus & ceremoniis sacris baptizari in templis à Sacerdotibus, Aqua ex Urceolo Capiti eorum in Crucis formam superdejecta narrat, & verba quidem non percipi ille scribit, sed duntaxat actus & murmura animadverti, & Ireneus lib. 5. adversus hæreses capit. vigesimo quarto, Diabolus scribit: Apostata existens Angelus hoc tantum potest, quod egit in principio, seducere & abstrahere mentem hominis ad transgredienda præcepta Dei & paulatim obcœcare Corda eorum, qui conarentur servire ei, & ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare. Secundò, si consideretur ratione Magi rarius itidem assignari potest, aut enim intendit talis Demonstrationem ἀυπεξεσίν, quod sc. possit agere pro arbitrio quod vult, peccata & præcepta Domini transgredi, aut intendit Manifestationem Animi vindictæ cupidi, quæ Bonum est vita jucundius ipsa, nocendi, vel homini, vel tritis, vel segetis & cæteris. Unde Bernhardus in Sermone ad pastores in Synodo: Multis modis Diabolus

lus persecutus est Ecclesiam, sed nunquam gravius, quam hodie, quia nunquam fuit major perditio Christianorum, nec liberior aut securior transgressio divinorum præceptorum. Ecclesiam incipientem persecutus est per Tyrannos, proficientem persecutus est per hæreticos, jam lætam & florentem persequitur per Motus illicitos, aut petulantiæ suæ Ampliationem, ut sc. patescat, quomodo possit & velit, libidini suæ satisfacere, quomodo quovis modo & arte quavis velit vanitate litare. Tertiò, ratione maleficiati finis est, vel ut peccata, quæ commisit ipse puniantur, sic quia sæpè in Juventute solent, sese contemnare Juvenes, in proprium corpus peccare, cum scortis consuescere & unum fieri corpus, 1. Corinth. 6. ideòque solent Magi, deindè in Conjugio viventes ligare, hebetare, vi coeundi quasi privare, vel ut vis Sathanæ agnoscatur, & Infirmitas nostra deploretur, quod sc. ille tantum possit in hominem sibi relictum, vel sub permissione divina constitutum & quod homo nequeat resistere tam superbo Spiritui, de quo Jobus cap. 41. ℣s. 25. vel tandem ut preces eò attentius, fervidius & devotius edantur, & pietas magis incendatur, ut ex Nabuchodonosoris Exemplo patet, Dan. 4. ℣s. 31.

CXXVI.

Ex dictis dispaelescit, Magicas actiones definiri, Actiones transeuntes per Magum vel Lamiam, quarum fundamentum est pactum cum Dæmone, eum dementans, seducens atque vel tandem æternum perdens. Genus dicimus Actionem, hoc enim Causam formalem esse supra demonstravimus, quæ Generis locum occupat, & quidem non immanentem, quæ à quo incipit, in eodem terminatur, sed transeuntem à Diabolo in Magos, in Veneficas, in Sagas. Differentiam secundò petimus à fundamento actionum omnium magicarum, quod est pactum, vel expressum, vel tacitum, nam cum solus Sathanas hic non operetur, sed concurrat unà Homo, ideòque dicitur per Hominem, per Lamiam illas operationes perfici, & quidem sub pacto, quod Diabolus habet cum istiusmodi personis, cum sc. expressum quoddam ineunt, & certis ritibus, & cæremoniis illud confirmant, vel tacitum, ubi virtualiter tantum homo fæderatur Dæmoni, & quidem ita, ut vel in Mago & Saga terminetur, quorsum referimus illusiones, vel in a-

liis, quibus nocere ſtudet, aut actu nocet, non enim eſt pactum illud naturale, aut artificiale, ſed Diabolicum. Tertiò ab operationibus & fine intento, dicimus Diabolum dementare variis illudendo præſtigiis, vel ſeducere partim illuſionibus, partim realibus artibus, rebus & conſimilibus & tandem perdere, ſi non temporaliter, cum tamen plerumque tragici ſint Exitus Magorum, tamen æternaliter, quatenus non tantum facit filium gehennæ talem in hac vita, ſed & DEUS illum adjudicat in die judicii æternis flammis, de quibus Matth. 25. ℣ſ. 41. Apocal. 21. ℣ſ. 16. & Apocal. 12. ℣ſ. 15.

CXXVII.

Indicia verò ex quibus dignoſci poſſunt actiones magicæ, & à cæteris diſcerni ſunt, vel ex conditione cauſæ, vel operationis, vel Effectus, de quibus Leſſius p. 539. Quod ad primum attinet, Ipſa conditio & qualitas cauſæ indicat magiam; Primò, ſi expreſſè invocetur diabolus. Secundò, ſi preces adhibeantur, quibus falſa permixta ſunt; ut Chriſtum habuiſſe febres, & ſpaſmum. Tertiò, ſi verba exotica. Quartò, ſi characteres, imagines, ſigilla. Quintò, ſi ligaturæ, ſi ſpecula, unctiones, & ſimilia, præter Eccleſiæ morem: cùm enim effectus ad quem diriguntur, non poſſit expectari ex virtute talium cauſarum, ut quæ nullam in ſe habeant: nec etiam à Deo, cùm nec ab ipſo, nec ab Eccleſia, quæ Spiritu Dei regitur, ſint inſtituta, imò ab ipſa Eccleſia reprobentur; ſequitur eum expectari à malignis ſpiritibus, qui hujusmodi rebus tamquam ſignis alliciuntur ad præſtandum id, ad quod ipſi ea inſtituerunt. Itaque omnia iſta ſunt magicæ illecebræ & tacitæ dæmonum invocationes. Nec obſtat quòd interdum nihil niſi verba ſacra, aut verſiculus aliquis ſacræ Scripturæ adhibeatur; quia talis verſiculus non dirigitur ad Deum, nec eo ſenſu profertur, quo ſacer eſt: ſed animo profano, ut aliquis effectus vanus, vel alius, ad quem ex Deo vel Eccleſiæ inſtitutione non valet, proveniat. Sic illo verſiculo, *conſummatum eſt*, quidam utuntur ad luxationes equorum curandas: & illo, *in camo & fræno*, &c. ad ſopiendos canes. Itaque implicitè diriguntur ad dæmonem, qui etiam in rebus ſacris ſua ſigna inſtituit, ut & homines faciliùs decipiat, & Deo majorem contumeliam faciat. Secundò, ex conditione

ditione operationis, ut cùm repentè curatur equus vel homo, absque divino miraculo, cùm brevissimo tempore multa milliaria conficiuntur, cùm operatio ad rem valdè distantem se extendit; ut si hîc pungatur imago cerea Petri, & ille alibi doloribus conficiatur. Tertiò, ex conditione effectus, si hic industriam humanam superet: sunt autem hujusmodi complura, quæ à magis operâ dæmonum, vel reipsa vel in speciem fiunt, possúntque reduci ad tria genera. Vel etiam fiunt circa elementa; vel circa alia corpora, præsertim hominum aut animalium, vel circa animas & spiritus. Quæcumque autem exibent reipsa, possunt etiam exhiberi in speciem per præstigium.

CXXVIII.

Superest ut aliquid de pœnis Magorum & modo illas infligendi moneamus. Processum prolixè descripserunt, qui in Papatu observatur ad quos remittimus, & primò, quidem quosdam fingunt quidam maleficos, alios verò beneficos. Malefici sunt, de quibus Vallesius p. 1551. 1552. 1553. Hos Magos, has Sagas, omnes sive sunt maleficæ, sive non, capitaliter puniendas & sine discrimine interficiendas esse Pontificii scriptores asserunt. Fridericus Martini Canonum apud Friburgenses Professor in Appendice Tractatus de Jure Censuum Lutheranis, tanquam novum Errorem etiam hunc imponit, quod sc. statuunt Sagas propter solam divini Nominis Abnegationem capitaliter puniri non debeant. Martinus Delrio Jesuita Hispanus, lib. 5. disquisitionum magicarum Sect. 16. hæc habet: sit Conclusio: Lamiæ occidendæ, etiamsi hominem nullum veneno necassent; etiamsi segetibus & animantibus non nocuissent, etiamsi necromanticæ non faveant, eo ipso tantum, quod Dæmoni fœderatæ, quod conventui interesse solitæ & quæ ibi exercentur præstare, probatque id ex Jure divino, ex Jure humano & lege ecclesiasticâ, consensu Italorum Blanci Carerii, Grillandi, Gandini, Clari, Fellerii, Bossii, & aliorum ex Hispania Bernhardi Diazii Placæ Avilis, Avendani, Covarruviæ, Gregorii Lopez, ex Gallis Fabri Milleri, Michaelii, Jacquerii, Berlerii, Remigii, ex Germania inferiori Damhauderi, ex superiore Althusii, Godelmanni, Fichardi, Molleri & ipsorum Patronorum Maleficorum: Denique ex Ratione, quæ docet criminis gravitati com-

commensurandam esse pœnæ gravitatem. Gravitatem autem Criminis petendum esse à personæ offensæ Dignitate, & ab ipso offensionis modo. Videatur Bodinus lib. 4. cap. 5. prolixè, Remigius lib. 3. cap. 12. Binsfeld in Codic. de Malef. leg. 5. q. 1. Suarez. pag. 372.

CXXIX.

Ex Calvinianis rigent plures, inter quos quoq; Guilielmus Perkinsus, qui in Bascanologia sectione quarta, censet maleficas æquè, acerbè vindicari, & puniri debere ac superioribus temporibus, idq; it ex Lege Mosaica quam non forensem esse sequentibus argumentis, confirmatam, primò, Leges illæ Judiciales quarum mulcta & pœna Mors est, propterea, quod in se habent æquitatem perpetuam, & ad morale aliquod præceptum tuendum destinantur, sunt perpetuæ. Sanè Judæi aliquot hujus generis leges habuerunt, quarum pœnæ & sanctiones fuerunt temporales, & ad aliquod tantum fit (Deo ipso sic decernente) mors, & pœnæ illius irrogatio ad trium primorum præceptorum moralium, in prima Tabula contentorum, æquitatem defendendam destinetur, quæ certè observari ritè nequit, nisi hæc lex debitæ executioni mandetur: necessariò sequatur necesse est, eam esse, eo nomine, moralem, & nos obligare, & sic deinceps omnes omnium ætatum homines obligaturam, æquè ac Judæos ipsos, quibus eo tempore personaliter destinata fuit. 2. Unaquæque Lex Judicialis, quæ legis naturæ, quæ tanquam recepta veritas in omnibus terris & regnis, apud omnes quavis ætate viventes populos retinetur, nimirum proditorem, qui publicæ hominum saluti resistit & adversatur, & contra legitimum suum principem arma sumit, esse morte mulctandum: proditor autem & perduellio omnium crudelissimum & pernitiosissimum est, is qui veneficium & magiam præstigiatricem exercet. Nam hujusmodi persona Deo ipsi, qui est Rex Regum, renuntiat populo Dei & Ecclesiæ societatem deserit, se Diabolo per pactionem obligat. Ideòque si quisquam reus & facinorosus inter homines, propter offensas suas & transgressiones mortis, pœna dignus est, tum certè omnium maximè persona veneficis artibus dedita. 3. Ratio, rem de qua agitur, probans, hujusmodi est, ex lege Mosaica, omnis idololatria erat lapidibus ad mortem usque obru-

obruendus. *Si inveniatur in medio tui ullus ullave, qui abiens coluerit DEOS alienos, se incurvans Soli, Lunæ, aut ulli exercitui cœlorum, quum inquisiveris benè, si ecce, vera certaq; res illa erit, omnino produces virum aut mulierem illam, ad portas tuas, ut obruas illos lapidibus ac moriantur.* Atqui ita comparatæ sunt ferè omnes Maleficæ: illæ enim verum Deum repudiant & aversantur, ac Diabolo servire malunt. Idcircò crassæ idolorum cultrices sunt: non itaque mirum, si pœna earum, peccatis ipsarum respondeat. At objicitur ab adversariis, contrariam sententiam tuentibus, Petrum abnegasse Christum, nec tamen morti fuisse traditum. Resp. magnum esse discrimen inter Petrum abnegantem Christum, & maleficas Deum abnegantes. Petrus abnegavit ex infirmitate, & ex subito & inopinato impetu: præstigiatrix verò Deum deliberato consilio, & sciens volensque abnegat Deum. Secundò non tradidit aut commisit se diabolo, Christo jam abnegato, sed rursus ad Christum conversus, seriò de peccato suo resipuit: quod quantopere de lapsu suo doluerit, satis abundè testatur: at maleficæ & præstigiatrices sic abnegant Deum, ut sua sponte, nulla vi coactæ sese diabolo tradant & mancipent, ut ex earum confessione in judiciis ipsarum fit manifestum. 4. Rat. Omnes seductores & impostores in Ecclesia, qui homines à vero Deo ad idololatriam abducere consueverunt, gravissimè fuerunt mulctati, ita ut nulli ætati aut sexui parceretur, licèt hominis filius aut filia, aut uxor charissima aut amicus denique dilectissimus fuerit, & nullus ibi relictus fuit clementiæ locus, redemptionis sive immunitatis spes nulla: prima contra eum esse debuit manus testis, postea verò manus totius populi, ut morte afficerent illum. Quocirca cum ita sint, nullæ igitur maleficæ, siquidem fuerint convictæ, magistratus gladium effugere debent: Sunt enim nocentissimum omnium impostores. Nam semel consociatione diabolica implicatæ, non conquiescunt, donec omni opera & studio adhibito dilectiss. suos amicos, liberos & posteros ad nefaria & execranda sua maleficia assuefaciant: Ut eò facilius illos in eandem societatem pelliciant, qua ipsi se Satanæ obstrinxerunt. Equidem pro fundamento afferre possem, etiam illud, quod nimirum ideò dignæ sint morte, quia maxima earum pars ea de polluta est: At de eâ particula

& instantia jam dicere, eamque urgere supersedeo: Propterea quod satis esse intelligam in genere scire non committendum, ut præstigiatrices vivant, licet neque hominibus nec aliis animantibus noceant: idque vi legis Mosaicæ, tantummodo propter pactionem, quo facti sunt Deo rebelles & immorigeri, idololatræ & impostores, prout jam ostensum est. Tametsi autem hæc ita sint, quæ jam adduximus multa tamen ab earum amicis & fautoribus in patrocinium & defensionem illarum afferuntur, quæ etiam videnda & refellenda sunt. Primò dicitur, malum inflictum non à malefica, sed à dæmone prosicisci: ille solus est culpandus, utpote cujus opus est, quod ea perpetrat: Non igitur propter peccatum diaboli supplicio afficienda est malefica. Esto: maleficam non esse authorem mali commissi, sociam tamen & consortem dæmonis eam in facinore esse, & hac de causa in Lege justè damnari constat: Id quod ex familiari & perspicua similitudine agnoscas, quæso. Conspirant inter se latrones multi & communi consensu alii eorum propalam collocantur ad prædam inquirendam & percontandam, alii in significationem & vigilias intenti sunt: Alii denique circum vias & transitus disponuntur, ut ex improviso in hominem irruant, eumque bonis suis exuant. In hoc casu quid Lex definit? Personæ quæ significationem & indicium sociis suis dederunt, quamvis hominem ne attigerint quidem, nihilominus cum ex consensu sint conscii & participes latrocinii, illi certè fures & mortis damnationi & supplicio æquè obnoxii sunt, ac qui latrocinio exercendo principes extiterunt. Eadem quoque est cujusvis veneficæ & maleficæ conditio. In prodigiorum & portentorum operatione, adde in omnibus maleficiis, præstigiator vel præstigiatrix ex pactionis consensu, cum diabolo communicat: Præstigiatrix, seu lamia, utitur symbolo seu occulto indicio in aliquo tantum incantamento, vel secus: Diabolus ex signo per incantamentum, opportunitatem arripit aliquod maleficium perpetrandi. Ille est actor principalis, sed malefica suam operam ei addicit, atque ita pœnæ omnium meritissimè subjicitur. Ratio est, quod nunquam tot damna & detrimenta hominibus & animantibus inferret & infligeret diabolus, nisi tot & tantis irritamentis eò adigeretur à maleficis hominibus. Nunquam in Samuelis effigie

figie apparuisset, nisi à Pythonissa Endor ad id sollicitatus fuisset. Non fictitios dracones & ranas in Ægypto conspici fecisset, nisi Jannes & Jambres, & alii incantatores in causa fuissent. Nec nostra ætete (quantum probabiliter conjicere possumus) tot & tanta damna & mala hominibus & aliis animantibus infligerentur à diabolo, nisi ab improbis & sceleratis hominibus qui familiaritatem & commercium cum illo habent, ad id accenderetur & instigaretur. Præterea objiciunt, Maleficas convictas, vel resipiscere vel non resipiscere. Quod si resipiscant, tum Deus illis peccatum suum condonat: & cur non eadem æquitate erga eas usus Magistratus, corpora illarum à morte conservaret, vitamque eis donaret, qua Deus, earum animabus salutem communicat? si vero non resipiscant, ibi vero magistratus summo expositus est periculo, si eas morti tradit: Nam hac ratione interimit corpus, & animam in gehennam præcipitat. Resp.1Omnes maleficæ legitimè & judicialiter convictæ, resipiscendi spatium sibi concessum habere debent, intra quod possint in salutis negotio institui doceri, & admoneri, tandemque extremo mortis supplicio affici. Nam fieri potest, ut (divina miseratione eas præveniente) salutem consequantur, licèt Deum abnegarint. Secundò, Magistratus tenetur justitiam adversus facinorosos & nocentes homines exercere & exequi, postquam legitimè fuerint convicti, sine resipiscentiæ respectu, ita ut eorum impœnitentia justitiæ executionem nullatenus impedire queat? Quum populus Israëliticus idololatriam in colendo aureo vitulo commisisset, certè Moses eorum resipiscentiam in tantum non expectavit, ut ab illis puniendis abstineret, quin & ipse & Levitæ ensibus statim sumptis eos occiderent, Jehova eorum factum approbante. Cum Zimri homo Israëlita cum Cozbi muliere Midianitide scortatus esset; Phineas divinæ gloriæ vindicandæ zelo excitatus, spiculo transfixit eos ambos, non expectata illorum resipiscentia, ideòque in Psalmis ob hoc factum multis laudibus effertur. Bella sunt præclara & eximia Dei ordinatio, & tamen nullus princeps unquam potuit ea legitimè suscipere, si singuli in acie milites, desisterent ab hostium suorum cæde, eorum resipiscentiam præstolati. Cum vero dicunt, quod ex impœnitentis maleficæ damnatione & nece, magistratus animam

illius perdat, ibi non ignorare debemus, finem quem sibi magistratus in mortis illatione proponit, non esse ut in æternum pereat maleficæ anima, sed ut peccatum puniat, & supplicii gravitate perterreat & coerceat alios, quo illi hujusmodi maleficiis & crminibus discant sibi cavere, & ut impii ac scelerati homines è medio populi Dei tollantur. At sunt, inquis, maleficæ quædam, quæ necis ulli vel homini vel alii cuipiam animali illatæ, convinci nequeunt: quid autem de illis fiet? Resp. Quemadmodum præstigiatrix, quæ cædem perpetravit, ex alia lege mori debet (licet præstigiatrix non sit) ita sanans & innoxia præstigiatrix, ex hac lege moriatur, necesse est, licet neminem occidat, solummodo ob pactionem cum diabolo contractam: semper enim ceu firmum principium memoria tenendum est id, quod per lamias & præstigiatores non eos solum intelligamus, qui occidunt & cruciant, sed Divinatores, Augures, Incantatores, Circulatores, Sagos & Sagas: Imo quicunque aliquid faciunt (si modo quid faciant ipsi) at quod per naturam & artem effici nequit: in eorum censu & numero ponimus etiam omnes *Juvantes Sagas*, quæ non lædunt, sed aliis opitulantur, quæ non spoliant & perdunt, sed servant & liberant. Hæ omnes species huic Mosis sententiæ & judicio sunt obnoxiæ, propterea quod Deum abnegant, & societatem cum Diabolo inierunt. Per leges Anglicanas fur & latro propter res alienas ablatas, suspenditur, idque Justum & utile esse nos arbitramur. Atqui millies adhuc felicior esset omnis gens & regio nostra, si etiam præstigiatores (& præsertim juvantes Sagas) extremo mortis supplicio afficeret. Namque fur ex furto suo, & veneficus per incantamenta sua damnum, malumque afferunt tantum corporibus & fortunis hominum: At ista sunt diaboli dextra, per quam cupit, invadit & destruit hominum animas. Homines (ut plurimum) odio habent & sibilis sputoque excipiunt veneficam & maleficam, ceu communi aëris flatu indignam: interea tam grata & accepta illis altera, ut etiam in deliciis eam habeant secum, & cum patria suâ benè beateque actum esse putent, siquidem ea familiariter uti queant, ad hanc in difficultatibus suis velut ad asylum quoddam confugiunt, ab ea ceu Deo suo pendent: atque ita infinitas hominum myriadas ad æternum exitium abripiunt.

piunt. Jure igitur mors in Sagam juvantem decernitur atque statuitur. Nec longè recedit Voëtius, qui part. 3. pag. 571. recenset Zepperum, Rivetum, Willetum, Perkinsum, Hemingium, Danæum, & concludit: Ego censeo primas etiam capitales de directæ Magiæ Magistris, aut Operariis sumptas optime defendi. p. 572.

CXXX.

E contra verò remissius agunt, qui in alteram partem cum Wiero inclinant, nixi sequentibus argumentis. Primo, quia plæraque quæ Lamiæ fatentur, tum nostras, tum Diabolicas Vires superarunt, ac proinde nec mereri fidem. Quis enim credat eas ad nocturnos cætus volasse, libidinem explevisse cum Dæmone, procellas & Tempestates excitasse, imò si Vis Dæmonis atque solertia hæc omnia efficere posset, non æquum tamen esse, striges alienæ culpæ reas citari. Diabolum esse, qui perpetrat, non igitur propter peccatum Diaboli supplicio afficiendam esse maleficam. Secundò, multas inveniri Sagas, quæ necis ulli homini, vel alii cuipiam animali illatæ convinci nequeant, præterea multas antehac ab Inquisitoribus, curiis Ecclesiasticis in Papatu, aliisque Judicibus innocentes esse condemnatas. Cum tamen nullus, vel nulla innocens sit condemnandus, vel condemnanda, satius itaque esse etiam nocentes dimittere, quam vel unum innocentem interficere. Denique Maleficas convictas, aut resipiscere, aut non, si resipiscant, DEUM peccatum condonare, adeòque Magistratum eadem æquitate erga illas debere uti, corpora illorum à Morte præservare, vitam donare, quia DEUS earum animabus Salutem communicat? Si verò non resipiscant Magistratum summo esse expositum periculo, si eas Morti tradat, supplicio adjudicet extremo: Nam hac ratione interimi Corpus & animam in Gehennam præcipitari. Tandem, quia Patres Concilii Ancyrani præstigiis deludi tales Mulierculas asseverent, cujus Canon apud Valesium p. 1562. 1563.

CXXXI.

Media via incedunt nostri Theologi & distinguunt inter Sagas, apud Meisnerum: Nam 1. *Quædam* sunt tantùm *melancholicæ*, quæ à Sathana sic fascinantur, ut se fœdus cum eo contraxisse, hæc vel illa se effecisse opinentur, & postea fateantur, quæ tamen omnia meræ sunt imaginationes & illusiones, nec ullam fœderis

vel actionis veritatem continent. 2. *Quædam* sunt *realiter fœderatæ*, non tamen maleficæ, quæ verè quidem pactum inierunt cum Diabolo, non tamen hominibus, neque jumentis nocuerunt. 3. *Quædam* sunt *& fœderatæ & maleficæ*; quæ non modò pactum cum satana scienter & prudenter percusserunt; sed insuper Diabolo reipsâ serviunt, ad gravissima damna hominibus, jumentis & segetibus inferenda. De *primi* ergò & *tertii* generis sagis, earumque pœna non adeò magnum potest esse dubium. *Melancholicæ* enim, quum φαντασίαις tantùm laborent, & omnia imaginaria sint apud illas, politicè puniri non debent: Morbus enim non scelus est, quo infectæ sunt. *Maleficas* autem è medio tollendas esse, cumprimis ob maleficium & illata damna, quis ambigeret? Clara enim sunt verba Exod. 22. ℣s. 19. *Maleficos non patieris vivere.* Quod autem attinet *sagas fœderatas, sed non maleficas*, plerique Nostratium in mitiorem propendent sententiam, nimirum tales, quum ex communi humana, & peculiari sexus infirmitate, à Satana sint deceptæ ob solam divini nominis abnegationem, & pactum cum Diabolo initum, non esse capitaliter puniendas sed potius sanctissimis monitis corrigendas, à nefario instituto abducendas, & ex toto orbe Christiano exterminandas. Nam 1. Abnegatio isthæc divini nominis & confœderatio diabolica magis est delictum spirituale & Theologicum, quam civile & Politicum, pertinens ad forum poli potius, quàm soli. Ut igitur alia peccata spiritualia, primam tabulam directè impugnantia, non puniri solent capitaliter: ut apostasia, hæresis, blasphemia, profanatio sabbathi, licèt in se graviora sint peccatis politicis, & secundæ tabulæ adversis: Ita de abnegatione ista similiter judicandum est. Neque ullibi legimus, in Apostolica & primitiva Ecclesia morte affectos esse illos, qui abnegarunt fidem, vel dæmonibus sese devoverunt, dicâruntvè. 2. Constitutio Imperatoris Caroli V. prohibet, quenquam hominum ad capitale supplicium trahi, quem non veneficii illati indubitatus eventus tanti criminis manifestum antè reddiderit. Verba ita habent: So jemand durch Zauberey schaden oder Nachtheil zugefügt / soll man ihn straffen vom Leben zum Tode / und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun. Wo aber jemand Zauberey gebraucht / und damit niemand Schaden gethan hätte /

ke / soll sonst gestrafft werden / nach Gelegenheit der Sache / darinnen die Urtheiler Raths gebrauchen sollen / wie vom Rath suchen hernach geschriben stehet. 3. Hanc ipsam sententiam quoque adprobant non pauci Theologi, ut *Johannes Brentius*, in Epistola quadam ad D. Heerbrandum: *Antonius Prætorius*, in seinem gründlichen Bericht von Zauberey / und zaubern: *Augustinus Lercheimer* im Christlichen Bedencken von Zauberey / quibus addimus judicium D. *Gödelmanni*, l. 3. de Magis & Veneficis, c. 11. §. 32. 33. ita scribentis: *Lamiæ aut fatentur possibilia, videlicet se homines & jumenta sortilegiis & magica arte interfecisse, & hoc si constat, absq; ulla dubitatione juxta prædictam 109. constitutionem Carolinam sunt comburendæ:* aut *fatentur impossibilia; scilicet se per angustum foramen in aërem volâsse, in bestias fuisse transmutatas, cum Diabolo Venerem exercuisse, & non sunt ob id puniendæ, sed Verbo Dei potius melius instituendæ.* Aut *deniq; fatentur, se contractum cum Satana iniisse, quo casu extraordinariâ pœnâ, ut fustigatione, relegatione, mulcta pecuniaria resipiscentes puniri possunt. Ejusmodi esto pœna temeritatis, quod dæmoniacæ suggestioni, & ludibriis non satis constanter restiterint, imò etiam consenserint. Quod autem sortilegii pœna arbitraria sit ostendit sæpè allegatis textus, c. 109.* Wo aber jemand Zauberey gebraucht / und damit niemand Schaden gethan hätt / soll sonst gestrafft werden. *Menochius* casu 388. n. 1. *Laurentius Kirchovius, suprà* allegato loco, nimirum consil. 12. Tom. 2. Consil. German. 3. n. 9. *Joan. Althusius* in Jurisprudent. Rom. cap. 52. lib. 1. *Johannes Fichardus*, cons. 112. num. 4. *Et ita in tali casu judicatum memini:* Ob wol dieser Fall unter den gelehrten sehr bedencklich und streitig / dieweil aber dennoch in solchen zweiffelhafftigen peinlichen Fällen die gelinde Straff zu erwehlen / so sprechen demnach die N. daß auß solchen und andern Ursachen die gefangene N. wegen obgedachter ihrer Verbrechung / und weil sie mit der Zauberey niemand Schaden zugefügt / vil weniger Menschen und Vieh damit getödet / mit Brennung eines Zeichen / zur Staupen geschlagen / und aller unsers gnädigsten Fürsten und Herrn Landen uff 12. Jahr verwisen seyn / soll von Rechts wegen. *Semper enim in dubiis benigniora sunt præferenda, & melius est multos nocentes absolvere, quàm unum innocentem condemnare.*

CXXXII.

CXXXII.

Hanc amplectimur, & proinde inter Excessum & Defectum medii navigamus, Scyllam & Charybdem evitantes. Et primò, respondemus ad sententiam Pontificiorum niti illam falsâ hypothesi, quod Magi plærunque & Sagæ semper hæreseos labe sunt pollutæ, hæreticos verò esse occidendos, esse in illos capitali supplicio animadvertendum, quod falsum præsuppositum pridem à nostris Theologis est confutatum, & quidem speciatim ab Andrea Osiandro, ex Scriptura, Patribus, praxi veteris Ecclesiæ, & rationibus. Secundò, locus ille ex Exodo adductus non convincit, quia agit de Maleficis & secundum quosdam est Lex forensis, nec Lex Ecclesiastica nos stringit, & qui adducuntur ex nostris, planè sunt in contraria sententia Althusius, Godelmannus, Fichardus, ut frustra ad consensum illorum provocetur. Denique si Criminis gravitati commensuranda semper esset gravitas, hæretici essent exscindendi, quod tamen supra excussum, & argumentis contrariis depulsum. Tertiò, de quibus Sagis loquamur, jam dictum est in Sententiæ Expositione.

CXXXIII.

Perkinsus quidem argutatur, ex lege Exodi, quæ sit moralis, sed infirmis argumentis. Nam primò Regula illa fallit, quod leges judiciales illæ, quarum Mulcta & pœna mors est, propterea, quod in se habeant æquitatem perpetuam, & ad morale præceptum tuendum destinantur, sint perpetuæ: nam Lex illa, quæ agit de occidendo immorigero filio habet Mulctam & pœnam Mortem Deuter. 21. ✠. 18. 19. 20. 21. nec tamen propterea est Juris perpetui. Præterea Magicæ maleficæ pœna, quanquam ad trium primorum præceptorum in prima Tabula contentorum æquitatem defendendam destinetur, non tamen propterea probari potest, esse Juris perpetui, nam etiam pœna capitalis hæreticis decreta ad trium præceptorum moralium in prima Tabula contentorum æquitatem defendendam destinatur, nec tamen juris moralis, vel perpetui esse conficitur. Denique supponitur, non probatur, habere in se æquitatem perpetuam, cum oppositum in sententiæ nostræ Expositione sit demonstratum. Secundò, altera Regula quoque non stringit, tum, quia capitale supplicium Sagis merè talibus esse irro-

irrogandum, non æquitatem legis naturæ complectitur in se, sed potius est contra æquitatem naturalem, tum quia proditor, qui Rei publicæ hominum resistit & adversatur, contra legitimum suum principem arma sumit, ideò est occidendus, quia dolose agit, machinatur ex destinato consilio & voluntate, contra scientiam & conscientiam, quòd hîc non ita sese habet, tum quia, si quis supplicio dignus est inter homines propter offensas, sequitur ubi nullæ offensæ in proximum, ejusmodi capitale supplicium istiusmodi non esse attemperandum. Tertiò, Ratio illa ex Lege Deut. 17. omnibus Gentilibus, qui adhuc dum sunt Idololatræ necem & capitale supplicium intentat, prætrerea, si Petrus excusatur ex infirmitate, eadem prætendi potest in Sagis, & tandem sicut ille conversus fuit ad Christum denuo, ita & tales converti possunt. Denique quod de seductoribus & impostoribus urgetur non concludit, tum quia ita hæretici, qui seducunt, essent gladio tollendi, tum quia si seductio facta, nocumentum illatum proximo, non repugnamus, si severior irrogetur pœna, tum quia quamvis Diabolus jugiter instet, compellet fœderatos istiusmodi, Exempla tamen in contrarium prostant, quod intercisa sit vis ipsius, atque ad Executionem non deductum, quod ille imperavit, ad quod ille impulit.

CXXXIV.

Defuncti sumus officio nostro in debellandis illis, qui Ense Rota, gladio progrediuntur in scenam, nunc ad alteram sententiam examinandam nos convertimus. Ubi in primo argumento observamus, quod inter præstigias referatur Volatus, Congressus, Tempestatum Excitatio, quæ tamen omnia verè fieri, quandoque demonstratum est. Si Christum abstulit Diabolus, Matth. 4. quî Sagam non possit transferre, si in corpore compareret Diabolus, quî non possit se commiscere cum Sagis? si denique Jobo tempestates concitavit 1. Jobi cap. quidni adhuc possit concitare ventos, Ignes, aquas & procellas. Agobardus quidem scripsit contra Opinionem de grandine. *In his*, inquit, *regionibus penè omnes homines nobiles & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes putant grandines & tonitrua hominum libitu posse fieri: Dicunt enim mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, Aura levatitia est.* Interrogati verò quid sit *aura levatitia*, alii cum verecundia, parum remordente conscientia, alii

alii autem confidenter (ut imperitorum moris esse solet) confirmant, incantationibus hominum, qui dicuntur *Tempestarii*, esse levatam, ideo dici *Levatitiam auram*. In quam opinionem tetricè ac graviter animadvertit. Sed aliud est, opinor, divina beneficia, aut etiam flagella humanæ passim libidini ascribere, aliud censere in his quoque nos fraudem dæmonis posse quandoque pati. Quis enim nesciat Magos Ægyptios pleraque his, quæ à Mose authore Deo prodigia patrata sunt, similia dæmonum studio præstitisse? Sed quia vim hujus argumenti S. Agobardus retudisse visus est, dum negat Magos grandinem elicere potuisse; ne quid de industria dissimulasse videar, plura ex eo referam, & interpretabor de ejusdem sententiâ. Secundò, notamus in quibusdam criminibus etiam Magistratum Conatum ulcisci, nec videri potest Conatus simplex, postquam scelus patratum est. Tametsi enim ita ipsi Pontificii respondent, cùm plures essent, non quilibet grassator hominem jugularit, quotus tamen quisque in eum incurrit, cædis reus habetur. Non enim conscius tantùm, tametsi ne sic quidem immunis esset à crimine, sed etiam flagitii particeps judicatur, quoniam quorum unam mentem fuisse constat, unus omnium ensis censeri debet. Quid si quispiam pacta cum latrone mercede hominum ab eo curarit interimi, an idcircò sceleris purus habebitur, quòd licet ejus studio ac sumptu cæsus fuerit, non tamen ipse sicam in ejus ilia merserit? Qui pepigit, qui mercedem dedit, quantum licet à ferro abstinuit, haud dubiè necem attulit. Quod si is homicidii damnatur qui sicarium nummo pellexit, erunt lamiæ innocentes quæ se totas malis geniis devovent, quò per eos nocere quam plurimis detur? Striges judiciorum laqueos evadent, aut quoquam innocente patrono criminis absolventur, quæ perire in æternum tempus maluerunt, quàm ut cuiquam iñocenti parcerent? Quas in nostram perniciem servare studetis, illæ vestrum interitum à dæmone abdicata sua ipsarum salute pactæ sunt. Præterea Magi faciunt ex pacto adeòque auxilio & ope Diaboli quod faciunt, sanè David dicitur occidisse Uriam per gladium Ammonitarum, 2. Sam. 12. ℣. 9. & quod quis per alium facit per se fecisse putandum. Adde tertiò quod præstigiator & præstigiatrix incitat sæpè Dæmonem incitamento, ex quo tanquam ex signo opportunitatem Diabolus

arripit

arripit aliquod Maleficium perpetrandi. In secundo notamus quod diligenter sit inquirendum, nam si confessæ sunt Sagæ, condemnandæ secundum illud Christi ex ore tuo, & illud Jurisconsulti confessus pro judicato est. Secundò, tres Canones indagatarios, quibus maleficiorum veritas investigari possit, tradit S. Augustinus de Civitate Dei lib. 18. cap. 18. quos ex eodem collegit Sebastianus Michaëlius in sua Pneumatologia, & repetit Delrius Disq. Mag. lib. 5. sect. 16. Horum Primus est, *Quæ fateantur striges, an re atq; exitu præstiterint, primùm constare oportere.* Cædem fatentur. Exploremus sedulò, an qui cæsus ab iis fertur, revera tum perierit. Nam Iphigeniam idcircò negat S. Augustinus mactatam, aut in feram mutatam fuisse, quòd alibi postea vivens reperta sit. Altera regula est, *Spectandum esse, an quæ asserant, ea dæmon efficere possit.* Nam si vires ejus opus superet, fucum fecisse credendus est. Quo argumento negat S. Augustinus Diomedis socios in aves mutatos fuisse. Non fuit ea vera metamorphosis, sed illusio. Non enim miracula diabolus edit, quam gratiam Deus cum solis bonis Angelis communicat. Ita docet S. Thomas *1. part. quæst. 114. art. 1. ad* 2. Tertiam regulam S. Augustinus petit *ex multitudine testium, & conformi similitudine narrationum*: quia universorum unanimis ubique consensus excludit omnem deceptionis aut somnii suspicionem. Cùm itaque striges, inquit Delrius, idem quod dicunt in Hispania, dicant in Italia; & quod in Germania, totidem factis & verbis referant in Gallia; & quod uno anno, id alio semper jam annis plusquam octoginta continuis in equuleo, & extra quæstiones liberè profiteantur; idque tam appositè, ut mulierculæ & pueri literarum alioquin rudes, videantur legisse, intellexisse, & memoriæ mandasse, quæcunque viri docti de his rebus scripto per Europam totam variis linguis tradiderunt: Nonne hic consensus universalis plus satis convincit, non in somnis iisdem hæc accidisse? Legendus Delrius, qui hæc singula probat accuratè, quique tribus his quartum præterea canonem examinatorium addidit. Tertiò, si Judices in Papatu rigent, nihil ad nos & debent ipsi præscribi ab Imperatoribus, Regibus & Magistratibus, Regulæ secundum quos judicare debent, coërceri, Termini & Metæ poni. In tertiò notamus, si

hoc Argumentum premeret, plerosque facinorosos esse dimittendos, secundò, si pereunt suo vitio pereunt Magistratus facit officium suum. Tandem tertiò observamus, Concilij illius Canonem variè expositum esse ab ipsis Pontificiis. Veruntamen, inquiunt, Ancyrani Concilii Patres præstigiis deludi mulierculas asseverant, *26. quæst. 5. cap. 12. Episcopi.* Quo pacto igitur desertæ fidei, atque idololatriæ reas condemnant, si deceptas arbitrantur, & insontes habent? An error quispiam etiam scelus est? & peccat gravissimè, qui in fide errat, aut à vero Dei cultu aberrat? Sed quo melius ejus Concilii Canon habendus est) mens & sententia percipiatur, necesse est integrum illud Capitulum Lectoris oculis subjiciamus. *Episcopi*, ajunt; *eorumq; ministri omnibus modis elaborare studeant, & perniciosam & à diabolo inventam sortilegam & magicam artem ex parochiis suis penitus eradicent: & si aliquem virum, aut mulierem hujuscemodi sceleris sectatorem invenerint, turpiter dehonestatum de parochiis suis ejiciant. Ait enim Apostolus, Hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem devita: sciens, quia subversus est, qui hujusmodi est. Subversi sunt, & à diabolo captivi tenentur, qui relicto creatore suo diaboli suffragia quærunt: & ideò à tali peste debet mundari sancta Ecclesia. Illud etiam non est omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retrò post Satanam conversæ dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ credunt & profitentur se, nocturnis horis cum Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusq; jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari. Sed utinam hæ solæ in perfidia sua periissent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera multitudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo à recta fide deviant, & errore Paganorum involvuntur, cùm aliquid divinitatis, aut numinis, extra unum Deum arbitrantur. Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia prædicare debent, ut noverint hæc omnino falsa esse, & non à divino, sed à maligno Spiritu talia phantasmata mentibus Infidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui transfigurat se in Angelum lucis, cùm mentem cujusq; mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subjugaverit, illico transformat se in diversarum species personarum, atq; similitudi-*

nes: & mentem, quam captivam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas personas ostendens, per devia quæq; deducit: & cùm solus Spiritus hoc patitur, infidelis mens hoc non in animo, sed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in somniis & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cùm Ezechiel propheta visiones Domini in spiritu, non in corpore vidit? & Joannes Apostolus Apocalypsis Sacramentum in Spiritu non in corpore vidit, & audivit, sicut ipse dicit? Statim, inquit, fui in Spiritu. Et Paulus non audet dicere se raptum in corpore. Omnibus itaq; publicè annunciandum est, quod qui talia, & his similia credit, fidem perdit: & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non est ejus, sed illius, in quem credit, id est, diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est, omnia per ipsum facta sunt, &c. Quisquis ergò aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior. Hactenus ille Canon. de cujus fide primùm ambigitur, an ulli Concilio acceptus referri debeat. Deinde quæ partes tam longæ orationis Canoni tribuendæ sint, cùm plura ab iis insita probari possint, qui posteriores retulerunt. Sed quoniam Delrius analyticum commentarium in eum Canonem edidit, quo eundem ceu clavam Herculis adversariorum manibus eripuit: idcirco labori parcens, quam brevissimè fieri poterit summam quandam responsionum ejus lectori repræsentabo. Ad extremum, si quid aliter sensero quàm visum sit erudito viro, hoc quoque summatim in medium allaturus, & doctorum judicio permissurus. Sed primùm quæ sit hujus argumenti vis atque potentia consideremus. Concilium, inquiunt, pronuntiat mulierculas delusas videri, & quia præstigiis fidem pertinaciter accommodent, à fide quoque descivisse: quarum cœcitatem si qui præterea æmulentur, & quæ lamiæ referunt ea vera esse confidant, hos quoque desertæ fidei reos censeri. Unde sequitur, ut quod flamma & ferro in sagis ulciscimur, error sit, & deceptio quædam humana, quam potentibus dolis architectatus est dæmon, digna potius misericordia

quàm supplicio atque animadversione calamitas. In quam quisquis invehitur, & infelices cruciatu pœnisque fatigat, cùm ea vera esse sibi persuadeat quæ striges prædicant, & aliena à fine Concilium decernit, haud dubiè hæretica labe se polluit. Ex quo subindè etiam colligunt, hic Canon quantum momenti habeat ad tuendam lamiarum innocentiam. Quinimò ne sic quidem capitalem sententiam vitare possent, cùm dæmonum ludificationibus pertinaciter adhæreant, & vera esse in animum inducant, quæ fraudem passæ experiri sibi visæ sunt. Nam eo nomine hæresis atque idololatriæ damnantur. Sed quia hoc adversarii ignorare videntur quanto discrimine humanus error ab hæresi distinguatur, quæque sint & qualia, quæ in Sagis Ancyrana Synodus anathemate perculit, de quibus Canon iste complectitur quid sentiendum sit, Martini Delrii verbis exponam. Sensus est, inquít, *qui talia credit*, qualia hæ mulierculæ Dianianæ, de quibus Canon agit. Hoc autem quod sequitur, & his similia: non est referendum ad omnia quæ mulierculæ istæ credebant, sed ad quædam quæ credebant, & erant verè hæretica. Primò, aliquid esse numinis præter verum Deum. Secundò, quòd alteri quàm uni Deo divinum honorem liceat exhibere. Tertiò, quòd talia suadens, aut ad talia hominem devehens sit bonus Spiritus. Quartò, quòd nequeant eis talia contingere imaginariè, seu in solo Spiritu. Quintò, quòd possit ullus immediatè, præter solum Deum, subitò, vel sine rerum naturalium applicatione, speciem seu essentiam ullius creaturæ in aliam commutare: vel vera creatione aliquid producere. Nam hæc omnia eas credidisse partim expressè in Canone habetur: Partim non improbabiliter ex eo colligitur. Ad hæc ergo talia & similia, hoc est hæretica, istud est referendum. Non potest autem referri ad cætera, in quibus decipiebantur quidem, non verò idcircò fidem perdebant. Verbi gratia, Primò, quod putabant de facto sibi hæc vigilantibus accidere. Nam hac in re delusæ tantum erant, non hæreticæ. Secundò, quod putabant veris se bestiis vehi. Tertiò, veras bestias posse tam citò tam longa terrarum spatia trajicere, & per aërem volare, sine spiritualis intelligentiæ opera: qui sunt errores contra Philosophiam & rectam rationem, non contra fidem Catholicam. Quartò, quod

opina-

opinabantur se convenire & discurrere cum multitudine mulierum & hominum aliorum, partim vivorum, partim mortuorum, quæ tantum erat delusio, & non hæresis. Si verò credidissent se dæmonum opera posse corporaliter deferri, etiam per aërem valde celeriter, successivè tamen, & congruo activitati dæmonis, & earum conditioni, tempore, id nec erat hæreticum, nec deceptio: Sed dubia duntaxat quibusdam opinio, re autem vera probabilior, & tantùm non de fide sententia. Igitur quod ad hanc translationem attinet, non deciditur quid diabolus facere possit, sed quid de facto cum istis mulierculis egerit. Hactenus Delrius. Damnatæ sunt itaque mulieres istæ de hæresi atque idolatria, non quia intempesta nocte equitare se crederent, & plures in eundem locum concurrere, quod secundum quietem tantùm illis acciderat: Sed quia Dianæ obsequi se crederent, cujus numen jam sopore discusso fide ac religione complecterentur. Sed neque in eos Canon animadvertit, qui peccasse eas, & supplicium meruisse assererent, siquidem eas anathemate feriit, & Sacramentis, cœtúque Fidelium interdixit; aut qui sublimes à dæmone ferri posse contenderent, cùm Dominus ipse prior in excelsum montem seorsum delatus sit: sed si quis comprobator & æmulus similium studiorum earum superstitionem imitando consectatus esset, procul amandarunt ab Ecclesia, pariter cum hæreticis proscripserunt. Quod autem decernit errore deceptas, & insomnium fuisse quod vigilando expertas se crederent, ex circunstantiis facti colligi potuit, & judiciali jure atque authoritate pronunciari: Nihil tamen ad fidem sanciendam attinet quo pacto statuat quibusdam olim contigisse, cùm uterque modus cum fidei placitis bellè consentiat. Unde tandem conjicio, non hunc fidei Canonem à Patribus præscriptum esse, qui nusquam extat in veteribus actis Ancyrani Concilii: sed hanc Patres judiciariam sententiam tulisse cùm privatim de mulierculis illis judicarent. Quo testimonio fretus? inquis. Communi omnium atque adeò publica fide. Nam Gratiani quidem fides vacillat, cùm in edendo authore titubet. Reliqui inter se non consentiunt; cùm alii quidem temerè Aquileiensi Synodo tribuunt, plures sancto Damaso ascribant, nonnulli sancto Augustino, quod non pauciores refellunt: Ipsa verò Ancyranæ Synodi antiquiora

tiquiora exemplaria constanter respuant. Accedit quod posteriores, de quibus ambigitur, ea inseruisse videantur, cùm eundem canonem semper cumulatiorem exhibeant: quod Delrius ibidem manifestè ostendit. Gregorii verò Decimitertii præfatio, qua Decreti correctionem commendat, non eò spectat, ut Gratiani liber in Canonem referatur, de cujus authoritate vetet absque delectu sententiarum in controversia fidei disputare: Sed ne cuiquam liceat decreto operi quicquam inserere, aut juris Canonici regulam privata authoritate mutare. Habuit præterea Populi Rom. rationem, cujus sumptibus in editione tantì operis parcere studuit. Quæ cùm ita sint, satis tutò negare posse videor, partem ejus capituli mediam ad canonem unquam pertinuisse: Sed sententiam fuisse asserere, quam tum Patres in sontes tulerint: quam cùm nonnulli postea nacti essent, & putarent Canoni lucem afferre posse, haud satis prudenter eidem attexuerint. Nam reorum causas non raò in Synodis dijudicatas fuisse Conciliorum acta testantur, quorum non solùm fides statera Ecclesiæ examinata est, sed alia quoque scelera testibus adhibitis è tenebris eruta, ac vindicata fuerunt. Quod si unquam aliàs, tum præsertim hoc tempore Ancyræ factum arbitror, in qua urbe cùm Sybilla Phrygia olim sua oracula ediderat, ut eadem testatur.

CXXXV.

De libris Magicis, communicatione personarum hoc veneno affectarum, nec non de Sepulchris agit, Delrio lib. 5. Sect. 17. p. 810. scribens: Non possunt ad hæredes transmitti, nec legi, nec retineri, sed sunt igni tradendi; Ut jure antiquo cautum, & in primitiva Ecclesia observari solitum; & hoc renovatum edicto Pii 4. & Clementis 7. Pontific. in regg. quas præfixerunt Indici, *libr. prohibit.* Reg. 9. Intellige præterquam ab illis; quibus prohibitorum librorum generalis lectio, in bonum publicum Pontificis Maxim. auctoritate fuerit concessa. Solis Pontificibus reservatum est, hanc licentiam largiri, & quibus ipsi hoc permiserunt; ut nominatim omnibus Inquisitoribus fidei, & eorum commissariis, pro tempore existentibus: Episcopis vero, eo solo quod Episcopi sunt hæc licentia legendi libros prohibitos non competit, ut docet Penna, & hoc fuit à Pio 5. quibusdam Episcopis disertè responsum. Sunt

autem

autem tales libri, non auctoritate propria comburendi; sed potius deferendi ad inquisitores. Qui eos retinent, nisi deferre parati sint, non sunt absolvendi: & hæc absolutio reservata est habentibus potest item absolvendi à casibus bullæ cænæ Dominicæ; & ab aliis impensa absolutio, nulla est & invalida; sunt etiam tales retinentes vehementer de eadem hæresi suspecti; si libri sint ab aliis compositi. Nam si ab ipsismet compositi forent, plene convincerentur, & damnari possent ut hæretici magi; si tamen faterentur à se compositos, vel à se scriptos, vel ab alio se dictante scriptos, nec quicquam causari possent, quod eos ab hæresis crimine tueretur. *Vide de hac re bene loquentem Siman. in prax. à num. 4. tit. 39.* Idem quod inquisitoribus fidei, quo ad librorum horum usum puto esse publicis Librorum Censoribus Ecclesiasticis: Non vero DD. quia Doctores sunt, nec Parochis quia Parochi, quod diligenter notandum, etsi in multis locis periculose Parochi & DD. hoc jus sibi usurpent. Aliàs *Magiæ* multos litâsse Arabes, Friderici Historia probat apud *Sigon.* lib. 12. p. 305. Ait: *in Italiam venisse Arabem quendam ex hispania, hominem magicis artibus egregiè, ut ferebant, instructum. Ætate senem, facie deformem, quippe altero oculo captum, socios pene viginti secum adducentem, eo consilio, ut veneni Fridericum perimeret, &c. Maimonidis* verba de libris ex comment. in Misch. Av. Zar. c. 4. S. 7. ita habent: *Radix hujus* (idololatriæ) *est apud gentem, quam Sabæam vocant, quæ gens est, ex qua egressus est Abraham pater noster p. m. & disputavit contra eorum errorem & sententiam perversam, pro ea, quam Deus ex corde ejus dedit, sapientia: Honorabant autem & venerabantur stellas, iisq; operationes, quas non habebant, tribuebant. Scribebant etiam libros de ratione stellarum, de magia, exorcismis, astris spiritualibus,* (certè solus Ibn-Vahschjia de his ferè omnibus scripsit: Tribuitur enim illi *liber de expellendis Dæmonibus: liber de magia major: liber de magia minor: liber rituum Chaldaicorum circa imagines: liber arcanorum magicorum: liber de cultu magnus & parvus:* Aliâs etiam habentur, *utilitas astrorum in Tilsemis, à populo Babel: Liber Farranæus, qui apud Judæos reperitur, de astronomia judiciaria,* & plures alii, quorum meminit *Abumasar,* vulgò dictus *Balchæus*) *de sermone stellarum & dæmonum, prædictione futurorum, de hariolo & augure, secundùm*

varias eorum species, de rogatione mortuorum, & si quæ sunt hujus farinæ alia, contra quæ lex vera gladium quasi suum sæpius stringit, eaq; excindit. Et clariùs *More Nev.* l. 3. c. 9. *Dico, quòd multarum legum rationes & causæ mihi innotuerint ex cognitione fidei, rituum & cultus Zabiorum.* Quod concernit communionem. Consuetudo multis in locis est maleficis ad mortem damnatis denegare viaticum corporis Dominici; quæ consuetudo tolerari potest, propter Sacramenti reverẽtiam illis locis; ubi post sententiam statim reus morti traditur. Locis aliis, ubi pridie sententia fertur, & postridie reus interficitur, etiam consuetudinem hanc admittit Navarus. Sed omninò putarim, tunc reis præbendam communionem, nisi quid aliud obstet: Nempe dummodo Catholici sint, & verè pœniteant, probatur hæc sententia jure Pontificio & civili, & DD. auctoritate probatur & ratione, quia consulendum ejus animæ, cujus corpus traditur ad mortem: neque hoc est dare Sanctum canibus, pœnitens enim jam Deo amicus est, & non canis. Nec dedignatur Christus eum invisere, pro quo mori dignatus fuit in cruce. Item ad hoc requiritur, ut reus sit jejunus, non enim idem obtinet in ægro morituro, & sano morituro, ut optime docet Navarrus: & ut tantum temporis inter supplicium & communem intercedat, ut species sacramentales sint verisimiliter consumptæ, ad quod non dubito, cum Navarro, quatuor horas sufficere, confessio Sacramentalis numquam reo, ne im̃ediate quidem ante mortem, deneganda: Contra unctio extrema reis numquam concedenda. Semper autem cavendum ne post Eucharistiam, vel confessionem quilibet reum invisat, & inebrietur, vel alia fiant piam mortem & seriam pœnitentiã impedientia: qua in re hic in Belgio & Germania superiore multum & frequenter peccatur. Quantum ad Sepulturam attinet: Sequenda in hoc regionis consuetudo, quoad illos, qui à Carnifice juxta tenorẽ sententiæ executionem morte prævenerunt, notandum primo hujus (ut & hæresis) excepti criminis naturam esse, ut morte non finiatur, sed contra mortuum procedi in eo possit, &, in locis ubi bona confiscantur, potest etiam post mortem agi ad bonorum confiscationem; sed ubi talis consuetudo non est, saltem ad memoriæ damnationem; & corpus sepultum condemnatum posset exhumari, & ossa comburi. Qui durante reatu sibi mortem consciverunt; ii non sunt sepeliendi Ecclesia-

clesiastica sepultura, sed cadaver debet à judicibus in furcam agi. Si objicias contrariam sententiam communiorem, quoad ultimum membrum, nempe non posse judices in corpus in carcere mortui sævire, illud suspendendo vel cremando, quia crimina & eorum pœna morte exstinguuntur, *Respondeo*, hanc rationem locum non habere, quando moriendo novum crimen committitur, & ipsa mors crimen est: Crimine enim nec crimen, nec criminis pœna potest exstingui. Hæc me causa impellit, ut à communi sententia recedam. Deinde plerique censuerunt & optimè; in atrocioribus criminibus, rectius æquius esse adhuc cadavera puniri, cum gravissimo cum scelere, se debitæ pœnæ reus conatus fuit subtrahere; & consuetudo ferè generalis comprobavit hanc praxim cadavera talium puniendi, ad aliorum necessarium exemplum E-os autem consanguineos & amicos, qui reis in carcere venenum vel laqueos, vel cultros suppeditanr; ut violentas sibi manus inferant ad ignominiam evitandam, in quos merito DD. invehuntur, non dubito teneri lege Cornelia de Sicariis. Si vero, non vi sibi illata, sed ægritudine, vel debilitate, aut incommoditatibus carceris morerentur ante sententiam; adeo ut si in talem, non legitime confessum aut convictum, judex sæviens eum non patiatur Ecclesiasticæ tradi sepulturæ; peccet mortaliter, & actione injuriarum conveniri à propinquis defuncti possit. Poterit tamen judex sinere corpus sepeliri cum protestatione, & litem cæptam contra mortuum prosequi citatis ad defensionem iis quorum interest; ut in hæresis crimine servatur. Sed quot annorum spacio currit jus contra mortuum agendi! Putarim in hoc crimine quoad bonorum confiscationem, non posse agi, post annum quadragesimum; ad memoriam tamen damnandam, adhuc agi posse, juxta Jus Canonicum; sed civile videtur quinquennii tantum spacium exigere; cui in foro civili standum.

CXXXVI.

Rectè quidem primò Martinus Delrio censet, istiusmodi libros esse igni tradendos. Nam habet primò præviam Scripturam, Act. 19. ℣. 19. ubi dicitur: *Multi ex iis, qui curiosa exercuerant comportatos libros exussisse in omnium conspectu*, qui libri fuerunt magici, ut *Quistorpius* annotat scribens: Hujusmodi homines semper plurimos

fuiſſe Epheſi, vel ea argumento ſunt, quæ de Magicis illis literis quas Epheſias vocant, authores teſtantur Heſychius potiſſimum & Clemens Alexandrinus quint. Stromat. Dicuntur autem Epheſiæ literæ, notæ quædam & voculæ Magicæ, quibus Magi utebantur in iis liberandis à poteſtate dæmoniorum, qui à dæmonis vexabantur, appellationi, ut dixi, Magorum Epheſiorum multitudo occaſionem dedit. Heſychius quædam eorum verborum recitat, & illa barbara ac obſcura, hujusmodi ſunt *ἄσκι κατάσκι, αἲξ τέτραξ δαμναμενεὺς αἴσιον.* Et interpretatur Heſychius primam vocem ſignificare tenebras, proximum ſignificat lucem &c. has Epheſias literas geſtabant, ut ſacramentum dæmonis, quomodo alii *παρέδρους* familiares, quos appellant quærebant dæmones. Apud Athenæum libro decimo ſecundo dypnoſoph, Anaxilas Poëta dicitur Epheſias literas pulchras in conſultis coriis geſtaſſe; fortaſſe in calceo. Nam Suidas poſtquam dixiſſet Epheſias literas eſſe carmina quædam obſcura, ait. Mileſio quodam & Epheſio luctantibus, Mileſium luctari non potuiſſe, propterea quod alter juxta talum literas Epheſias haberet, quibus demptis tricies luctando dejectus fuerit. Similiter etiam ab Euſtathio in Odyſſ. 18. obſervatum eſt de his literis. Alii etiam in incantationibus literis Epheſiis utebantur, teſte Plutarcho Sympos. libro ſexto, quæſt. 5. ubi ait Magos jubere & præcipere, ut occupati à malis geniis, ſecum legant & recitent Epheſia nomina, nempe ut eo modo liberentur. Quanquam autem Auguſtinus cenſeat libros illos fuiſſe de rebus ad judiciariam Aſtrologiam pertinentibus, ſimplicior tamen eſt prior ſententia, quia etiam Syrus & Arabs de artibus magicis illa *τὰ περίεργα* accipiunt, nec obeſt noſtræ ſententiæ, magnam enim familiaritatem alunt illa, quæ ad judiciariam aſtrologiam pertineat, & ex ſtellarum ſitu & Influxu divinant cum Magia, cum iſtiusmodi libris, qui docent nefandas artes. Secundò, Antiquitatem piam: ſi enim Conſtantinus Magnus, Arrii ſcriptum damnavit, ita ut rogo adjudicandum cenſuerit, & in Epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam ſcripſit: *Cum Arius ſceleſtorum & impiorum hominum conſuetudinem imitetur, eandem cum illis Ignominiæ & Turpitudinis notam merito ſubire debet. Quemadmodum Porphyrius Capitalis pietatis hoſtis, qui nefarios libros contra Religionem Chriſtianam*

nam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & quidem, ut apud posteriora secula, non ipse solum probris maximis vexatus fuerit, & turpissima labe Insaniæ aspersus. Verum etiam impia ipsius Scripta deleta penitus & extincta. Sic jam visum est, Arium & ejus sectatoris porphyrianos nuncupari, ut quorum locuti sunt mores eorum etiam Nomen habeant. Quin etiam, si quod opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud cremandum esse, ut non modò execrabilis ejus Doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum omnino Monumentum ejusdem relinquatur ad posteritatem. Si Episcopi Niceæ congregati Thaleiam librum sc. ab Ario adornatum justo accensi Zelo publico in loco concerpserunt, concerptum atque lacerum abjecerunt, idque ideò, quia blasphema in Deum Filium continent, cur non magicos libros ejusdem criminis reos Igni subjiciamus: imò cum arte profitendi diabolicæ mancipationis conjunctos. Tertiò, rectam Rationem: si enim Infanti cultrum subduco, quia potest illum vertere in sui perniciem, quanto magis subducendi erunt istiusmodi libri hominibus, qui præsentissimum illis afferunt Exitium. Si Lacedemonii libros quoque Archilochii, quod pudicitiam corrumperent, è medio sustulerunt, & Urbe exportari jusserunt, quanto magis illos libros Exilio damnemus, Igni crememus, qui impuri Spiritus Artes propinant populo. Sed id desideramus in Martino nostro, quod nolit auctoritate privata aboleri & comburi. Sanè Ephesii, de quibus supra combusserunt coram omnibus sponte, & proprio ausu, privataque in libros illos vindicta, ut ardorem & sinceritatem suæ conversionis ostenderent, observante Fromondo. Secundò, quod velit deferri ad Inquisitores, qui homines & proindè periculo infectionis æquè, ut alii obnoxii. Tandem quod ad Pii 4. & Clementis octavi Judicium provocet, qui quibusdam hanc licentiam concesserunt, ut possint legere istiusmodi diabolicos libros, qui ipsi quandoque istiusmodi lectioni inhærent, ut *Benedictus* nonus qui vitam vixit non Hominis, sed Bestiæ. Adeò enim libidini, luxuriæ, aliisque vitiis & sceleribus deditus fuit, ut brutum, humanâ specie indutum, potiùs repræsentaverit, quàm Hominem. Benno Cardinalis in *Descriptione vitæ & rerum gestarum Hildebrandi, p. m. 95.* de eo sequentia commemorat: *Theophylactus* (post adeptum Pontificatum *Benedictus* IX. vocatus) *Sacrificiis Dæmoniorum deditus in Sylvis & monti-*

 bus,

bus, *mulieres post se currere faciebat*, *quas magicis artibus ad sui amorem coëgerat. Testantur hoc libelli ipsius*, *inventi in domo ejus*, *postquam vitam malè finiverat.* Non mirum proinde, quòd tandem in Sylvis à Dæmone fuerit suffocatus, ut idem Benno refert *Lib. cit. p. m. 96.* Post mortem, ut narrant Historici, apparuit cuidam, juxta molendinum equo insidenti, & iter agenti, (Jacobus Bergomas, *Supplem. Chron. Lib. 12. p. m. 272. a.* ait, fuisse sanctum quendam Eremitam) in specie monstrosi animalis, cujus cauda & aures asini fuerunt, cætera Ursi. Cumque ille fugam caperet tremefactus, clamavit monstrum: *Noli, ô Vir, expavescere. Scito, me hominem fuisse, sicut tu es. Sed quia bestialiter vixi, post mortem præferre bestiæ speciem merui.* Ad quod ille: *Quisnam fuisti? Ego*, respondit Monsttum, *solo nomine Benedictus fui, qui nuper Apostolicam sedem inpignus obtinui.* Ad quem ille: *Quid habes retributionis? Nunc*, regressit iterùm monstrum, *usq; ad diem Judicii per dumosa atq; squalentia & sulphurea loca, & fœtida, & bullientia rapior & pertrahor: post extremum verò judicium corpus meum & animam similiter irremediabilis cruciatus, & irrevocabiliter olla gehennalis barathri glutiet: ita ut mihi nulla in posterum spes recuperationis restet. Post hec verba disparuit.*

CXXXVII.

Secundò, errat primò, dum ait consuetudinem illam posse tolerari, ut maleficis ad mortem damnatis, denegetur viaticum corporis Dominici. Num enim, qui in extremo periculo est animæ, non subveniendum, annon talis Exitio devotus est quoque Christianus, Homo pro quo Christus est mortuus? Anne Christus fuit, tam invidus, ut Judæ etiam non exhibuerit corpus suum, quem tamen sciebat moriturum desperatè, Actor. 1. Secundò requirit, ut reus sit jejunus, at hoc non est necessarium, imò si spectemus Cœnam quam instituit Apostolis suis Christus, sanè non jejunis, sed saturatis exhibuit illam. Tertiò scrupulosè determinare vult horas, ut species sacramentales sint consumptæ, & Unctionem extremam reis denegat, quasi sc. spectandæ essent species sacramentales in Esse Physico, non hyperphysico, quasi accidentia mera possint consumi abstracta à substantia panis? quasi Unctio extrema, si est Sacramentum, non pro futura quoque reo, & pro-

inde

inde deneganda. Nam cùm Dominus Sacramenta instituerit, quibus veluti divinis subsidiis juvaremur in ingressu Ecclesiæ, & in progressu, certè nullo modo credendum est, defuisse divinam ejus providentiam in egressu, & transitu ab hac temporali, militante Ecclesia ad aliam sempiternam, præsertim cùm nunquam magis homo indigeat auxilio, & præsidio, quàm in articulo mortis, ut Patres passim docent, ac præsertim Gregorius homil. 39. & in Evangelia, & libr. 24. Moralium, cap. 17. & 18. Eusebius Emissenus, seu quicunque est auctor illius libri, homil. 1. ad Monachos, & Joannes Climacus de 30. gradibus, grad. 7. tunc enim, & hostes fortius impugnant, quia modicum tempus habere se vident: & ipse homo nunquam est ineptior ad resistendum, ob dolorem, & ægritudinis magnitudinem. Si enim corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, etiam dum optimè valet, certè in ipso actu corruptionis maximè aggravabit: & experientia ipsa testatur vix posse ejusmodi ægrotos mentem ad Deum attollere, ut philosophatur Bellarminus.

CXXXVIII.

Tertiò rectè asserit, ἀποχειρείας crimen morte non finiri. Rectè secundò consanguineos & amicos, qui in Carcere venenum vel laqueos, vel Libros suppeditant, teneri legi Cornelia de sicariis, sed illud, tertiò non durum videtur nimis quod ægritudine, aut incommoditate Carceris mortuus ante sententiam, qui tamen nec confessus, nec convictus, sepeliatur; cum protestatione, ut in crimine hæreseos, quomodo enim agi potest adversus illum, qui mortuus & non confessus, nec convictus. Aliàs fatemur: Hoc crimen hæreseos ut execrabile & perniciosissimum, quod ultimam nonnunquam Reipubl. pernitiem minari solet, contundere maturè & extirpare radicitus semper laborâsse tàm legum civiliũ quàm canonum Conditores. Gravissimis in eos, qui se occupari ejusmodi ἐπῳδιδασκαλίᾳ patiuntur, perseverantes deinceps in eâ pertinaciter, pœnis utroque Jure sancitis. Pœnam tamen corporalem, vel ultimum supplicium neque de Jure civili neque canonico in hæreticos constitutam esse docent *Gomez tom. 3. resol. c. 2. n. 1. Covarruv. l. 2. var. resol. c. 10. num. 10.* Commodam hujus sententiæ hanc reddi posse opinantur rationem, quod quandoque spes conversionis superesse possit. Contrarium quidem apertissimè insinuare videtur

l. 5.

l. 5. *& 8. C. de Hæret.* Verum reponendum hîc cum *Wesenbecio ad d. tit. in Cod.* illud vel singulare in Manichæis & similibus, qui ad imam scelerum nequitiam pervenerunt *l. 5. C. d. t.* vel intelligendum non de amissione vitæ, sed deportatione, quæ etiam quandoque capitale supplicum *l. ult. C. de execut. & exact. lib. 12. l. 28. pr. ff. de pæn. l. 2. ff. de publ. Judic. l. 13. ff. de bonor. possess. l. 103. ff. de V. S.* Explodenda itaque nec unquam arripienda Pontificiorum & Calvinianorum sententia, qui in tyrannicam illam & detestabilem non rarò erumpunt vocem; Hæreticos igne ferroque persequendos, ac planè occidendos esse. Orthodoxis melior semper & mitior sedet mens, Hæreticorum animos placidis priùs ad resipiscentiam flectendos monitis, quibus si aurem præbere recusaverint, & dogmata sua pertinaciter disseminârint, exilio plectendos, nè alios quoque pestilenti suâ inficiant doctrinâ. Vide *Magnif. Dn. Carpzov. prax. crim. p. 1. q. 44. n. 30. & seqq.* ubi *n. 45.* illam subjungit exceptionem, nisi etiam seditiosi aut blasphemi existant, Ita enim de consuetudine Saxonicâ illi igne comburuntur, quamvis Dn. Carpzov. *d. l. n. 47.* in hoc casu suavor Judicibus sit, ut mitiorem sequantur sententiam & gladii pœnam dictent.

C X X X I X.

De Divisione Magiæ ex sententiâ nostrorum dicimus. Quantumvis penè innumeri Magiæ modi olim excogitati fuerint, attamen omnes ad *tres classes* redigi posse mihi videri. 1. Fuit magia *Divinatoria* 2. *Præstigiatoria.* 3. *Effectoria.* Omnis enim magorum labor vel in divinando, vel in fascinando, vel inoperando, & verè aliquid efficiendo occupatus erat, ex quo triplici studio tres illæ magiæ species subortæ sunt; de quibus singulis pauca. Divinatio est rei sive futuræ, sive aliàs occultæ & arcanæ cognitio, quæ quia *quatuor* potissimùm modis contingit, hinc *quadruplex* divinandi genus vulgò numeratur. 1. Est divinatio πνευματική vel *Spiritualis*, Prophetis & Apostolis propria, qui instinctu & ductu Spiritus sancti in summorum mysteriorum aliàs planè incognoscibilium notitiam pervenerunt. Et hæc verè divinatio est, ab ipso Deo profecta, & in salutem generis humani concessa. 2. Est divinatio φυσική vel *naturalis*, quæ ex observa-

tione

tione cauſarum phyſicarum effectus futuros quodammodò prædicit, quò pertinet Meteorologia & ſobrium Aſtrologiæ ſtudium: Cujus beneficio de tempeſtatibus & temperamentis hominum aliqualis dari poteſt prænotio vel præſcientia: Item præſagia Medicorum de ægrotantis conſtitutione, morbo & ſanitate, vitâ & morte ex certis ſignis judicantium, quæ divinatio cùm utilis ſit & ſuperſtitione careat, laudem, non vituperium meretur. 3. Eſt divinatio κοινὴ vel *communis & popularis*, quâ ruſtici & agricolæ inprimis pollent, qui non inquiſitis ſolicitè cauſis eventuum in natura, nec conſiderato ſignorum cum rebus ſignificatis conſenſu, ex iis ſolùm, quæ ut plurimùm eodem modo evenire, iisdem antegreſſis ſignis annotârunt, artem colligunt, ac regulas canonicas conſtituunt: ex quibus de tempeſtatum cœlique converſionibus ac mutationibus, de frugum & fructuum proventu, de ubertate & caritate, annonæ, de aëris ſalubritate vel infectionibus ſatis feliciter quandoque judicant. Et hæ divinationes, niſi ſuperſtitio accedat, tolerari poſſunt. 4. Eſt divinatio διαβολικὴ, quæ fit ope & auxilio Satanæ, qui cùm Spiritus ſit ſapiens & multarum rerum cognitionem habeat, ob id homines arcana docere, iisque occulta nonnulla manifeſtare poteſt. Et *hæc* eſt *illa magica divinatio, vel divinatoria magia*, quæ propriè dicitur μαντικὴ, quaſi μανικὴ, à μανία vel inſania, (uti ex Platone annotat *Peucerus*, fol. 5.) quoniam magi, quibus arcana revelabat diabolus, quaſi furere & inſanire videbantur, uti exemplum Sybillæ Cumææ *Æneid. 6.* teſtatur, de qua ita canit Poëta:

Aſt Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe D E U M: *tantò magis ille fatigat*
Os rabidum, fera corda domans, fingitq́; premendo.

Secundò, Magia eſt quædam præſtigiatoria, quæ altera generalis magiæ ſpecies eſt, quæ in meris illuſionibus & deceptionibus hominum ſita, cui nihil veri ſubeſt, & cujus opera mera ſunt φαινόμενα, non vera ὄντα. Multi quidem magorum ſibi perſuaſum omninò habent, revera fieri & eſſe, quæ vimagicâ & ope diaboli fieri & eſſe volunt: Verùm ſæpiſſimè accidit, ut meræ ſint præſtigiæ & illuſiones, dum oculi tàm magorum, quàm aliorum aſpectantium faſci-

fascinantur à diabolo, ut illi miras & insolitas res se videre putent, cùm tamen non rem ipsam, sed rei duntaxat speciem à diabolo productam & simulatam oculis fascinatis aspiciant, uti exemplo magorum in Ægypto satis evidenter constat. Proinde rectè dixit *Jamblichus* lib. de mysteriis: *Quæ fascinati imaginamur, præter imaginamenta nullam habent actionis & essentiæ veritatem: ejusmodi namq; finis est magicæ artis, non facere simpliciter, sed usq; ad apparentiam imaginamenta pingere, quorum mox nec vola*, quod dicitur, *nec vestigium apparet.* Refert *Apulejus* l. 1. de asino aureo; Se Athenis ante Pœcilem Porticum circulatorem vidisse, qui spatham præacutam mucrone infesto totam devoraverit, ac mox invitamento exiguæ stipis venatoriam lanceam, quâ parte minatur exitium, in ima viscera condiderit. Græcorum literis proditum est, fuisse *Pasetem* quendam, Magum, qui carminum potentiâ refertissimum repentè convivium hospitibus discubituris præmonstrare consueverit, idque mox evanuisse, ut nihil omninò apparatum videretur, discumbentibus omnibus fame & siti elusis. Si quid pretio compâràsset, id agebat, ut erogati nummi in venditorum loculis apparerent, illis interim ludificatis, unde Proverbium: *Pasetis semiobulus. Wierus* lib. 2. cap. 2. memorat, præstigiatorem quendam magicum Magdeburgi equulum in theatro frequenti per circulum transilientem ostentâsse certâ pecuniâ, qui in fabulæ exitu paucam se apud mortales collegisse pecuniam questus, se in cœlum ascendere velle ait. Hinc in sublime ejecto fune, consequitur in altum equulus, præstigiator quasi cum caudâ retenturus quoque ascendit, cujus uxor maritum apprehendens assectatur, itidem ancilla, ut viderentur ascensu contiguo velut concatenati aëra simul petere. Hæc autem omnia verè & realiter contigisse quis sanus affirmaret? Meræ fuerunt præstigiæ, meræ fascinationes & deceptiones, quarum exempla innumera hinc inde leguntur, & quotidiana experientia observari possunt. Tantæ longanimitatis & patientiæ Deus noster est, ut diabolo permittat non solùm homines fascinare, eorumque oculis glaucoma quoddam objicere, verùm multa etiam operari & realiter efficere *vel ἀμέσως* & per se, *vel ἐμμέσως* & per suos ministros, quos hoc pacto in superstitione & idololatria confirmare, secumque in perpetui ignis barathrum præcipitate in-

te intendit. *Tertia* & ultima magiæ species generalis, *effectoria* est, eò quòd in operando & rebus per auxilium diaboli efficiendis occupata est. Quantumvis autem ultimus diabolicarum operationum finis sit pernicies hominum, eorum præsertim, quibus velut instrumentis utitur: Attamen si personæ istæ considerentur, circa quas magi aliquid operari moliuntur, tum *duæ* poterunt magiæ practicæ species constitui: Altera *utilis*, altera verò *noxia* & perniciosa. *Utilis* consistit potissimùm in curandis vulneribus morbisque, & in averruncandis malis iis, quæ permissione DEI, operatione Satanæ, per magos alios excitata sunt. *Noxia* autem in ciendis tempestatibus, in perdendis frugibus, in lædendis pecoribus, & in corrumpendis hominum corporibus occupata est. *Utraque* mediis utitur talibus, quæ per se plerunque sunt inefficacia, unde effectus ipse, qui sequitur, diabolo potius, quàm ejusmodi *ὀργάνοις* acceptus ferri debet. Nam si veneficia & herbas quasdam vi naturali pollentes exceperis, reliqua omnia vana reperies & prorsus *ἄεργα*. Utuntur enim quandoque *annulis*, de quibus Agrippa *lib. 1. cap. 57.* quandoque *verbis*, quandoque *Scripturâ;* sæpè *numeris*, sæpè *figuris Geometricis*, sæpè *musicâ* & *incantationibus*, nonnunquam *rebus inanimitis aliis* & prorsus inefficacibus, ut *crinibus*, *ossibus*, *cultris* &c. quæ adhiberi vult Diabolus, quò persuadeat Magis, tantam rebus istis vim inhærere, earumque applicationem effectuum omnium causam & principium esse. Sed fraudes diabolicas hîc saniores cuncti deprehendunt, quippe qui quantitatum, verborum & characterum nullam esse vel actionem vel efficaciam noverunt. Quòd si ergò per magos quippiam producitur, non mediis istis brutis, sed potiùs diabolo id omne adscribendum est.

C X L.

Aliis dividitur Magia primò, in diabolicam & naturalem, Diabolicæ Exempla sunt perplura: Non est dubium quin eorum, quæ de Magis aut dicuntur aut scribuntur, quàm plurima sint ficta & falsa: Nam plerique hominum nimis sunt creduli & superstitiosi, & rebus admirandis facilè capiuntur, cum etiam docti viri & Philosophi, ut inquit Aristoteles, quoniam fabula continet aliquid novum & mirabile, fabulis oblectentur. Quis enim non videt, quæ

Ovidius narrat in libris Metamorphoseos, omnia ficta esse à Poëtis, sicut illa de Circe & Medea, & de sociis Diomedis in aves conversis, quæ longo post tempore circa templum Diomedis volitabant: De sociis Ulyssis, quos Circe mutavit in bestias: De Arcadibus qui trajecto quodam stagno vertebantur in lupos: De socero Medææ, quem illa à senectute ad juventutem revocavit: De draconibus, quibus simul junctis Medæa volavit per aëra, & de aliis id genus fabulis, quas Poëtæ cum ad oblectationem legentium, tum ad mysticam hominum eruditionem adinvenerunt. Negari tamen non potest multa miratu dignissima verè à Magis esse facta. Nam scriptura in Exodo commemorat opera Magorum Pharaonis, & 1. Regum capit. 28. scribitur de Pithonissa quæ suscitavit Samuelem, & Psalm. 57. de venefico incantante sapienter aspidem, ob id obturantem aures suas: & Matth. 24. *Surgent*, inquit Dominus, *Pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia*, non utique alia arte quàm magica. Ex historiis Ecclesiasticis notum est, quæ opera admiranda Simon Magus ederit magicis incantationibus, quamobrem (ut fertur) à Romanis publicam statuam meruit hac inscriptione: SIMONI DEO SANCTO: Ut narrat Justinus martyr in Apologetico, Irenæus libro primo contra Valentinum, Tertullianus in Apologetico, Eusebius libro secundo historiæ Ecclesiasticæ. Propter quæ prodigia idem Simon tanta in admiratione fuit apud Samaritas, ut quemadmodum Lucas scribit in Actis Apostolorum capit. octavo, de illo diceretur. *Hæc est virtus* DEI, *quæ vocatur magna.* Narrat sanctus Hieronymus in vita Hilarionis, cum quidam juvenis virginem Deo sacram ad turpes amores illicere nulla ratione potuisset, eum ad magicas artes conversum, quas apud Memphin Ægypti didicerat, adeò illis profecisse, ut virgo insano illius juvenis amore fureret. Porrò quæ de strigibus vulgò circumferuntur, non sunt in totum falsa, sed multa illis admiranda accidere, qui ea compererunt, viri fide digni, sicut Sylvester in opere suo de Strigibus, & Alphonsus de Castro, in eo quod scripsit de punitione hæreticorum, non illi quidem tanquam dubia & incerta, sed tanquam sibi notissima & exploratissima tradiderunt. Mira sunt quæ Philostratus in libris de vita Apollonii memorat vel Brachmanas Indorum, vel Gymnosophi-

ſophiſtas Æthiopum, vel ipſum Apollonium geſſiſſe. Tale eſt illud quod is narrat libro tertio & capite tertio, vidiſſe Apollonium apud Indos gemina dolia, unum imbrium, alterum ventorum: illud, cum nimia ſiccitate India premebatur, apertum, nebulas emittebat univerſam illam terram humectantes: Nimios autem imbres occluſum cohibebat: Alterum adapertum, efflabat ventos regionem perflantes, quò ſalubrius eſſet cœlum. Tale etiam eſt illud quod ab eodem proditur lib. tertio, cap. octavo, cum Apollonius cum Jarcha & aliis Brachmannis menſæ accubuiſſet, tripodes lapideos ſua ſponte fuiſſe motos, & ab æreis pincernis calices in gyrum circumlatos eſſe certa menſura vinum & aquam miſcentes & cyathos proferentes. Nec ſileri debet quòd Philoſtratus libro quarto, capite decimo ſexto ſcribit de puella, quæ tanquam mortua portabatur ad ſepulchrum: Cujus funeri occurrens in via Apollonius, tanquam ſecreta quædam illi admurmurans & inſurrans, ad vitam & integram valetudinem revocavit. Nec minus mirabile eſt quod idem auctor narrat libro ſexto, capite tertio, de ſtatua Menonis, quam cum radius Solis circa ejus exortum attingebat, & ad os ejus perveniebat, ſtatua more hominum loquebatur. His adde quod ab eodem memoratur ejusdem libri ſexti capite quinto, juſſu Veſpeſionis, qui Princeps erat Gymnoſophiſtarum apud Æthiopes, ulmum quandam voce quidem clara & diſtincta, ſed tenui admodum & quaſi fœminea ſalutaſſe Apollonium. Sed illud miratu digniſſimum, quòd Philoſtratus tradit capite ſecundo, libri octavi, Apollonium cum eſſet in prætorio Domitiani Imperatoris, ut putabatur, ab eo condemnandus, repente ex omnium oculis, evanuiſſe. Quamobrem tanto in honore fuit Apollonius apud poſteros, ut eum Hierocles cum Chriſto Domino noſtro conferre auſus fuerit. Sed ejus audaciam fregit, inſaniamque coarguit Euſebius Cæſarienſis: Alexander autem Mammeas Imperator Romanorum, in ſuo Larario imagines Chriſti, Abrahæ & Apollonii habebat, quod hos tres maximè omnium miraretur & coleret. Verùm, ſicut à principio dixi, eorum quæ Magi feciſſe dicuntur, quàm plurima falſa ſunt, vel ab ipſis vel ab aliis conficta, & ſuperſtitioſis nimiumque credulis hominibus perſuaſa. Quis enim vera concedat quæ Maga illa apud Virgilium libro 4. quarto Æneidos promiſiſſe dicitur.

Hæc se carminibus promisit solvere mentes
Quas velit, ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluviis, & vertere sydera retro,
Nocturnosq; ciere manes, mugere videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Quocirca Plinius nullam esse putavit Magiæ vim atque potestatem, & quæ de magis feruntur, omnia esse vana falsaque: totamque Magiam rejicit & damnat. Nam libro 30. capite 2. *Immensum*, inquit, *& indubitatum exemplum est falsæ artis quam dereliquit Nero. Non enim ad eam discendam Neroni defuit vel ingenium vel diligentia vel qualibet facultas, nec studium, cum ejus discendæ avidissimus esset: Quin etiam ad eam docendam Tytidates Armeniorum rex nobilissimos Magos secum ducens venit ad eum, cœnisq; magicis eum initiavit: Sed is regnum quidem à Nerone accepit, Magiam autem quæ nulla est, docere eum non potuit. Proinde ita persuasum sit, intestabilem, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras, sed in his veneficas artes pollere, non magicas.* Hæc Plinius. Cui ut concedo plurima Magorum esse vana & falsa, ita esse talia omnia non assentior. Esse autem pleraque Magorum promissa non solum inania & falsa, sed etiam incredibilia & ridicula demonstrat Plinius libro 16. cap. 4. his exemplis, *Magi ajunt Æthiopide herba amnes ac stagna siccari conjectu; tactu, clausa omnia aperiri. Archimenide conjecta in aciem hostium, trepidare agmina, ac terga vertere: Laracem dari solitam à Persarum rege Legatis, ut quocunq; venissent, omnium rerum copia abundarent.* Apud Democritum invenitur compositio medicamenti, quo pulchri, bonique & fortunati gignantur liberi. Et libro 25. capit. 9. *Circa herbam*, inquit, *quam nostri Verbenacam vocant Magi mire insaniunt: hac percunctos impetrare quæ velint, febres ambigere, amicitias conciliare, nulliq; non morbo mederi.* Lege apud Aul. Gellium libro 10. capite 12. & apud Plinium lib. 28. c. 1. quæ fabulantur Magi de Chameleonte tradita à Democrito magicæ artis principe, qui, quo tempore Hippocrares medicinam, eodem magicas artes in Græcia celebravit, hoc est circa bellum Peloponesiacum, anno post Romam conditam trecentesimo: ut auctor est Plinius libro 30. c. 1. vide Daneum pag. 378. latere secundo, & p. 382. Naturalis illa est, quæ cognitione & appli-

applicatione singularum virtutum, ad Individua miros procurat Effectus & licet jam usus obtinuerit ut nomen Magiæ ferè in malam partem accipiatur, pro ea nimirum arte quæ opera, & adminiculo dæmonum res mirabiles vel facit, vel facere simulat; & Magi vulgo dicantur, qui ex commercio quod habent cum dæmonibus, res stupendas efficiant, veluti sunt præstigiatores, incantatores, necromantici, & alii malefici homines: At tamen nec nomen Magiæ absolutè, & præcisè sumptum hoc significat, nec à principio sic fuit usurpatum, sed universè pro quadam facultate, per quam homines efficiebant res insuitas & admirandas ratione quadam occulta, & aliis hominibus incognita. Sic generaliter sumpta Magia, dupliciter dividi potest: Altera enim est naturalis, altera non naturalis. Naturalem voco, quæ cognitione & applicatione quarundam singularium virtutum, quæ sunt in rebus naturalibus, quæque latent ferè mortales, agentia & patientia suo loco & tempore, & sicut opus est invicem componendo & temperando, effectus quosdam inusitatos & admirandos, & quorum ratio videtur incomprehensibilis, moliuntur. Magia autem non naturalis dicitur, quæ etiam mira efficit, verumtamen non utens viribus agentium naturalium, sed sola dæmonum opera & ope. Naturalis autem Magia rursum triplex tradi potest: Alia enim dici potest humana, quia humano studio & diligentia comparatur, altera divina, quæ per revelationem vel à Deo, vel ab Angelis bonis percipitur: Tertia, Dæmoniaca, quam dæmones tradunt iis hominibus, qui se illis impia societate & fœdere devinxerunt. Esse autem Magiam quandam naturalem, quæ est secretior quædam & abstrusior sapientiæ pars, & quæ occulta quadam cognitione & usu quarundam rerum naturalium mira perficit, nullo modo viris doctis dubitandum est. Quis enim vel tinctus duntaxat literis philosophicis, nescit esse multas virtutes rerum effectrices, quas si quis benè nosset, & ad usum accommodare sciret, haud dubiè mira posset efficere. Multa sunt naturæ miracula incompertæ adhuc rationis, & (ut Plinii verbis utar) in naturæ majestate penitus abdita: Hæc si quis hominum illis rebus naturalibus occultè utens, faceret, Magus vulgo diceretur, & non nisi auxilio dæmonum talia facere crederetur; cùm tamen opera illa essent

natu-

naturalia, & naturaliter à causis naturalibus profecta. De miraculis naturæ integrum librum scripsit Aristoteles, qui inscribitur, de admirandis auditionibus, quanquam enim nonnulli adscribunt Theophrasto. Plinius cum aliis libris multa, tum plurima secundo libro Naturalis historiæ prodidit, & Proclus in lib. de Sacrificio, & Magia, & S. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei, cap. 4. & 5. Albertus Magnus lib. 2. Mineralium, Tractatu 2. c. 1. 11. & 17. & Fracastorius in lib. de Sympathia, & Ficinus lib. 4. Theologiæ Platonis, c. 2. multaque ejus generis sparsa leguntur in libris Cardani de subtilitate & varietate rerum; quorum hîc nonnulla ex Plinio recensebo lib. 2. cap. 96. Juxta Harsparsa oppidum Asiæ; cautes stat horrenda uno digito mobilis, eadem, si toto corpore impellatur, resistens. Duo sunt montes juxta flumen Indum, alteri natura est, ut ferrum omne trahat, alteri, ut respuat; Itaque si sint clavi in calceamento, in altero avelli non posse, in altero sisti. Et cap. 105. Hæc est natura Naphtæ circa Babyloniam profluens bituminis liquidi modo, ut in eam undecunque visam protinus transiliat ignis. Ita fuerunt à Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta, & capit. 107. In Nymphæo exit è petra flamma quæ pluviis accenditur, & cap. 103. In Dodone Jovis fons cùm sit gelidus, & immersas faces extinguat; si extinctæ admoveantur, accendit. In Illyriis supra fontem frigidum expansæ vestes accenduntur. Idem Plinius lib. ultimo, cap. 4. Adamas (sic Græcè dictus, quòd nec ferro, nec igne dometur) hircino tamen rumpitur sanguine: & cum magnete lapide in tantum dissidet, ut juxta positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus magnes apprehenderit, rapiat atque auferat. Verùm nihil esset mirabilius magnete, si vis ejus non adeò nobis esset nota & explorata. Nam rationem cur ferrum ad se trahat, & acum nauticam sua vi tactam eatenus agitet, quod illa directo Septentriones spectet, quis nobilium philosophorum non diligentissimè investigavit? quis autem adhuc comperit aut satis explicavit? Sed omnia excedit miracula Echneis pisciculis quem Latini vocant Remoram, cujus meminit Aristoteles lib. 2. de historia animalium cap. 14. sed Plinius lib. 32. cap. 11. non solùm ab antiquis de eo prodita: Sed etiam sibi suique

que temporis hominibus planè cognita & explorata tradens, ait eum semipedalem esse, limaci magnæ similem, adhærentemque navigiis, licet ea sint ingentia cursuque incitatissimo ferantur, eorum tamen ita frenare impetum, ut stare cogat, non labore ullo, nec retinendo, nec aliter quàm adhærendo. Fertur Actiaco bello te nuisse Prætoriam navim Antonii properantis circumire, & exhortari suos. donec iret in aliam. Ideòque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit etiam ejus memoria Caij principis ab Abstura Antis. remigantis quinquiremem quadringentorum remigum viribus propulsam, ejusque adhærens gubernaculo; feruntque Cæsarem peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in navigium receptus. Hactenus ex Plinio. Nec modo quæ ratione carent, sed etiam homines mira edere & non cernentibus incredibilia cùm alii testificati sunt, tum haud dubium reliquit sanctus Augustinus multis certisque ejus rei positis exemplis, *Novimus*, inquit libro quarto decimo, de Civitate Dei capite vigesimo tertio, *hominum quorundam naturas multum cæteris dispares, & ipsa raritate mirabiles, quædam ut volunt de corpore suo facientium, quæ alii nullo modo possunt; & audita vix credunt. Sunt qui totam Cæsariem, capite immoto, quantum capilli occupant, deponunt ad frontem, revocantque cùm volunt. Sunt qui eorum quæ devoraverunt, incredibiliter plurima & varia, paululum præcordiis contrectatis, quod placuerit, integerrimum proferunt. Nonnulli ab imo sine pædore ullo, ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur. Ipse sum expertus sudare hominem solere cum vellet: notum est quosdam flere cùm volunt, atque ubertim lachrymas fundere. Presbyter fuit quidam nomine Restitutus in paræcia Calamensis Ecclesiæ, qui quibuscunque volebat, ita se auferebat à sensibus, & jacebat similimus mortuo, ut non solùm vellicantes & pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur admoto, sine ullo doloris sensu: Nec in eo ullus inveniebatur anhelitus.* Hæc ibi Augustinus. Magiæ autem naturalis, non humano studio partæ, sed à Deo vel Angelis bonis acceptæ, manifestum est argumentum perfectissima rerum omnium naturalium scientia divinitus infusa Salomoni: per quam verisimile est, eum mira effecisse, aut certè si voluisset facere potuisset. Josephus certè libro octavo de Judaicis antiquitatibus ait,

Salomonem instituisse occulta quædam remedia ad pellendos morbos & fugandos dæmones. *Incantationes*, inquit, *composuit*, *quibus morbi pelluntur*, *& conjurationum modos reliquit scriptos*, *quibus ita fugantur dæmones*, *ut deinceps nunquam reverti audeant:* Atque id sanationis genus etiam suo tempore apud Judæos in usu esse, & se vidisse Eleazarum Judæum, præsente Vespasiano aliisque Principibus, multos à dæmonibus vexatos, hac ratione liberasse. Modus curationis erat hic: admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat species cujusdam radicis à Salomone indicatæ, ad ejus olfactum, per nasum, contrahebatur dæmonium, & collapso mox homine, adjurabatur dæmonium, ne ampliùs rediret. Salomonis mentione facta, & incantationibus ejus recitatis. Discessus autem dæmonis ab homine, illud erat indicium, quod jussu Elezari egrediens, vas plenum aqua ibi positum, invisibiliter evertebatur. Hæc ex Josepho. Sed profectò illa Ratio ejiciendi tio ejiciendi dæmonem, non ex Magia naturali, sed ex superstitiosa & Diaboli artificiosa composita proficiscebatur, nec eam credibile est institutam esse à Salomone, nisi fortè postquam is Dei gratiam perdidit, in cultum idololatriæ prolapsus. Juvenis etiam Tobias, mirabilem vim ejus piscis, quem in Tigri ceperat, Angelo Raphaële docente, cognovit: Nam sic Tobiæ dixit Raphaël (ut legitur capite septimo illius libri) *Cordis ejus particula, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita ut ultra non accedat ad eos: Fel autem ejus, valet ad unguendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur*, simili remedio piscis, Gregorius Turonensis Episcopus cùm puer esset, divinitus admonitus, patrem suum à gravissimo morbo liberavit. Secundò, in Magiam cum expresso pacto, & illam quæ est cum implicito, de quo Suarez. Possunt hæ species distingui vel ex parte effectuum, qui sunt veluti fines proximi, ad quos tendunt opera hujus artis, vel ex parte signorum, quæ ad tales effectus efficiendos applicantur. Supponimus autem, sermonem esse de distinctione materiali specierum, non de formali in ratione malitiæ: Jam enim sæpè diximus, hanc non esse necessariam, nec inveniri sufficiens fundamentum illius, sicut de Divinatione etiam dictum est. Præterea, est notandum hic discrimen inter Magiam cum expresso pacto,

cto, vel cum implicito: Nam quando pactum est expressum, necessarium non est, quod effectus intentus, vel modus externus illius sit aliquo modo mirabilis, vel superans vires humanas: Nam licet merè naturalis, vel talis, ut posset à famulo fieri, vel ab alio agente ordinario: quacumque ratione aliquis ad illum utatur opera Dæmonis, expresse postulando. vel acceptando illum etiam ad ferendam epistolam modo ordinario. vel ad dirigendum in via, vel aliquid simile: illa est superstitio contraria fidelitati, & cultui Deo debitis, & pertinet ad speciem Magiæ: quia continet expressam invocationem adjutorii Dæmonis, & quia semper talis effectus habet aliquid mirabile ex parte occultæ causæ, saltem in hoc, quod à Dæmone fit. At vero ad tacitum pactum Magiæ necessarium est, ut vel opus in se excedat virtutem naturalium agentium, vel certè in modo, quo fit: & maximè, ut id, quod applicatur ad illud efficiendum, sit vanum, & inefficax ad obtinendum effectum. Et ideò ad intelligendam benè hanc tacitam superstitionem necessarium est, species, & modos illius declarare. Tertiò in Effectricem Scientiæ, Sanationum & Maleficiorum. Ex parte enim effectus ad tria capita possunt hæ species reduci, scilicet ad artem effectricem scientiæ seu cognitionis, sanitatum & maleficiorum. Potest enim à dæmone expectari auxilium vel ad effectus animæ, vel corporis. Effectus igitur animæ comprehendimus sub nomine scientiæ, vel cognitionis, ad has enim potest juvare Dæmon: Nam ad virtutem non juvat, sed potius ad malum, & ad peccatum, quod hic non consideratur, quia non est proprium artis Magicæ, sed ad generale officium Dæmonis spectat, quod est, homines tentare. Quod si in hoc aliquid speciale operatur in arte Magica, sub aliquo ex illis tribus effectibus continetur. Effectus autem corpori possunt esse vel proficui corpori, vel rebus humanis, & hos comprehendimus sub sanitate: vel possunt esse nocivi, qui ad maleficia pertinent. Possunt autem his addi quidam effectus, qui videntur è dæmonibus fieri circa cadavera, & animas mortuorum: Sed hi vel divinationi tantum deserviunt, & ideò sub Necromantia comprehenduntur: vel certe, quatenus conjunctam habent aliquam operationem, ad maleficia illos revocamus. Circa primam ergo speciem primum adverto,

verto, esse discrimen inter hanc artem, & divinationem: Nam hanc ponimus partem Magiæ, & consequentet à Divinatione illam distinguimus in hoc, quod Divinatio est de rebus, quæ naturaliter cognosci non possunt: Unde earum veritas, fides, & qualiscunque cognitio tota resolvitur in Dæmonis testimonium, & auctoritatem. At vero in hac arte Magiæ non talis quæritur scientia, vel cognitio, sed talis, qualis vel per ordinarium studium, vel per infusionem Divinam haberi potest, ita ut per eam manifestetur veritas per propria media, vel principia, à quibus potest naturaliter, seu necessario deduci, sicut in Philosophia, vel alia simili scientia fit. Inquiritur, tamen hæc ipsa scientia per artem Magicam modo extrâordinario, & præternaturali, unde si non inquiratur à Deo, necesse est, ut à Dæmone quæratur, & ita hæc ars pertinet ad operationem Dæmonis, non ad Divinationem. Nam qui hoc modo docetur Philosophiam, vel Mathematicas opera Dæmonis, etiamsi repente evadat Philosophus, vel Mathematicus, non dicetur Divinus, vel divinare, quia non futura prædicit, nec occulta pandit, sed demonstratione, vel ratiocinatione utitur ad veritates necessarias, & Philosophis notas demonstrandas. Observandum præterea est ex Divo Thom. 2. 2. quæstione 96. articulo 1. quandam esse ab hominibus inventam artem, quam Notoriam vocant (cur autem ita vocetur, Auctores non dicunt) quæ per quasdam observantias, & per quædam jejunia, & orationes ad DEUM, & figurarum inspectiones, & prolationes ignotorum verborum (ut D. Thomas ibi dicit in primo argumento & in corp.) subitam, seu extraordinariam scientiæ acquisitionem promittit. Quam esse vanam, ac perniciosam D. Thom. supra docet. An vero ad hoc genus superstitionis, quod nunc tractamus, pertineat, non declarat. Imo in fine corporis dicit, in arte Notoria non quæri scientiam per magisterium dæmonis loquentis cum homine, ad eum modum, quo unus homo docet alium. Et in solut. ad 3. ait, *In arte Notoria non intervenire societatem initam cum dæmone.* Addit etiam ibidem D. Thomas, artem illam esse inefficacem. Ubi Cajetanus advertit, ideò dici inefficacem, quia finis ejus est consequi scientiam per infusionem: ergo à Deo quærit scientiam, ut in primo etiam argu-

quære-

mento D. Thomas objicit, & in solutione non negat, sed dicit, quærere illam modo indebito, & in hoc consistere malitiam ejus. Videtur ergo malitia hæc non pertinere ad superstitionem, sed vel ad tentationem Dei, quia ab eo petitur miraculum, seu opus supernaturale sine causa vel necessitate: vel etiam ad cultum indiscretum, & vanum, non tamen falsum, quia revera ibi non colitur alius Deus, sed verus indebito modo. Quia licet aliquæ ex observantiis, quibus ars illa uti dicitur, non sint superstitiosæ, ut jejunia, & orationes, tamen conjunctæ cum aliis vanis observantiis, facient totum cultum superstitiosum, non tamen falsum, quia semper intenditur acquisitio scientiæ à vero Deo. Dicendum nihilominus est, artem Notoriam sub parte, & specie Magiæ comprehendi, & pactum implicitum cum Dæmone continere. Ita sumitur ex D. Tho. d. art. 1. in 1. part. corpor. ait enim artem illam uti ad scientiam obtinendam quibusdam vanis observantiis, non ut causis; sed ut signis supervacuis. *Et per consequens* (ait) *sunt signa pertinentia ad pacta quædam significationum cum Dæmonibus placita, atq; fœderata. Et ideo ars Notoria penitus est fugienda Christiano, sicut aliæ artes nugatoriæ, vel noxiæ superstitiones.* Proinde ergo judicat de hac arte, sicut de tota Magia, vel Divinatione quoad superstitionem, & pactum cum dæmone. Cum ergo dicit in fine corporis, per artem Notoriam non quæri scientiam à dæmone docente, non intendit excludere omnem modum acquirendi scientiam opera dæmonis, sed solum illum modum addiscendi à Dæmone loquente, & docente, more humano: non enim sita inquiritur scientia per artem Notoriam, sed alia via breviori, & faciliori, sine ullo hominis studio, per solam vanarum observantiarum exhibitionem. Et ideò vehementer suspicor in solut. ad 3. ubi negative legitur: *Quæ societas cum dæmone initæ in proposito locum non habet*, mendum irrepsisse, & delendam esse negationem, affirmativeque legendum, *locum habet*. Alias D. Thom. non solvisset argumentum, sed confirmasset. Objecerat enim, in hac arte non esse illam superstitionem, quæ est in Divinatione, quia ibi inquiruntur à dæmone futura, quæ ipse cognoscere non potest, hic autem procuratur scientia, quam ille optime novit. Respondet autem, in divinatione non tantum esse peccatum, quia procuratur à

dæmone cognitio veritatum, quas ipse non cognoſcit, ſed ſimpliciter propter ſocietatem cum eo initam. Ergò neceſſe eſt, ut conconcludat, hanc poſteriorem inordinationem etiam habere locum in arte notoria: Aliàs ſi hoc etiam concederet non habere locum in hâc arte, plane conceſſiſſet totum, quod argumentum probare nitebatur. Atque ita videtur legiſſe Cajet. cum ex hac ſolutione notat, ad peccatum mortale ſufficere pactum initum cum dæmone, *quod conſtat* (inquit) *in obſervantiis artis Notoriæ committi*. Cum ergo idem Cajetanus ait, *per illam artem intendi ſcientiam per infuſionem*, non eſt intelligendus à Deo, ſed à dæmone, vel expreſsè, ſi expreſſum pactum præceſſit, vel tacitè, & interpretativè, ac moraliter, etiamſi expreſsè non intendatur. Et ratio hujus intentionis eſt, quia qui his obſervantiis utitur, vult obtinere ſcientiam ſine ſtudio, & labore, ſic autem obtineri non poteſt, niſi per infuſionem, ergò virtualiter intendit illam habere, per infuſionem: non poteſt autem fieri illo modo, aut per aſtra, aut per verba, vel per obſervantias, quæ adhibentur, ut per ſe evidens eſt, neque à Deo procuratur, quia nullis mediis ad hoc proportionatis ars illa utitur, nec Deus promiſit infuſionem ſcientiarum per jejunia, vel orationes, nedum per ignota verba, vel inſpectiones figurarum. Ergò velit, nolit, qui ſic operatur, convincitur ſe velle à dæmone habere ſcientiam infuſam, & conſequenter ſe habere ſocietatem cum dæmone, vel ſaltem dare illi moralem occaſionem, ut ſe interſerat, qui illam non omittet. Unde qui ſic operatur, in virtute attribuit dæmoni virtutem infundendi ſcientiam, quod ſolius Dei proprium eſt. Quamvis autem hæc vera ſint de illa arte, ſi quis tamen ex ignorantia, & ſimplici intentione vellet, à Deo ipſam ſcientiam infuſam impetrare, & ad hoc non adhiberet vanas obſervationes illius artis, ſed media ordinaria, quibus religiosè uti ſolemus ad aliquid à Deo impetrandum, ut ſunt orationes, jejunia, & alia bona opera, vel corporis afflictiones, non committeret idololatriæ ſuperſtitionem, ſed tentaret Deum, vel improbe coleret, ſi id faceret ſine ſpeciali inſtinctu Dei, & ſine cauſa, & non adhibendo induſtriam, & diligentiam, quam ex parte ſua poſſet apponere. Et ratione periculi (ſi eſſet aliquo modo prævisum) poſſet participare malitiam ſuperſtitionis, & hoc tantum probat

probat objectio facta. Ultimo vero addendum hic est, ad hanc Magiæ, quam modo tractamus non pertinere solum ad propriam artem Notoriam, ut à D. Thoma explicatur, sed etiam omnem artem addiscendi scientiam ope dæmonis, quocumque modo intendatur. Ut si quis studendo, & faciendo, quod in se est, ad scientiam acquirendam, simul uteretur vanis observantiis, quibus speraret, vel vim memoriæ acquirere, vel facilitatem, & acumen ingenii, vel organa sensuum melius disposita, vel similia, quæ virtute naturali talium observantiarum fieri non possunt: Fieri autem aliquo modo possunt virtute dæmonis, ut latè exponit Martinus libro 2. q. 24. sine dubio hoc genus superstitionis committeret. Itemque ille, qui vellet à dæmone edoceri eo modo, quo docetur ab homine loquente, sive intendat, ut dæmon sibi loquatur ad aures corporis in corpore visibili assumpto, sive solum in imaginatione formando eadem verba, quod etiam facere potest. Quacunque enim ratione ineatur societas cum dæmone, etiam si nihil petatur expressè, vel tacitè, quod virtutem ejus naturalem superet, superstitiosum est, & ad hanc partem artis Magicæ pertinet. Et multa ex his, quæ diximus, sine societate expressa fieri non possunt, ut consideranti facile patebit, erit autem saltem implicita, quando ad effectum intentum obtinendum vanæ observantiæ adhibentur, quæ non possunt esse causæ, & ideò non sunt nisi magica, & diabolica signa. Ad alteram Speciem, quam Sanitatum appellavimus, pertinent ea, quæ Thomas Tract. 22. q. 96. art. 2. disputat, ubi rectè declarat, sub nomine sanitatum comprehendi omnes immutationes corporum similes, & maximè illas, quæ ad hominum commodum, & utilitatem, seu beneficium fiunt, sive circa animalia, sive circa arbores, & similia. Item huc spectant effectus alii, qui per hanc artem hominibus promittuntur, verbi gratia, ut non possint lædi ab hostibus, nec subesse casibus fortuitis, & similes. In hoc autem genere effectuum, ut pactum implicitum intelligatur, præcipuè oportet considerare, an effectus ipsi secundum se spectati tales sint, ut per causas naturales, vel creatas fieri possint, necne. Aliquando enim sunt naturales, ut sanitas, quæ recuperari potest medicamentis adhibitis, & valetudo, quæ potest conservari naturalibus remediis, & virtutibus

herbarum, vel obſervata qualitate ciborum. Multa etiam fieri poſſunt per ſolum motum localem, ut inventio, vel transportatio theſauri, congregatio nubium, ut convenienti tempore pluat, & ſic fructus ſint uberiores, fugatio, vel occiſio animalium nocentium, & ſimilia. Aliquando vero poſſunt eſſe effectus ſupra virtutem omnium cauſarum naturalium corporalium, ut maximè eſt ille, quod homo non ſit expoſitus effectibus, ſeu caſibus contingentibus: quia nulla eſt cauſa naturalis, quæ hos impedire poſſit, nec providentia humana, quæ prævenire illos in universum valeat. Quando ergò effectus, qui per hanc artem promittitur, ſupra vires eſt creatarum cauſarum, certum eſt, talem artem eſſe Diabolicam, & Magicam deceptionem. Probatur, quia media, quæ ad tales effectus adhibentur, non poſſunt eſſe cauſæ, ex ſe habentes virtutem ad illos, quia illa media ſunt actiones humanæ, vel applicationes rerum naturalium, effectus autem ſunt longè ſuperiores: Ergò adhibentur ut ſigna, ad quorum præſentiam aliquis alius operetur: Sed ille non eſt Deus, nec ſanctus Angelus: Tum quia Deus nunquam talia ſigna inſtituit: Tum quia in eis nihil eſt, quod Deum deceat, nec quod pietatem promoveat. Eſt ergo dæmon, à quo non verè, ſed per præſtigias fit talis effectus, ut poſtea dicemus. Exempla ſunt in illo effectu immunitatis (ut ſic dicam) ab omnibus effectibus contingentibus adverſis. Quæ enim cauſa, vel diſpoſitio naturalis poteſt hoc præcavere? Similis eſt effectus ille præſervandi corpus: ſeu reddendi illud immune à læſionibus hominum, quia hic effectus per ſe pendet ex libero uſu utriusque hominis, & percutientis, & percuſſi: circa quem uſum nihil poſſunt per ſe naturales cauſæ, & præterea ſæpè per accidens pendet ex caſuali occurſu, vel occaſione. Quod ſi intelligatur immunitas eſſe ex parte corporis percuſſi, ut ſcilicet taliter ſit affectum, quod licet vulneretur vel fortiter pungatur, lædi non poſſit, etiam ſi nulla arma defenſiva habeat præter geſtationem, v gr. amuleti, vel alterius ſimilis involucri, vel certæ ſcripturæ, &c. Tunc etiam evidens eſt nec in his rebus, nec in ulla cauſa naturali poſſe eſſe virtutem ad talem immunitatem corpori præſtandam. Et ideò in his, & ſimilibus ex natura effectus licet pactum colligere, ut dictum eſt. Tertia Species ita eſt comparata, ut tum omnia quæ de ſecunda dicuntur cum proportione applicari, tum evidentiora ſint indicia pacti, cum Dæmone. tum quia quæ de Veritate vel Specie Magiæ diſputantur ad hanc maximè pertineant.



INDEX RERUM ET VERBORUM.

Quæ in hôc Tractatu universo continentur:

A.

Cabala

C.

 Com-

Corpora

Lupi

T.

X.

Z.

FINIS.

